R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

CHRIST. GVIL. KESTNERI
P. ET M. D.

BIBLIOTHECA MEDICA,

OPTIMORVM PER SINGVLAS MEDICINAE

PARTES AVCTORVM DELECTV

CIRCVMSCRIPTA,

ET

IN DVOS TOMOS DISTRIBVTA.



IENAE 1746.
SVMPTV CHRIST. HENR. CVNONIS. A.

LECTOR HONORATE!

§. I.

Nullus equidem dubito, fore non paucos, qui, conſpecto praeſenti libro, cogitaturi ſint, plane ſuperuacaneum eſſe laborem, quem eidem conſcribendo impenderim: certo tamen ſimul mihi ipſi perſuadeo, eos, qui ita cogitabant, vbi non tam conſpectum iſtius operis obiter tantum perluſtrauerint, quam librum potius ipſum intimius & curatius conſiderauerint, lenius & aeque magis eſſe iudicaturos.

§. II.

Minime quidem inficiandum eſt, ita dictarum Bibliothecarum medicarum defectu non laborare noſtrum, quo viuimus, aeuum, qualium quippe ipſe indicem plenum tomi I. capitis I. ſectione IV. hic conſignaui: Cum tamen earum pleraeque ſint merorum & macrorum inſtar nomenclatorum, quali labori librariorum quiuis par eſſe facile queat; parum ſane bonae frugis exinde colligere poterit artis ſalutaris cultor, qui non titulos librorum ſaltim, diuerſasque eorundem editiones noſſe cupit, ſed, quale quantumque pretium cuique libro ſtatuendum ſit, ſcire potisſimum deſiderat.

§. III.

Nec eſt, quod Hermanni Conringii introductionem in artem medicam mihi quis obiicere velit, cuius quidem operis lectio omnibus ac ſingulis, quibus notitia bonorum medicinae ſtudio inſeruientium librorum curae cordique eſt, nunquam ſatis commendari poteſt. Verum enim vero, poſtquam inde ab anno 1687. quo introductionis iſtius optima prodiit editio, tot pulchri atque vtiles, omnes artis noſtrae par-

tes

tes illuſtrantes, libri, quibus noſtra aetate difficulter carere queas, lucem ſalutarunt publicam, plurimaque illa opera, quorum tom. I. cap. I. III. VI. & VII. mentionem feci, a Conringio plane ſunt omiſſa: nemo diffitebitur, librum hunc, alias praeſtantisſimum, haud paucis egere additamentis.

§. IV.

Commodis igitur iuuentutis litterarum deditae ſtudiis inſeruiturus, Bibliothecam hancce medicam ſelectam emiſi, quam, vt conſpectus additus docet, in duos diuiſi tomos: in quorum priore, ceu generali, eiusmodi maximam partem adducuntur ſcriptores, cuiusmodi in aliis bibliothecis medicis vel nulli plane, vel certe apparent rari nantes in gurgite vaſto. In poſteriore ea contra tomo, tanquam ſpeciali, pro diuerſitate partium medicinae melioris notae libros indicare ſtudui.

§. V.

Ad id de cetero, in conficiendo iſthoc opere, potisſimum intendi animum, eoque allaboraui, vt cuiusuis libri meliorem editionem ſignificarem; celeberrimorum deinde de eodem medicorum iudicia breuiter

adiicerem; &, quod caput rei erat, talium modo ſcriptorum facerem mentionem, qui digni erant, qui in Bibliotheca ſelecta locum obtinerent. Interim, tironum in gratiam, fieri non potuit, quin hic illic vilium etiam librorum, maxime quando thraſonico fucati titulo ſuperbiunt, obiter meminerim.

§. VI.

Rem igitur moliens ancipitem, periculorumque plenam, vbi hinc ſcylla, charybdis inde terret, quo cautius incederem, mediumque tutius tenerem; in delectu inſtituendo circa libros, aeque ac in diiudicandis iisdem, non ſenſum meum proprium, ſed ſententias maximorum, & in hac vel illa medicae artis parte verſatisſimorum, omnibus ferme locis ſequutus fui medicorum. Quod ſi vero vnum alterumue opus, cui iure ſuo locus in hac bibliotheca deberetur, vel per obliuionem, vel per ignorantiam, a me fuerit praeteritum, moneant, quaeſo, me, quorum hoc intereſt, de errore meo, idque ſolide & citra partium ſtudium; ſciantque, grata me ipſum mente quouis tempore eiusmodi amicos monitus auditurum. Dab. Ien. d. 8. Septembr. 1745.

CON-

CONSPECTVS
BIBLIOTHECAE MEDICAE SELECTAE.
TOM. I.

Cap.

TOM. II.

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE
MEDICAE
SELECTAE
TOMVS I.
ISQVE GENERALIS.

CAP. I.

DE HISTORIOGRAPHIS, BIOGRAPHIS, BIBLIOGRAPHIS, LEXICOGRAPHIS ET METHODOGRAPHIS MEDICIS.

CONTENTA:

Scriptores hiſtoriae medicae deperditi; §. *1.* *Studium hiſtoriae medicae neglectum;* §. 2. *a Conr. Geſnero reſtauratum;* §. *3.* *Inſtituti noſtri ratio.* §. *4.*

§. I.

Ab antiquiſſimis inde temporibus non defuere, qui, peculiaribus ſcriptis, hiſtoriam medicae artis aeque ac medicorum, indagare conati ſunt. MENONIS a) *Synagoge iatrica; Opus de origine medicinae* ANDREAE b) cuiusdam; APOLLONII c) *Libri de ſecta Herophili*, & ZEVXIDIS, d) eiusdem argumenti; MAGNI e) *Tractatus* de *Inuentis poſt Themiſonem;* inprimis vero *Narrationes de vitis & ſectis medicorum*, quas SORANO debemus, ad hanc omnino claſſem pertinuerunt. Num autem RVFI *Epheſii Liber de priſca medicina*, cuius

Suidas meminit, ad illuſtrationem hiſtoriae medicae non nihil contulerit, illud ex titulo libri ſolo ſuperſtite vix coniicere queas.

a) V. GALEN. Comment. I. in Hippocr. de natur. hum.

b) V. SORAN. in Vita Hippocrat.

c) V. COEL. AVRELIAN. Lib. II. acutor. morb. c. 13.

d) V. GALEN. Comment. IV. in Hippocratis Epidemic. VI.

e) V. GALEN. de different. pulſuum lib. III. cap. 1.

§. II.

Aſt iam dudum allegata modo opera graecorum iſtorum medicorum ſunt deperdita f): vnde fit, vt nec de eorundem pretio certi quidquam definiri poſſit. Immo, e toto antiquitatis apparatu nihil g) prope, quod huc faciat, exhiberi poterit, praeter ea, quae CELSVS, in elegantiſſima quidem, ſed nimis breui illa Praefatione, quam primo ſuo de medicina libro praemiſit, nobis reliquit. Quum igitur ſequentes per plurium ſeculorum ſeriem medici hanc hiſtoriae partem penitus neglexerint; nos quoque opera, recenſendi eosdem, ſuperſedere eatenus poſſumus.

f) Excepto vnico illo de Vita Hippocratis fragmento, quod SORANVM agnoſcit autorem, quodque plerisque editionibus operum Hippocraticorum adiectum deprehenditur.

g) De libris, data opera hac de materia ſcriptis, ſermo nobis eſt. Ceteroquin enim minime me latet, quam plurimas, ad hiſtoriam medicinae neceſſario pertinentes, memorias, in monumentis PLINII, GALENI, PLVTARCHI aliorumque veterum, paſſim interſperſas inueniri.

§. III.

Protracta autem ſaeculo decimo ſexto, per CONRADVM GESNERVM, e puluere ac tenebris vniuerſali hiſtoria litteraria; varii inſecutis temporibus ſunt inuenti, qui peculiariter & artis medicae hiſtoriam, pro viribus quisque ſuis, illuſtrare conarentur. Et horum quidem elenchum aliquem iam dedit IO. ALB. FABRICIVS Bibliothec. graec. volum. XII. p. 726.

726. seqq. verum indiget ille partim auctario quodam, partim & in non nullis emendatione aliqua. h)

h) Retulit enim in hoc numerum quosdam, huc minus pertinentes, v. g. IO. BEVEROVICI ideam medicinae veterum; ZACVTI historiam medicorum principum; MANGETI Bibliothecam anatomicam, chirurgicam, medico-practicam, pharmaceutico-medicam; AND. LAVRENTII historiam anatomicam &c. id quod ex memoriae lapsu illi contigisse videtur.

§. IV.

Dictum ergo elenchum *Fabricianum* fundamenti quidem loco praesenti substernemus capiti; simul tamen eundem sollicite augebimus, & melioris gratia ordinis in sex dispertiemur illum sectiones, ita, vt in sectione *prima* de scriptoribus historiae medicae in genere; in *secunda* de iis, qui hanc vel illam seorsim partem eiusdem tractantes res notatu dignas memoriae prodiderunt; in *tertia*, de illis, qui medicorum enarrauerunt vitas; in *quarta* de his, qui scripta medicorum recensuere; in *quinta* de auctoribus lexicorum medicorum; in *sexta* denique de illis, qui de methodo studii medici scripserunt, sumus acturi. De his omnibus breuitate, quanta fieri poterit, ita agemus, vt suus cuique ex merito constet honos, idque sine omni praesumta opinione.

CAP. I. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS HISTORIAE MEDICAE LITTERARIAE IN GENERE.

CONTENTA.

De Mich. Doeringio §. 1. Ioh. Neandro §. 2. Herm. Conringio §. 3. T. I. ab Almeloueen §. 4. Ioh. Bernierio §. 5. Leon. de Capua §. 6. Dan. Clerico §. 7. Ioh. Conr. Barchusio §. 8. A. O. Goelickio §. 9. Ioh. Freindio §. 10. Ioh. H. Schulzio §. 11. Gottl. Stollio &

& C. W. Kestnero §. 12. *Franc. Cliftono, variisque promissis histor.* §. 13.

§. I.

Si in recensendis iis scriptoribus, qui hanc historiam in genere delinearunt, ordinem temporum sequi velimus, quo quisque in publicum prodiit; faciendum nobis initium videmus a MICHAELE DOERINGIO. Wratislauiensis iste Medicus emittebat *duos Libros de medicina & medicis, aduersus iatromastigas & pseudiatros, in quibus non solum generatim medicinae origo, progressus, dignitas, & medici officium prolixe asseritur: sed etiam particulatim tam Hippocraticae & Galenicae praestantia, quam empiricae, magicae, methodicae & Paracelsicae vsus atque abusus excutitur:* Giessae a. 1611. in 8. exscriptos. Plura vero hic esse in rubro quam in nigro, titulumque libello ipso magnificentiorem, & rem ipsam superficiarie tantum ac negligenter admodum elaboratam, id iam pridem DAN. CLERICVS, in Praefatione, quam Historiae suae medicae praemisit, obseruauit.

§. II.

Paucis post annis in lucem prodibat publicam IOHANNIS NEANDRI, medici Bremensis, *Syntagma, in quo medicinae cum laudes & natalitia, sectae earumque placita, tum cataclypses eius ac restauratores, & ad haec nostra vsque tempora propagatores, cum historiis eorum, vitis ac scriptis, graphice depinguntur. Acc. Eiusd. Dissert. de medicina Hermetica & Paracelsica.* Bremae 1623. 4. Diuersa hic liber eruditorum expertus est iudicia: laudantibus his, a) culpantibus aliis, & cum PHIL. LABBEO b) atque DAN. CLERICO c) contemtim eundem habentibus. Quorum hi non solum autorem multorum errorum reum peregerunt, sed simul etiam detexerunt, eum pleraque sua e PETRO CASTELLANO & MELCH. ADAMO exscripsisse, & argumento quod tractandum sibi sumsit,

fumfit, omnino parem non fuiffe. Si cui copia huius fyntagmatis ipfius, quod paullo rarius iam factum eft, legendi facta fuerit, is vtique iudicio CLERICI calculum fuum non denegabit.

a) Huc pertinet THEOD. CRVSIVS in der Vergnügung müssiger Land-Stunden. Part. IX. p. 71. fq.
b) in Elogio chronologico Galeni. v. FABRICII Bibliothec. Graec. Lib. IV. p. 524.
c) in Praefat. Hiftoriae Medicinae.

§. III.

Maioris longe momenti eft HERMANNI CONRINGII *Introductio in artem medicam* fingulasque eius partes; quae initio Helmftadii, anno 1654. in 4. & deinceps, cum additamentis GÜNTHERI CHRISTOPH. SCHELHAMMERI, ibid. 1687. 4. lucem adfpexit publicam; denique Halis Sax. a. 1726. 4. denuo edita fuit. Quanquam enim fecundum tantum & tertium caput proprie huc pertineat; haec ipfa tamen adeo folide excellenterque funt elucubrata, vt e compendiofo ifthoc fpecimine, ac veluti *σκιαγραφία*, facile coniectare liceat, feculo fuperiori vix vllum repertum fuiffe medicum, qui ad confignandam vniuerfalem & integram omnibusque partibus perfectam eruditionis medicae hiftoriam, Conringio magis effet idoneus, pluraque & maiora ad id ipfum praeftandum afferre fubfidia potuiffet. Dolendum itaque, reliqua eius negotia non permififfe eidem, operae vt huic totus vacaret.

§. IV.

In THEODORI IANSSONII ALMELOVENII *Inuentis nouantiquis, feu, breui enarratione ortus & progreffus artis medicae, ac praecipue de inuentis vulgo nouis, aut nuperrime in ea repertis*, quae, vna cum *Eiusdem Onomaftico rerum inuentarum*, Amftelodami 1684. in 8. prodierunt, nihil, quod momentum trahat, quodque ad hiftoriam medicinae generalem aliquid conferre valeat, deprehendas. Etiamfi enim prioribus

vndecim paragraphis pauca quaedam de origine ac progressu artis medicae in medium adtulerit, quae tamen & ipsa variis ad rem non facientibus digressionibus d) infarsit; eum is nihilominus scopum sibi praefixisse videtur primarium, vt ostenderet, inuenta illa anatomica, quae seculis decimo sexto & decimo septimo pro nouis venditabantur, maximam sui partem, iam dudum antiquioribus medicis, cum graecis, tum arabicis, minime fuisse ignota.

d) Exempli caussa: quando §. inde a pag. 20. vsque ad pag. 31. de plagio litterario; §. 9. autem de necessitate ac vtilitate linguae graecanicae disserit.

§. V.

IOHANNES BERNIERIVS libro suo, gallicano idiomate scripto, cui titulum fecit: *Essais de medecine, où il est traité de l' histoire de la medecine & des medecins*, quoque Lutetiae Parisior. 1689. 4. prodiit, moxque ibidem, a. 1695. eadem forma, mutato solum titulo, quem huic editioni maluit dare: *Histoire chronologique de la medecine & des medecins*, denuo impressus est, quem quaesiuit, applausum adsecutus non est. Vt enim taceam, priorem tantum huius operis partem ad praesens nostrum argumentum referri posse: haec ipsa quoque, eo quod autor e libris scribendis victum quaerere coactus erat, e) adeo festinanter parumque sufficienter est elaborata, vt spei lectorum, non exhausto argumento, minime faciat satis. Vnde & iam pridem AEGIDIVS MENAGIVS autorem huius historiae inter milites leuis armaturae numerauit.

e) v. NICERON. *memoir.* Tom. XXIII. p. 370. seqq.

§. VI.

LEONHARDI DE CAPVA librum, lingua Italica exaratum, hoc titulo: *Parere, diuisato in otto ragionamenti, ne' quali narrando si l' origine e' l progresso della medicina, chiaramente l' incertezza della medesima si*

si manifesta, cuius altera editio Neapoli 1689. 4. f) eaque *tribus dissertationibus de incertitudine remediorum* aucta, prodiit, imo & tertia vice Bononiae a. 1714. 8. repetita est, nondum oculis vsurpare mihi fuit licitum, quamuis perquam curiose eundem vbiuis indagauerim. Tantum de eodem lego in praefatione, quam DAN. CLERICVS historiae medicinae abs se editae praemisit, *Leonhardum* hunc *Capuensem* non tam historicum in illo egisse, quam criticum potius, qui praeiudicium antiquitatis ceu rem ridiculam, exagitet, diuersa medicorum systemata sub examen reuocet, praeterea vero omnia omnino eo habitu exhibere conetur, vt cuiuis facile appareat, in vniuersa arte medica, a primo eius ortu, ad nostra vsque tempora, nihil esse certius, quam ipsam eiusdem incertitudinem.

f) FABRICII Bibliothec. Graec. Vol. XII. pag. 730.

§. VII.

Sub exitum saeculi septimi decimi DAN. CLERICVS edebat priorem partem historiae medicinae, quam, gallicana conscriptam lingua hocce ornauit titulo: *Histoire de la medecine, où l' on voit l' origine & les progrès de cet art, les sectes, qui s'y sont formées, les noms des medecins, leurs découuertes, leurs opinions & les circonstances les plus remarquables de leur vie.* Geneuae g) 1696. 12. Quod praestantissimum & quantiuis pretii opus, sex annis post, integrum Amstelodami 1702. 4. publicatum, atque eodem in loco, sub limam reuocatum ac emendatum, a. 1723. 4. vna cum delineatione continuationis huius historiae, a temporibus Galeni vsque ad Paracelsum prosequendae, auctius prodiit. Quemadmodum vero autor celeberrimus omnibus, ad perficiendum tam nobile opus, necessariis dotibus ac subsidiis erat instructissimus: ita & hoc illius syntagma tanto omnium vbique locorum applausu, tantaque cum approbatione est exceptum, vt in eo nihil desideraretur, quam hoc

vnum, quod in temporibus Galeni iam subftiterit, nec vlterius progreſſus fuerit. Quum autem CLERICVS, in adiecta editioni huius hiſtoriae Amſtelodamenſi a. 1723. Admonitione ad lectorem, cauſſas allegauerit, quibus impeditus ſit, quo minus vlterius elucubraret hanc hiſtoriam medicinae; honori ſuo melius conſulturus fuiſſet, ſi additam editioni modo dictae delineationem, ſeu rationem continuandae vlterius hiſtoriae medicae, (*Plan pour ſeruir à la continuation de l' hiſtoire de la medicine*) omnino presſiſſet ac domi ſuae retinuiſſet. Apparent enim in eadem diuerſae, eaeque partim momenti haud leuis, mendae, quae huc ſubrepſerunt.

g) FABRICII Biblioth. Graec, Volum. XII. p. 729.

§. VIII.

IOHANNIS CONRADI BARCHVSENII *Hiſtoria medicinae, in qua, ſi non omnia, pleraque ſaltem medicorum ratiocinia, dogmata, hypotheſes, ſectae, quae ab exordio medicinae, ad noſtra vsque tempora, inclaruerunt, dialogis XIX. pertractantur*, Amſtelodami a. 1710. 8. exſcripta typis prodibat. Quia vero autorem pigebat methodi dialogiſticae; idem liber longe auctior, hac inſignitus rubrica: *De medicinae origine & progreſſu Diſſertationes XXVI.* Vltraiecti 1723. 4. denuo edebatur. Fruſtra autem vel de vita vel de ſcriptis medicorum aliquam in hocce opere quaeſiueris enarrationem: quum id praecipue propoſitum BARCHVSENIVS ſibi habuerit, vt diuerſas medicorum ſententias, diuerſaque eorundem dogmata, libro non minus ac modeſto ſcribendi genere, ſub examen reuocaret; qua tamen in re potior illi ad theoreticam, quam ad practicam medicinam habetur reſpectus.

§. IX.

ANDREAE OTTOMARI GOELICKII *Hiſtoria medicinae vniuerſalis, qua celebriorum quorumcunque medicorum, qui a primis artis natalibus ad noſtra vsque tempora*

pora inclaruerunt, vitae, nomina, dogmata ſingularia, ratiocinia, hypotheſes, ſectae, quas condiderunt, innouationes ſyſtematum &c. adcurate pertractantur, cuius hactenus priorem ſaltem tomum conſpicere orbi litterato licuit, non pertingit ad ea tempora, ad quae CLERICVS ſuam medicinae hiſtoriam perduxit. Conſtat illa ſex periodis: quarum prima & ſecunda, agens de medicina Hebraeorum atque Aegyptiorum, Francofurti ad Viadrum 1717. 8. tertia & quarta, inſtruens nos de medicina Graecorum, qualis fuit antiquiſſimis temporibus, ibidem 1718. 8. quinta, medicinae Hippocrateae faciem ſiſtens, 1719. 8. ſexta denique, complectens medicinae conditionem ac rationem, qualis fuit a temporibus Hippocratis, vsque ad infelicem illam diuiſionem ſeu diſtractionem medicinae in diaeteticam, pharmaciam ac chirurgiam, eodem loco, eademque forma, anno 1720. typis expreſſa publice comparuit. Num forte recenſio illa huius operis, quae tum mixtae tum nouiſſimae, quae dicitur, Bibliothecae (*vermiſchte vnd allerneueſte Bibliothec*) inſerta legitur, autorem ab vlteriore continuatione huius hiſtoriae abſterruerit? id equidem coniectura haud facile adſecutus fuero.

§. X.

CLERICI Hiſtoria medicinae quum in temporibus ſubſtiterit Galeni; FREINDIVS celeberrimus ſuam inde hiſtoriam phyſices, quam lingua conſcripſit anglicana, *Hiſtory of Phyſick,* incepit. Haec ipſa inſecuto tempore, ob praeſtantiam ſuam, in gallicum idioma h) eſt translata, mox & ciuitate donata romana. Huius operis ea eſt oeconomia ſeu diſtributio: vt geſta artis ſalutaris, inprimis quidem practicae, inde ab aetate Galeni, vsque ad reſtaurationem bonarum artium ac diſciplinarum, ſeculo decimo quinto factam, ita continuando diſpoſuerit, vt parte prima de graecanica; ſecunda vero de arabica; tercia denique de latino-barbarica medicina egerit. Qua occa-

occasione res adeo pulcras, adeo lectu dignas congessit, quae omnes eius lectores cogant, impensam huic historiae ab autore operam grata mente agnoscere.

h) Isthaec versio gallica Lugduni Batauorum, sub hoc titulo: *Histoire de la medecine depuis Galien jusqu'au commencement du XVI. siecle, par Ioh. Freind.* 1727. tribus tomulis in 12. impressa in lucem prodiit publicam. Translatio autem latina, quae tam separatim, quam in Operibus Freindianis iunctim editis, haberi potest, sequenti instructa est inscriptione: IOH. FREINDII *Historia medicinae, a Galeni tempore vsque ad initium saeculi XVI. in qua praecipue notantur, quae ad praxin pertinent: latine versa a* D. IOH. WIGAN.

§. XI.

De singularibus plane meritis viri celeberrimi, inque historia artis medicae haud vulgariter exercitati, IOHANNIS HEINRICI SCHVLZII, superfluum foret, prolixe hic differere. Testatur de iisdem re ipsa *Eius Historia medicinae, a rerum initio ad annum vrbis Romae 535. deducta;* quae Lipsiae 1728. 4. lucem adspexit publicam. Genere scribendi tam solido, tamque docto, adeoque perspicue etiam & sincere conscripta haec est, vt omnes a partium studio alieni lectores continuationem tam bene coepti operis impatienti prope desiderio hactenus & exspectauerint, & expetiuerint. Eo magis quoque haec ipsa est exoptanda, quod Freindiana historia circa meram ferme Praxin occupatur, sepositis maximam partem dogmatibus ac hypothesibus theoreticis, vna cum iis, quae in illis obtigerunt subinde, mutationibus & variationibus. Nihil tamen vlterius a dicto viro longe doctissimo huc vsque publici factum est iuris, praeter *Eiusdem Compendium historiae medicinae, a rerum initio, ad Hadriani Augusti excessum*, Halae 1741. 8. typis exscriptum: quod & ipsum manum desiderat supremam.

§. XII.

Occasione Introductionis in historiam litterariam medicinae, *Anleitung zur Historie der medicinischen Ge-*

Gelahrtheit, quam Germanico idiomate Ienae 1731. in 4to diuulgauit vir longe celeberrimus GOTTLIEB STOLLIVS, hoc vnum eſt, quod monendum duxi: eam ab enumeratis huc vsque ſcriptis in eo differre, quod partim in generaliore parte hiſtoria medicae artis, non, vt alias fieri ſolet, ab antiquiſſimis temporibus, ſed ab aetate Hippocratis coepta ſit, & deinde ad ſeculum decimum octauum deducta; partim vero in ſpecialiore parte, ratione eadem temporis ſeruata, hiſtoria omnium ad medicinam pertinentium, tum theoreticarum, tum practicarum diſciplinarum, quae hactenus in deſideratis fuerat, quanta fieri potuit breuitate, ſit enarrata. Quum ergo particularis iſthaec hiſtoria, potiore ſui parte i), me autore fuerit conſignata, ſufficit hoc ſolum addidiſſe, totum hoc opus non caruiſſe ſingulari eruditorum fauore atque approbatione k). Parine felicitate fruiturum ſit compendium hiſtoriae medicae artis litterariae generalioris, me delineante, anno 1743. in 8. Halae, lingua germanica, ſub hoc titulo: *Kurzer Begriff der Hiſtorie der mediciniſchen Gelahrtheit vberhaupt*, typis exſcriptum ac editum? id vero tempus poſterum docebit.

i) Exceptis ſcilicet capitibus de therapia atque diaetetica, quorum vtrumque STOLLIVM agnoſcit autorem.

k) V. *Acta eruditor.* An. 1732. Menſ. Octobr. p. 465. ſeqq. *Commerc. litterar. Norimberg.* An. 1732. Hebd. XL. p. 319. ſeq. vbi haec leguntur: Scopo ſuo ſatisfecit auctor, & introductionem ad hiſtoriam medicinae litterariam dedit, qua meliorem nondum habemus. Item HEVMANNI Conſpectum reipublicae litterariae cap. V. §. 48. p. 268. Edit. IVtae an. 1735.

§. XIII.

CLIFTONI Angli librum, cuius gallica verſio nuper Pariſiis in 12. prodiit tali titulo: *Etat de la medecine ancienne & moderne, avec vn plan, pour perfectionner celle ci, par Monſ.* CLIFTON, cognitum viterius non habeo, quam, quod in nouis litterariis Lipſienſibus anni 1743. p. 311. ſeq. de eodem legi, iure opti-

optimo mereri illum nomen historiae artis medicae: in qua vero opiniones, dogmata & hypotheses medicorum, qua veterum, qua recentiorum, non nude tantum recenseantur; sed simul seuere examinentur atque censeantur. Quod superest, antequam sectionem huius capitis primam finiam, tribus saltem, quod dicitur, verbis commemorandum mihi est, diuersos quidem viros doctos spem historiae artis medicae vniuersalis edendae nobis dudum fecisse, sed, qui promissa seruaret, inuentum hactenus fuisse neminem l). Namque apud gallos, DIONYSIVS DODARTVS, apud batauos, THEODORVS IANSSONIVS ALMELOVEENIVS, & apud italos IOH. BAPT. CAPPONVS nec non IOH. TORTELLIVS, eiusmodi quidem historiam scribere coeperunt, sed ad calcem non perduxerunt.

l) V. FABRICII Biblioth. gr. volum. XII. p. 726. seqq.

CAP. I. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS HISTORIAE ARTIS MEDICAE SPECIALIORIS.

CONTENTA:

Scriptores de historia Anatomiae §. 2-8. de historia Chirurgiae §. 9. de historia Botanices §. 10-15. de historia Chemiae §. 16. Scriptores de medicina variarum gentium §. 18-21.

§. I.

Scriptorum huc pertinentium non nulli occupati sunt circa hanc illamue medicinae partem historice enarrandam; alii contra artis medicae historiam nationalem veluti consignauere, docentes, qualia eius fata in hac vel illa natione fuerint. De vtrisque ergo, quantum satis erit, dicam, librosque huic cognitioni inseruientes, ordinem semel mihi praescriptum chronologicum secutus, breuiter recensebo.

§. II.

§. II.

Exordiamur ergo, agedum! ab anatome. Huius historiam tum CASP. BAVHINVS, tum THOMAS BARTHOLINVS olim iam enarrare instituerant. Quemadmodum vero a neutro horum quidquam scriptis consignatum de hac re in publicum emanauit a): ita forsitan SIM. PAVLLI *Diatribe* b) *de anatomiae ortu, progressu, praestantia & vtilitate*, quae Francofurti 1683. in 4. denuo edita fuit, omnium primum scriptum fuerit, quod ex instituto de hacce materia egit.

a) V. SELLII Schediasm. de anatomicae historiae scriptoribus & commentariis p. 3.

b) V. Bibliothec. Riuiniana p. 252.

§. III.

Dissertationes illas *de originibus anatomicis, vt &, de peritia veterum anatomica*, quas PHILIPPVS IACOBVS HARTMANNVS, Professor historiarum & medicinae Regiomontanus, anno 1707. Regiomonti defunctus *) emisit, equidem nunquam ipse legi: facile autem ex iis, quae ANDR. OTTOM. GOELICKIVS in Introductione sua in historiam litterariam anatomes p. 8. seqq. inde excerpsit, coniicere licet, multa in iisdem bona, quaeque vsui esse queant, deprehendi. Quare optandum omnino, vt edantur denuo modo dictae dissertationes, quae admodum rarae factae sunt. Nec obstat, quod autor in quibusdam a via recta aberrarit, nimioque antiquitatis amore atque cultu, scientiam anatomicam priscorum medicorum interdum nimiis euexerit laudibus.

*) V. *Das gelehrte Preussen* part. I. p. 312. seqq. vbi exstat breuis narratio de vita atque scriptis illius: quanquam GEO. PETRVS SCHVLZIVS in allegandis dissertationibus eiusdem fere vbique oblitus sit addere annum, quo edita fuit vnaquaeque earum.

§. IV.

ANDREAE OTTOMARI GOELICKII *Historia anatomiae noua aeque ac antiqua, seu, conspectus plerorumque, si non omnium, tam veterum, quam recentiorum scriptorum,*

ptorum, qui a primis artis medicae originibus, vsque ad praesentia nostra tempora, anatomiam operibus suis illustrarunt; quae Halae Magdeburg. 1713. 8. typis fuit exscripta, variis laborat defectibus atque naeuis, quorum non nulli c) a me ipso, in *Stolliana historia medicinae*, & quidem capite illo, quod tractat historiam anatomes, decenti modestia fuerunt indicati. Multo plures autem BVRCH. AD. SELLIVS in *Schediasmate de anatomicae historiae scriptoribus*, a pag. 6. ad 10. vsque, collegit atque notauit. Equidem GOELICKIVS sub finem praefationis, quam repetitae editioni huius operis praemisit, quippe quod, gerens hanc inscriptionem: *Introductio in historiam litterariam anatomes*, Francofurti ad Viadrum 1738. 4. lucem adspexit, affirmat: *hoc opus priori triplo auctius, simul & emendatius esse;* verum enimuero, etsi, hoc opus varia hinc inde incrementa d) accepisse, nemo temere negauerit; eiusdem tamen emendandi sufficientem adhibitam fuisse curam, vt dubitemus, caussam habere videmur non omnino nullam e).

c) Horum non nullos GOELICKIVM ipsum in editione secunda sincere fassum esse, docent sequentia loca abunde, nempe p. 62. 115. 131. 241. 282. Quod vero reliquos maluerit palliando excusare, immo iram coquens monitori asperum se exhibere, hacque occasione GOTTL. STOLLIO, cui tamen cum hoc capite nihil omnino rei fuit, dentes mediumque digitum ostendere, id profecto mirum alicui videri queat. Prudens enim atque a partium studio alienus lector haud difficulter animaduertet, collecta hinc inde folia ficulnea, ad tegendam Goelickianam nuditatem, minime sufficere.

d) Haec ipsa quoque a nouis erratis non esse immunia, id facile quidem ex pag. 128. vbi aetatis *Taliacotii* calculus erroneus ducitur; ex pag. 174. vbi in *Iessenii* patria indicanda a vero aberratur; multisque aliis ex locis probare possem: nisi consultius mihi videretur, autorem, vel modestissimi dissensus impatientem, ad vlteriores iras non prouocare.

e) Testatum hoc ipsum faciunt errores illi, qui, quum priori editioni surrepsissent, in posteriore quoque tolerati comparent: quando v. gr. pag. 42. IOH. GEORG. VOLCKAMERVS iterum venditatur pro autore Zootomiae Democriteae, quae tamen est M. A. SEVERINI; quando p. 123. GABR. FALLOPPII aetas dicitur fuisse

fuisse annorum 73. quum is annos tantum 39. vixerit; quando porro DV VERNEYO pag. 213. nouum vasorum corporis humani systema adscribitur, quod VIEVSSENIO erat tribuendum; quando p. 315. THEOD. KERCKRINGIVS Batauis accensetur, qui tamen ciuitate Hamburgensis erat; & inprimis denique, quando NICOLAVS ille SEVERVS denuo in scenam productus compareat, quem tamen iam dudum inter *Non-entia anatomica* retulerat, ac relegauerat SELLIVS veluti in Vtopiam.

§. V.

IACOBI DOVGLASII *Bibliographiae anatomicae specimen, siue, catalogus omnium pene autorum, qui, ab Hippocrate ad Harueum, rem anatomicam, ex professo, vel obiter, scriptis illustrarunt, opera singulorum & inuenta, iuxta temporum seriem, complectens,* quod Londini 1715. in 8. prodiit, in numero istorum merito locum sibi vendicat librorum, qui singulari industria studioque accurato sunt elucubrati atque conscripti. Etenim autor, non solum in vitis anatomicorum enarrandis; sed etiam in eorundem operibus horumque diuersis editionibus recensendis; maxime autem in annotandis horum inuentis, quam curate quamque exquisita indagine veri rem scrutari soleat, affatim probauit. Dolendum itaque, hunc tractatum ad tempora tantum HARVEI esse deductum. Additamenta enim illa, quae in repetita Lugduni Bat. editione a. 1734. 8. accessere, maximam partem concernunt solum quasdam, vel a DOVGLASIO omissas, vel subsecuto demum tempore excusas, editiones librorum in hoc opere allegatorum. De cetero dolemus, Batauam hancce editionem multis vitiis typographicis admodum esse deformatam f).

f) Legat v. c. cui lubet, catalogum biographorum, & bibliographorum, in fronte huius libri positum; & teneat risum admissus spectatum *Ioachimum Fetterum* illum, *Onomeisium*, *Stolobergium*, *Mart. Raugon*, pluresque alias laruatas eruditorum facies.

§. VI.

Excellens illa lectuque maxime digna *de Incrementis anatomiae saeculi* XVIII. oratio, quam LAVREN-

TIVS HEISTERVS, vna cum similis argumenti *Programmate, de inuentis anatomicis huius saeculi,* Helmstadii 1720. 8. quum Professoris munus auspicaretur, emisit, de artis anatomicae fatis, conditione atque augmentis praesenti hoc saeculo nostro pulcherrimas nobis suppeditat obseruationes. Nihilo tamen minus, ab hoc etiam viro doctissimo & in quouis litterarum genere versatissimo non nulla esse praetermissa, docuit BVRCH. AD. SELLIVS g).

g) In Schediasmate anatomico, de historiae anatomicae scriptoribus & commentariis, pag. 12. sq.

§. VII.

Quemadmodum HEISTERVS vultum ac habitum anatomes, qualis hic sit temporibus recentissimis, nobis delineauit: ita IOH. HEINRICVS SCHVLZIVS de eo fuit sollicitus, vt orbi erudito repraesentaret imaginem eiusdem disciplinae, quonam haec ore se gesserit antiquissimis saeculis, apud Aegyptios & Graecos. Duo *Eiusdem Specimina historiae anatomicae*, quorum prius a. 1721. h) posterius vero a. 1723. Altorfii Noricorum, sub forma Dissertationum, excusa prodierunt, haud minus eruditionis solidae, quam candoris a partium longe remoti studio prae se ferunt; ita, vt, quicunque illa legerit, nihil aeque doleat ac nimiam eorundem breuitatem.

h) Prius hoc specimen Altorfii a. 1723. auctius emissum esse, docent nos BAIERI Biographiae medicorum Altorf. p. 193.

§. VIII.

Anno 1731. BVRCHARDVS ADAMVS SELLIVS edebat *Schediasma* suum *anatomicum, de anatomicae historiae scriptoribus atque commentariis, occasione historiae atque bibliothecae anatomicae vulgandarum*, Kiloni quatuor quaternionibus constans. In hoc aperiebat litteratis consilium suum, de euulganda propediem plena, & historia & bibliotheca anatomica. Cur vero vtile hoc propositum hactenus nondum sit exsecutus?

cutus? quidue aliud ipsius institutum, ne perficeretur, sufflaminarit? id vero rescifcere mihi nondum licuit.

§. IX.

Anatomiam sequatur Chirurgia. Hic vero perparum negotii facessent mihi illi, qui de historia chirurgicae artis sollicitos se praebuerint. Quod si enim non moremur ea, quae, ceu huc pertinentia, GVIDO DE CAVLIACO praefationi, quam *Chirurgiae* ab se conscriptae praemisit, inseruit; quaeque CONRADVS GESNERVS in *Enumeratione* i) *alphabetica chirurgorum illustrium*, adnotauit; quae porro MARC. AVREL. SEVERINVS, sub initia k) *Medicinae* suae *efficacis*; quae denique IOHANNES HORNIVS (VAN HORNE) in *Epilogo Microtechnes* suae, & forsan alii non nulli, quasi obiter & aliud agentes, monuere: neminem profecto deprehendemus, qui peculiari commentatione hoc ex instituto egerit. Excipiendus tamen est vnus, isque iam supra nobis memoratus, GOELICKIVS; is enim, in sua *Historia Chirurgiae antiqua & noua*, quae Halae Sax. a. 1713. 8. iam prelum reliquit, in gratiam illorum, quibus rerum origines nosse volupe est, eiusmodi laborem in se suscipere tentauit.

i) Legi potest haec enumeratio in Sylloge praestantissimorum, qui de chirurgia scripserunt, autorum, quae Tiguri 1555. fol. impressa est, inde a pag. 395. vsque ad pag. 408.

k) Lib. I. Part. I. Cap. 2.

§. X.

De historia Botanices longe plures bene mereri studuerunt: dum quidam eorum in certis praefationibus, alii ex instituto integris tractatibus, de eadem egerunt. Omnium horum primus procul dubio fuit CONRADVS GESNERVS; quippe qui *Herbario* HIERONYMI TRAGI, a DAVIDE KYBERO in linguam latinam translato, quod Argentorati 1552. in 4. impressum prodiit, adeo elegantem praefationem, de

 rei

rei herbariae scriptoribus, praemisit; vt PASCHALIS GALLVS eandem integram parti secundae *Bibliothecae medicae*, a pag. 369. ad pag. 436. inserere, adiectisque non nullis additamentis augere, minime dubitauerit.

§. XI.

Recensio illa botanicorum scriptorum, quam CASPARVS BAVHINVS suo *Pinaci theatri botanici*, Basileae a. 1623. in 4. typis expresso, praefixit, prolixior iam est, &, quia multis annis post *Gesnerianam* illam praefationem consignata est, de multo pluribus etiam viris doctis, herbariae rei peritis, nos instruit. Insecuto autem tempore & ipse BAVHINVS ab OVIDIO MONTALBANO, qui, latens sub transposito nomine IOHANNIS ANTONII BVMALDI, *Bibliothecam* suam *botanicam* Bononiae anno 1657. in 16. emisit, est superatus: dum in eadem primum quidem graecos, deinde vero latinos, hinc arabicos, tandem & recentiores Botanicos, vnacum eorum operibus, tam impressis, quam manuscriptis, ad vltima vsque tempora, omni studio enarrauit. Etsi igitur hocce opusculum suis naeuis non omnino careat; laudandus tamen nihilominus est IOHANN. FRANCISCVS SEGVIERIVS, quod illud, ob sui raritatem, & quoniam complura continet, quae alibi frustra quaesiueris, denuo imprimendum, suaeque Hagae Comitum anno 1740. in 4. vulgatae *Bibliothecae botanicae*, de qua mox pluribus verbis dicendum mihi erit, inserendum curauit l).

l) Vide Noua litterar. germanica Lipf. anni 1740. pag. 868.

§. XII.

IOHANNES RAIVS in *Prolegomenis*, in fronte prioris tomi suae *Historiae plantarum*, quae Londini anno 1686. in folio impressa fuit, positis, multa notatu perquam digna, quaeque ad historiam Botanicorum haud parum conferant, in medium adtulit, nec

non

non de meritis multorum rei botanicae ſtudioſorum libere & citra partium ſtudium iudicauit; illos tamen ſolos indicauit, qui in denominandis plantis allegantur. Quidnam vero PETRVS HOTTONVS in *Sermone academico, quo rei herbariae hiſtoria & fata adumbrantur*, quemque Lugduni Batau. 1695. 4. quum adgrederetur munus Profeſſoris publici, diuulgauit m), praeſtiterit hac in re, id equidem indicare non poſſum, cuius ad manus hic ipſe ſermo nunquam peruenit.

m) Vid. Bibliothec. Riuiniana, pag. 175.

§. XIII.

Praeſtantiſſimum pariter ac pleniſſimum opus, quod in hoc ſcriptorum genere, de hiſtoria botanices atque botanicorum, oſtendi potuit, fuit hactenus elegantiſſima illa & fauente Minerua elaborata *Iſagoge in rem herbariam*, quam vir celeberrimus IOS. PITTON DE TOVRNEFORT, ſuis Lutetiae Pariſiorum anno 1700. 4. euulgatis *Inſtitutionibus rei herbariae* praepoſuit. Hic enim non vitas ſolum botanicorum multa cum cura nec minori cum labore indagauit; ſed de ſcriptis etiam eorundem ex inſtituto ac plene egit, idque tali modo, vt horum indolem, pro cuiusque valore ac merito, libero quidem, ſed maximam tamen partem veraci ſcribendi genere adumbrauerit. Sicubi vero vnum alterumue omiſit, aut alicubi impegit, iſtud a digno eius ſucceſſore, ANTONIO IVSSIEV, in diuulgatis anno 1719. Lutetiae Pariſiorum in 4. *Appendicibus ad* IOS. PITT. TOVRNEFORTII *Inſtitutiones rei herbariae*, pro virili fuit correctum atque emendatum. n)

n) Vid. Noua litterar. germanic. A. 1719. p. 655. ſeq.

§. XIV.

CAROLI LINNAEI *Bibliotheca botanica*, quae Amſtelodami anno 1736. in 8. lumen adſpexit, a SEGVIERIO diuerſorum errorum eſt accuſata; ex-

ſpectandum vero, quid autor eius, pro ſui defenſione, in medium ſit allaturus. Quod attinet autem ad *Bibliothecam botanicam, ſiue, catalogum autorum & librorum omnium, qui de botanica, de medicamentis ex vegetabilibus paratis, de re ruſtica & de horticultura tractant,* a IOH. FRANCISCO SEGVIERIO digeſtum, qui, vna cum IOH. ANTONII BVMALDI denuo edita Bibliotheca botanica, Hagae Comitum anno 1740. in 4. prodiit in publicum, eum equidem vlterius non noui, quam, quod in nouis litterariis anni dicti 1740. pag. 867. ſeqq. de eodem non ſine inſigni encomio legi, eum omnibus reliquis huius argumenti libris, qua accurationem, qua plenitudinem, dubiam reddere palmam.

§. XV.

Si *Bibliotheca botanica, continens autorum, qui rem herbariam per annos bis mille ad haec noſtra vsque tempora tractarunt, imagines, vitas & ſcripta, quotquot haberi potuerunt, adiecta recenſione contentorum & cenſura* ad exoptatum finem pertigiſſet, quam ſub manibus habebat quondam AVG. QVIRIN. RIVINVS, o) vir, ſi quis alius, in notitia rei herbariae verſatus, omnibusque ad tam arduum opus neceſſariis ſubſidiis abunde inſtructus; opus profecto haberemus in ſuo genere perfectum, & cui vix aliud vllum foret comparandum. Aſt exſpirauit vna cum defuncto hoc magno viro omnis huius operis perficiendi ſpes; eoque magis hoc ipſum dolendum, quod orbis litteratus, praematuro fato ELIAE FRIDERICI HEISTERI, ſimili molimine haud ita pridem ſit orbatus. p)

o) Vid. Catalogus librorum Riuinianorum, tam impreſſorum, quam manuſcriptorum, quos affectos reliquit, qui fronti bibliothecae Riuinianae eſt praepoſitus.

p) Hunc quoque in elaboranda *Hiſtoria Botanices* fuiſſe occupatum, teſtatur Programma exſequiale, quod vna cum allocutione Kippingiana Helmſtadii 1740. 4. impreſſum eſt, conſtans octo plagulis.

§. XVI.

§. XVI.

Post Botanicen, locum hic inuenit Chemia; quanquam in recensendis illis, qui eius historiam consignarunt, non erit, quod multum operae insumam. OLAI BORRICHII *Dissertatio de ortu & progressu chemiae*, quae Hafniae 1668. 4. typis exscripta diuulgataque est, huc certe minime pertinet. Scopus enim, quem is, aeque in hoc libro, quam in *Conspectu Chemicorum illustrium*, quo titulo alius eiusdem liber, eodem loco, ast post mortem autoris, nempe anno 1697. 4. in lucem est editus, sibi praefixum habet, eo potissimum tendit, vt historiae illius chemicae artis speciei, quae circa mutanda metalla versatur, inquirendae operam suam *Borrichius* impenderet. Quum autem hoc loco de historia chemiae pharmaceuticae tantum sermo nobis instituatur, quae, quantum quidem scio, a nemine eruditorum peculiari opere q) illustrata fuit; apparet hinc, praeter ea, quae CONRINGIVS in *Medicina* sua *hermetica* r) hac de re adnotauit, quaeque alii quidam veluti obiter s) tantum delibarunt, parum, quod alicuius sit momenti, in medium posse proferri.

q) De iis, qui bibliothecas tantum chemicas in lucem emiserunt, dicendi occasio se mihi offeret in sectione huius capitis primi quarta.

r) Idque Lib. II. cap. 14. & 15. a pag. 399. ad pag. 422. editionis Helmstadiens. anni 1669. 4.

s) V. C. GEORG. ERNEST. STAHLIVS in Praefatione libri germanice a se editi: *Zufällige Gedancken vom Sulphure.*

§. XVII.

Quod ad reliquas medicinae partes adtinet, sunt illae ab historiae lumine hactenus parum illustratae, latentque veluti in obscuro; nemo saltim autorem aliquem producere poterit & nominare, qui historiam Physiologiae, Pathologiae, Semiotices, Therapias & Materiae medicae ex instituto & peculiari opere deduxerit. Contentos itaque studiosos medicinae medicaeque historiae oportebit esse particulari illa narratione historica, quae de omnibus artis

medicae partibus, in Introductione *Stolliana* ad historiam medicinae litterariam inuenitur: quae breui quidem & tenui veluti filo, fideliter tamen &, quod spero, solide instituta est, atque ita vt incipientibus sufficere queat.

§. XVIII.

Haec sufficiant de scriptoribus illis, qui de hac illaue medicinae parte fuere solliciti: iam illos aggredior, qui de historia medicinae diuersarum nationum aliquid scripserunt, memoriaeque prodiderunt. Sic respectu Hebraeorum, AVGVSTINI CALMETI, t) monachi illius Benedictini perquam celebris, *dissertatio* gallicana lingua conscripta, *de Medicis & re medica Hebraeorum;* quoad Sinenses ANDREAE CLEYERI u) *Specimen medicinae Sinicae*, vt & GVILIELMI TEN RHYNE w) *Dissertatio de acupunctura Sinensium & Iaponensium;* ratione Malabarorum, IOH. ERN. GRVNDLERI x) *Medicus Malabaricus;* quod vero concernit Indos, IACOBI BONTII & GVILIELMI PISONIS *de Indiae* y) *vtriusque re naturali & medica Libri XIV.* euolui legique possunt.

t) Haec commentario ipsius in Siracidae librum, qui Lutetiae Parisior. 1714. 4. est excusus, praemissa est.

u) Francofurti 1682. 4.

w) Londini 1683. 8.

x) De hoc tractatu MSto Grundleriano, cuius auctor, functus missionarii & praepositi munere, ipse in Malabaria vixit, legi potest Bibliotheca obseruationum nouissima, Sect. VIII. pag. 380. seqq. vbi excerpta inde vberrima habentur, quae deinceps etiam Actis physico-medicis Academiae naturae curiosorum sunt inserta.

y) Amstelodami 1658. fol.

XIX.

Aegyptiorum antiquissimorum medicina a duumuiris toto orbe litterato notissimis, HERMAN. CONRINGIO, & OLAO BORRICHIO, multo vtrinque cum eruditionis apparatu, at diuerso iudicio, est examinata: dum alter in *Libris II. de medicina Hermetica,* quorum optima est editio, quae Helmstadii anno

1669.

1669. in 4. exiit, de eiusdem indole perquam contemtim; alter vero in *Hermetis Aegyptiorum & chemicorum sapientia*, ab HERM. CONRINGII *animaduersionibus vindicata*, qui liber Hafniae 1674. 4. est excusus, tanto honorificentius de eadem commentari conati fuere. Ne tamen, quid ipse de hac controuersia iudicem, celem, fateor, Conringianam mihi opinionem, potissimam sui partem, vero propiorem videri. Si quem iuuet, de nouissimis fatis medicinae Aegyptiacae eiusque conditione, notitia aliqua instrui, is PROSPERI ALPINI *Libros IV. de medicina Aegyptiorum*, Lugduni Batau. anno 1718. 4. denuo excusos, commendatos sibi hanc in rem habeat. z)

z) Etiamsi enim hic autor videri velit antiquissima simul tempora respexisse; contrarium tamen IOH. HEINR. SCHVLZIVS in Historia medica p. 41. testatus est.

§. XX.

Europaeas quoad nationes, pauci sunt inuenti, quibus hic locus aliquis concedi queat. THOMAE nihilo minus BARTHOLINI a) Dissertationes X. *de medicina Danorum domestica*, vt & IAC. FRIED. REIMMANNI *Historia medicae artis Germanorum*, teutonica lingua exarata, annotari omnino merentur. Posterior hic in Introductione sua in historiam Germanorum litterariam, itidem patrio scripta sermone, & quidem parte eius postrema, quae Halis Sax. 1713. 8. prodiit, historiam medicinae, qualis eius apud Germanos fuerit cultura, ab inuenta arte typographica, ad recentissima vsque tempora, adeo nitide adeo quoque lepide enarrauit, vt admiratio saepius mentem subierit meam, qua ratione theologus, & quidem talis, qui a prima ferme iuuentute officiis scholasticis & ecclesiasticis, iisque grauibus aeque ac laboriosis, functus fuit, eiusmodi opus elucubrare potuerit, cui e centum ita dictis doctoribus medicinae vix vnus aptus foret. Quae vero idem vir doctissimus de conditione ac fatis huius disciplinae antiquissimis

& mediis saeculis, Parte I. & II. monuit, ea parui sunt momenti. Dubito etiam, IOH. GOTHOFR. HAHNIVM, in *Dissertatione sua de medicina veterum Germanorum*, quam Lipsiae anno 1717. 4. b) habuit, ob inopiam monumentorum huc facientium, plura in medium adduxisse.

a) Hafniae 1666. 8.
b) Vid. Bibliothec. Riuinian. p. 174.

§. XXI.

Quod si EDVARDI MILWARDI, medici Londinensis, molimina feliciter cesserint, dum is cuncta notatu digna, quae per diuersas medicae artis partes, a remotissimis inde saeculis, ad nostros vsque dies, in insulis Britannicis obuenerunt, recensere constituit, magna certe natio Anglicana prae reliquis, gauisura foret praerogatiua. Patet enim ex publicato Londini 1740. 8. schemate, c) consilium cepisse autorem, non solum de diuersis, quae medicina in illo regno subiit, fatis, sed etiam de vitis celebriorum, qui ibidem fuerunt, medicorum, de eorundem hypothesibus ac controuersiis, scriptis quoque & nouis inuentis, tales memorias, seu relationes consignandi, quae sint & fide dignae, & in quibus nihil eorum, quae ad rem pertinent, desideretur.

c) Vid. Noua litteraria dicti anni 1740. p. 897. seqq.

CAP. I. SECT. III.

DE IIS, QVI MEDICORVM VITAS ENARRARVNT; SIVE, DE BIOGRAPHIS MEDICIS.

CONTENTA:

Biographi medici deperditi vel latentes §. 1. 2. *Scriptores, qui vitas medicorum generatim descripserunt* §. 3 - - 10. *Scri-*

Scriptores, qui vitas medicorum ſpeciatim illuſtrarunt. §. *11. - - 18.* *Scriptores, qui vitas medicorum ſingulatim conſignauerunt.* §. *19. - - 26.*

§. I.

Siquidem non vnius generis ſunt autores illi, qui enarrandis medicorum vitis occupantur; dum quidam vitas medicorum in genere; alii vitas medicorum in ſpecie, pro diuerſitate regionum, vrbium, atque temporum, quibus eorum quisque floruit; non nulli denique vitam huius illiusue medici ſigillatim, memoriae prodere ſtuduerunt: conſultum mihi viſum, ſcriptores huc pertinentes, ſecundum tres claſſes iſtas, diſponere, & vbique maxime neceſſaria adnotare.

§. II.

Prius autem quam recenſionem eorum adgrediar, qui vitas medicorum in genere a) deſcribere conati ſunt, paucis obſeruandum duco, multos viros ad id praeſtandum quam maxime idoneos huiusmodi quidem laborem in ſe ſuſcipiendum promiſiſſe b) publico, ſed eundem tamen minus perfeciſſe. Dolendum hinc, de IOHAN. HEINR. MEIBOMII *Vitis illuſtrium medicorum*, de THOMAE REINESII *Hiſtoria medicorum*, de MART. FOGELII *Hiſtoria medicorum praeterita*, de GEORG. HIERON. WELSCHII *Hiſtoria medicorum orientalium*, & *Idea chronologiae medicorum*; vt & de AEGIDII MENAGII *Hiſtoria medicorum*; denique de IVL. GVASTAVINI *Vitis illuſtrium medicorum;* praeter titulos nihil vlterius innotuiſſe, quanquam MEIBOMIVS, REINESIVS & MENAGIVS opus quisque ſuum, cui inſudabant, prope adfectum c) reliquerint.

a) Libri SORANI dudum amiſſi, quem de *Vitis & ſectis medicorum* compoſuerat, mentio iam ſuperius eſt facta.

b) De eo plura legi poſſunt apud IAC. FRIDER. REIMMANNVM in dem *Verſuch einer Einleitung in die Hiſtoriam litterariam* pag.

pag. 282. seqq. & in IOH. ALB. FABRICII Bibliotheca Graec. Vol. XII. pag. 726. seqq.

c) Manuscriptum *Menagianum* in Bibliotheca *Bignonii* Abbatis depositum fuit; *Meibomianum* vero adseruat familia Meibomiana Helmstadii: sed vbi *Reinesianum* delitescat, ignoratur; prelo autem paratum istud fuisse, apparet ex REINESII *Epistolis ad Rupertum & Hofmannum* p. 579.

§. III.

Primum ergo ex scriptoribus generalibus habebit locum SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, *qui tractatu* suo *de claris medicinae scriptoribus veteribus & recentioribus*, primum Lugduni in Gallia 1506. 8. d) diuulgato, postea vero saepius de nouo impresso, & additamentis REMACLI FVCHSII aucto denique e) reliquis viam hic muniuit, & veluti fundamenta prima posuit. Quamuis vero iste autor, cum hoc scripto, tum reliquis suis monumentis historicis parum honoris sibi acquisiuerit, quia, CONRADO GESNERO iudice, f) maximus promissor ac Thraso fuit, qui splendidos vt plurimum titulos, macros autem libros dedit, nec tanto dignum hiatu quid tulit; nihilo tamen minus, quum primus hanc arenam ingressus sit, veniam mereri videtur.

d) Vid. Linden. renouat. pag. 988. seqq.

e) Lugduni 1531. 8. & Paris. 1542. 8. auctior haec editio prodiit. Et REMACLI vero FVCHSII, quotquot edidit, opera perparui aestimata fuisse CONRADO GESNERO, testatur Eius Bibliotheca p. 581.

f) Vid. Eius Bibliothecam pag. 606.

§. IV.

WOLFFGANGI IVSTI *Chronologia* g) *omnium illustrium medicorum, tam veterum quam recentiorum*, quae Francof. ad Viadr. 1556. 8. in lucem edita publicam, est quidem e numero rariorum, sed simul & valde mendosorum librorum. h) Nihilo minus tamen hoc opusculum apprime vtile multorumque vsui inseruiturum fuisset, si noua illius editio, quam GEORG FRANCVS A FRANCKENAV promisit, & vna cum augmentis atque emendationibus suis, vt & cum

IOH.

IOH. RHODII *Chronotaxi medica* i) e MSto addita, editurus fuit, ad colophonem perducta fuisset.

g) Scriptum istud in CONRINGII introduct. in art. med. cap. III. §. 39. p. 113. erronee IODOCO WILLICHIO tribuitur.
h) Vid. CLERICI Praefat. Histor. medic.
i) Vid. *Epistolas ad Schelhammerum*. p. 283.

§. V.

Nomenclatura illa medicorum, quam celeberrimus & in lectione multorum librorum versatissimus Iurisconsultus Gallicus, ANDREAS TIRAQVELLVS, praestantissimo suo *Operi de Nobilitate*, quod Basileae a. 1561. fol. editum est, Cap. XXXI. vna cum aliis diuersi generis schediasmatibus, k) inseruit, nihil est aliud, quam elenchus alphabeticus medicorum veterum, multa quidem industria nec minori labore congestus, non carens tamen naeuis atque defectibus suis, qui non pauci huc irrepserunt. Posteaquam vero IOH. ALB. FABRICIVS *Elenchum* huncce *medicorum veterum*, praecipue eorum, quorum scripta desiderantur, vel de quibus mentio in priscis monumentis occurrit, Volumini XIII. Bibliothecae suae Graecae l) addidit, adiectis simul additamentis atque emendationibus non parui momenti, ita, vt priori editioni haec fere plane dissimilis facta sit; potest omnino iam medicus, quantum concernit inprimis notitiam Graecorum veterum medicorum, hunc elenchum non absque vtilitate perlegere.

k) v. c. *de Sanctis medicis; Angelis medicis; Imperatoribus medicis; Summis Pontificibus medicis; Poetis medicis; Philosophis medicis* &c.
l) Et quidem inde a pag. 15. vsque ad p. 457. Plura autem sunt intersperfa, quae huc non pertinent; quemadmodum IOH. STEPHANI *Diatribe de theologia Hippocratis*, SEXTI *Platonici Libellus de medicina ex animalibus*, & VINDICIANI *Carmen de medicina*, cum eiusdem *Epistola ad Valentinianum*, integra huc sunt inserta.

§. VI.

CASPARIS PEVCERI *Vitis illustrium medicorum*, quae MELCHIORE ADAMO teste, m) Argentorati

1571.

1571. non adiecto tamen PEVCERI nomine, impressae dicuntur, non est quod immorer. Quoniam enim, quantum ego quidem scio, nemini doctorum illae vnquam sunt visae; latitare easdem, nisi tota de hoc libro Peuceriano narratio falsa plane est, alicubi manuscriptas, necesse est. Quantum vero adtinet ad IOH. SAMBVCI, Historiographi quondam caesarei, *Icones veterum aliquot & recentiorum medicorum ac philosophorum*, quae Antwerpiae 1574. fol. & deinceps auctiores n) Lugduni Batau. 1603. fol. in lucem sunt emissae; id vnum monendum duco, pauca ibi notatu digna de medicorum vitis obuenire.

m) Vide Eius Vitas medicorum, pag. 390.

n) Vide BLOVNTII *Censur. celebrior. autor.* p. 783.

§. VII.

PETRI CASTELLANI *Vitae illustrium medicorum, qui toto orbe ad haec vsque tempora floruerunt*, Antwerpiae 1618. 8. typis exscriptae prodierunt, explentes vix septem & decem plagulas, easque nequidem integras. Rarior quidem, sed exigui momenti libellus o)! Autor, qui iuuenis adhuc eum conscripsit, de medicis illis, quos hic ordine chronologico p) in aciem producit, quorumque numerus nondum ad duas integras centurias adsurgit q), narrationem ieiunam ac macilentam plerumque, interdum etiam plane falsam ac erroneam instituit. Eam ob caussam merito quis miretur, qui factum sit, vt IACOBVS GRONOVIVS schediasma isthoc Tomo Xmo *Thesauri* sui *Antiquitatum Graecarum* inserendum curauerit. Num additamenta atque emendationes DIONYSII VOSSII, quae inter Codices manuscriptos ISAACI VOSSII inuenta fuisse, testatur COLOMESIVS, alicuius ponderis fuerint? de eo certi quid affirmare nequimus.

o) Vid. CONRING. introduct. in art. medic. Cap. III. §. 39. p. 113. sq. CLERICVS in Praefat. Historiae suae medicae praemissa, & REIMMANNI *Idea Systematis antiquitatum litterar.* p. 31.

p) Hunc

p) Hunc ipſum tamen interdum deſerere, non duxiſſe eum ſibi religioni, vel inde apparet, quod p. 129. prius de PAVLLO AEGINETA, & deinde demum de AETIO, item pag. 136. de AVICENNA, pag. 142. autem de RHAZE egit.

q) Vid. LINDEN. renouat p. 883. ſequ. vbi habetur eorum elenchus alphabetico ordine recenſitus, in quo tamen medici illi p. 232. adducti, IASON nempe *Pratenſis*, REIN. SNOYVS, BALD. RONSSEVS, NICAS. ELLEBODIVS, ARN. LENSAEVS, & HERM. CRVSERIVS non comparent.

§. VIII.

RENATI MOREAV *Tractatus de miſſione ſanguinis in pleuritide*, qui Lutet. Pariſ. 1622. 8. in publicam emiſſus lucem, haud ita pridem, ob ſui raritatem, Halae Sax. 1742. 8. cura IOH. HEINRICI SCHVLZII, denuo impreſſus eſt, primo adſpectu vix videatur huc referri poſſe. Verum enimuero ſi quis perpenderit illa verba, quae in libri inſcriptione leguntur: „vbi „demonſtratur, qua corporis parte detractus ille fue-„rit a duobus annorum millibus, ex omnium pene „medicorum, graecorum, latinorum, arabum, barba-„rorum, exacta enumeratione, iuxta temporum, qui-„bus floruerunt, ſeriem inſtituta;„ facile is cauſſam coniiciet, cur index hic quoque chronologicus locum hic mereatur? Eadem eſt ratio libri poſthumi GERHARDI IOH. VOSSII *de Philoſophia*, qui Hagae Comitum 1658. 4. diuulgatus fuit; quippe in cuius Capitibus XI. XII. XIII. XIV. occurrunt de priſcis medicis r) obſeruationes adeo pulchrae, lectu adeo dignae, quales in hoc opuſculo, ſi titulo tenus illum iudices, nunquam quaeſiueris.

r) Vid. FABRICII Biblioth. Graec. Volum. XII. p. 733.

§. IX.

CHRISTIANI IOHANNIS LANGII *Hiſtoria medica*, quae operibus eius medicis Lipſiae a. 1704. fol. iunctim editis praemiſſa eſt, nihil eſt aliud, niſi ſceleton quoddam alicuius hiſtoriae medicorum, vbi ordine chronologico medici, non tamen ſine multis lacunis, enarrantur. An autem & in quantum liber

bata-

batauico idiomate ſcriptus, gaudensque ſequenti titulo: ROELOF ROVKEMA *Naam-boeck der beroemde Genees-en Heelmeeſters*, qui Amſtelodami 1706. 8. excuſus eſt, huc pertineat? equidem dicere non poſſum, cui dictus liber vlterius haud innotuit, quam, quod citatum inueni eum in Bibliotheca *Riuiniana* pag. 178. Immo ex iſthoc tam accurate diſpoſito catalogo coniicere poſſe videor, opus illud ad bibliographicos potius, quam ad biographicos, referendum eſſe libros.

§. X.

De *Lexico Medicorum doctorum, in quo celeberrimorum medicorum vitae, vna cum praeſtantiſſimis eorundem ſcriptis, inuentis praecipuis, & controuerſiis notatu maxime dignis, ex optimis fideque digniſſimis autoribus, ordine alphabetico, quanta fieri potuit breuitate, idiomate germanico* a me ſunt enarratae, quodque Ienae 1740. 4. in lucem eſt emiſſum publicam, vt plura hic addam, vix a me impetrare poſſum. Quod ſi de cetero meus iſte labor ex merito nactus ſit encomion illud, quo in Nouis litterariis Lipſienſibus anni 1741. p. 70. ſeq. ornatus legitur, parum abeſt, quin credam, futurum, vt ii, qui hiſtoriae ſalutaris artis ſunt ſtudioſi, haud parum vtilitatis & commodi ex iſthoc lexico percipiant.

§. XI.

De iis hactenus a me dictum, qui vitas medicorum vniuerſim & in genere deſcribere ſunt conati: iam ordo propoſitus tractationis requirit, vt de illis quoque verba facere pergam, qui ſpecialiore ratione, habito reſpectu ad diuerſas prouincias, vrbes & aetates, vitas quorundam eo pertinentium medicorum enarrare inſtituerunt. Poſtulant ſibi hic inprimis locum quendam concedi MELCHIOR ADAMVS, HENNING. WITTENIVS & FRANC. IOSEPH. GRIENWALDVS, idque eam ob cauſſam: quia primus de medicis Germanicis ſaeculi XVIti, alter de

quibus-

quibusdam medicis celebrioribus ſeculi XVIImi, tertius denique de medicis Bauaricis, quaedam memoriae prodere ſtuduerunt.

§. XII.

Vitae germanorum medicorum, qui ſaeculo ſuperiori, & quod excurrit, claruerunt, congeſtae & ad annum vsque 1622. *deductae* a MELCHIORE ADAMO, quae Heidelbergae 1620. in 8. excuſae prodierunt in publicum s), opus ſunt adeo improbo labore elucubratum, vt optandum foret, eiusmodi biographias de aliarum quoque nationum medicis plures exſtare. Vnum ſaltem eſt, de quo dolendum, in recenſendis horum medicorum ſcriptis nimis incurium fuiſſe ADAMVM; rariſſime enim editionis locum & annum, librique editi formam, quae dicitur, adnotauit. HENNINGI vero WITTENII *Memoriae medicorum, quarum decades duae* Francofurti 1676. 8. ſunt excuſae, continent vitas paucorum quorundam, attamen celebriorum medicorum, qui ſaeculo XVII. inclaruere, quorumque elenchus exſtat in FABRICII Bibliotheca Graeca, volum. XII. pag. 735. ſeqq. De FRANCISCI denique IOSEPHI GRIENWALDII *Albo Bauariae iatricae, ſeu, catalogo celebriorum aliquot medicorum, qui ſuis in Bauaria ſcriptis medicinam exornarunt, ab anno* 1450. *in hodiernam vsque lucem*, qui libellus Monachii a. 1733. 8. conſtans plagulis decem atque dimidia, in lucem prodiit, euolui poteſt Commercium litterarium Norimbergenſe Ann. 1733. pag. 282. ſeqq. vbi hoc ſchediaſma recenſetur.

s) Editae ſunt hae vitae, teſte FABRICIO Bibliothecae Graec. Vol. XII. pag. 735. etiam Francofurti 1653. 8. & ibidem 1705. fol. vna cum reliquis biographiis Adamicis recuſae. Indicem medicorum ibi recenſitorum inuenimus in LINDENIO renouato, pag. 804. ſeqq. vbi & editionis Heidelbergenſis, quae in forma quadripartita prodierit, fit mentio. Eam vero mihi oculis vſurpare nunquam contigit.

§. XIII.

IOH. LEONIS AFRICANI *Vitas medicorum & philoſophorum quorundam arabum* pene omiſiſſem. Exi-

guae molis libellus iste, qui ab autore stilo Latino-barbarico t) conscriptus, a IOHANNE vero HEINR. HOTTINGERO primum publicatus, eiusdemque *Bibliothecario quadripartito*, qui Tiguri 1664. 4. prodiit, inde a pag. 246. seqq. insertus fuit, pauca, quae alicuius sint momenti, continet, dignum tamen nihilominus habuit IOH. ALB. FABRICIVS, quem totum Bibliothecae suae Graecae Volum. XIII. a pag. 259. ad pag 298. insereret, annotationibusque suis illustraret.

t) vid. HOTTINGERVM c. l. pag. 291. qui sub finem huius libelli ita scribit: „Leonem africanum, pro vitio sui seculi malui sistere „balbutientem non nunquam aut hallucinantem, quam nouo vesti- „tum schemate interpolatum. Rarissime, vbi sensus fuit hiulcus, „voculam vnam & alteram mutaui.„

§. XIV.

De vitis medicorum certarum vrbium qui bene mererentur, fuerunt etiam non nulli. De medicis Parisiensibus multa egregia notatuque dignissima inuenias in GABR. NAVDAEI *Panegyri de antiquitate & dignitate scholae medicae Parisiensis*, quae Lutetiae Parisiorum 1628. 8. diuulgata fuit. Ceterum meliora fortassis & plura de iisdem habituri essemus, si RENATVS MOREAV *Vitas medicorum Parisinorum* a se promissas ad exoptatum perduxisset finem. Anonymum quendam e chirurgis Parisinis edidisse *Indicem funereum chirurgorum Parisiensium ab anno 1315. ad 1714. defunctorum* autore M. I. D. V. u) Treuoltii 1714. in 12. impressum, annotauit IOH. ALB. FABRICIVS, Biblioth. Graec. Volum. XII. p. 745.

u) E litteris hisce initialibus fere coniicerem, ita dictum *Maitre Jean de Vaux* esse istius indicis autorem.

§. XV.

Theatrum illud, *in quo maximorum christiani orbis pontificum archiatros* PROSPER MANDOSIVS, *nobilis romanus, ordinis S. Stephani eques, spectandos exhibet*, quod Romae 1696. 4. excusum est, constans plagu-

lis

lis viginti nouem, continet notitiam ſatis accuratam & ſufficientem medicorum aulae pontificiae principum, quae ordine alphabetico, quem eorundem praenomina ſuppeditant, eſt adornata. De Bononienſibus medicis, neſcio, an peculiare quid ſit editum, praeter ea, quae OVIDIVS MONTALBANVS in *Cenotaphiis* w) *clarorum aliquot doctorum Bononienſium*, & in *Catalogo* x) *omnium doctorum collegiatorum in artibus liberalibus, & in facultate medica*, de illis in medium protulit. Quod ſi vero idem hic diligens & in libris lectis verſatiſſimus vir *Elogia* ſua *praecipuorum doctorum Bononienſium* libris duobus digeſta, ad calcem perducere potuiſſet, quae MSta reliquit, nullum eſt dubium, quin perfectum quid & abſolutum hac de re fuiſſemus habituri.

w) Bonon. 1640. 4. vid. ORLANDI *Notizie degli ſcrittori Bologneſi* p. 222. ſeq.
x) ibid. 1664. 4.

§. XVI.

Iam ante integrum, & quod excurrit, ſaeculum, IOH. BAPT. SYLVATICVS, *in libro de collegii Mediolanenſium* y) *medicorum origine, antiquitate & neceſſitate*, diuerſa de medicis Mediolanenſibus adnotauit; nullus autem dubito, quin BARTHOLOMAEVS CORTE in libro Tuſcana lingua conſignato, & inſcripto: *Notizie iſtoriche intorno a' medici ſcrittori milaneſi, & a' principali rittrouamenti fatti in medicina dagl' Italiani*, qui Mediolani 1718. 4. in lucem prodiit publicam, multis illum paraſangis ſuperauerit. De medicis Veronenſibus ANDREAS CHIOCCVS compoſuit peculiare opuſculum optimae notae, quod inſcripſit, *De collegii Veronenſis illuſtribus medicis* z) & *philoſophis*, conſtans non pluribus quam viginti tribus plagulis. Quod vero Ferrarienſes adtinet medicos, egit de illis IOSEPHVS LANZONVS peculiari ſchediaſmate, cui titulum dedit: *De iatrophyſicis Ferrarienſibus.* a) An, & quando VIRGILII COCCHI *Album excellentiſſimorum doctorum philoſophiae, artium & medicinae, in al-*

mum Perusiae collegium admissorum, *ab anno* 1432. *ad annum* 1735. in dias luminis auras sit prodicurum? id vero tempus docebit: interim didicimus e Nouis litterariis Anni 1736. pag. 524. opus illud MStum ab autore defuncto prelo maturum fuisse relictum.

y) Mediolani 1607. 4.

z) Veronae 1623. 4. Recusus etiam est nuper hic ipse tractatus in BVRMANNI *Thesauro* Ital. Tom IX. Part. VIII.

a) Bonon. 1691. 4. hoc quoque schediasma in modo dicti *Thesauri* BVRMANNIANI Tomo allegato inuenitur.

§. XVII.

Nec defuere in Germania viri eruditi, qui ad illustrandam hanc historiae partem calamo vsi sunt. Ita LVCAS SCHROECKIVS in sua *Hygea* b) *Augustana*, seu *Memoria saeculari collegii medici Augustani*; & IACOBVS BRVCKERVS, in adiecta *Vitis* c) *Adolphorum Occonum Prolusione de medicis Augustanis saeculo XVIto celebribus*, de medicis Augustanis fuere solliciti: AVG. QVIRINVS RIVINVS in programmate quodam Lipsiensi a. 1719. 4. impresso, decanos facultatis medicae Lipsiensis, ab anno 1415. vsque 1719. recensuit: vir celeberrimus IVSTVS CHRISTOPHORVS BOEHMERVS suas *Memorias* d) *professorum Helmstadiensium, in medicorum ordine*, qui diem suum obierunt, prolusionibus binis descriptas emisit: & IOH. IAC. BAIERVS pulcherrimas illas studiosissimeque elucubratas *Biographias* e) *professorum medicinae, qui in academia Altorfina vnquam vixerunt*, singulorum aere expressis iconibus additis, cum historiarum amantibus communes esse iussit: quibus omnibus incomparabilis ille Danorum medicus, THOMAS BARTHOLINVS praeiuit, quando in *Cista* sua *medica Hafniensi* f) etiam *Vitas medicorum Hafniensium* consignare conatus est.

b) August. Vindelic. 1682. 4. BRVCKERVS quoque hocce Schediasmation recudendum & conscriptis a sese vitis Occonum annectendum curauit.

c) Lipsiae 1734. 4.

d) Me-

d) Memoriae hae, quae haud pluribus quam octo plagulis constant, Guelpherbyti 1719. 4. prodierunt, & perquam elegantem lectuque dignissimam de viginti quinque professorum medicinae Helmstadiensium vitis ac scriptis continent narrationem.

e) Norimb. & Altorfii 1728. 4. Comprehensae sunt hae biographiae, exceptis iconibus, viginti quinque plagulis, &, aeque ac memoriae Boehmerianae, a fundatione academiae incipiunt, continuatae vsque ad recentissima tempora. An promissa in praefatione paralipomena lucem vnquam sint visura? me quidem latet.

f) Hafniae 1662. 8. vid. LINDEN. renouat. pag. 1008.

§. XVIII.

Quod si moras nectere vellem circa autores illos, qui peculiariter de medicis sanctis fuere solliciti; concedendus hic aliquis locus foret IOHANNIS MOLANI *Diario medicorum ecclesiasticorum;* g) ABRAH. BZOVII h) *Nomenclatori sanctorum, professione medicorum, quorum anniuersariam festiuitatem vniuersalis celebrat ecclesia;* GVILIELMI DV-VALII *Historiae* i) *sanctorum medicorum & medicarum,* BARTH. MOSERI *Vitis* k) *medicorum sanctorum*, & non nullis praeter dictos aliis. Possem quoque illorum iniicere mentionem, quos medici poëtae, reges medici, imperatores medici, pontifices medici occupatos tenuerunt, nec non qui propinqui argumenti alia scripta ediderunt. Ast, quum eorum paucissimi vitas medicorum enarrauerint, adeoque huc proprie non pertineant, sufficiet, si lectorem harum rerum cupidum remisero ad ANDREAE TIRAQVELLI *Opus de nobilitate,* l) vel ad IOH. ALB. FABRICII *Bibliothecam Graecam,* eiusque Volum. XII. p. 737. seqq.

g) Louanii 1595. 8.

h) Colon. 1623. 12.

i) Lutetiae Parisior. 1649. 4.

k) Insertus est iste tractatus eius *Quadrigae medicinae triumphantis,* quae Colon. 1645. in 12. impressa est.

l) Et quidem ad caput. XXXI.

§ XIX.

Transeo ergo ad tertiam eamque vltimam classem, enarraturus praecipuos ex illo biographorum

genere, qui fingulatim, ac veluti in indiuiduo, vt logici dicere amant, huius illiusue medici vitam, partim ex inftituto in peculiaribus libris, partim etiam alia quidem occafione, attamen non fine induftria, nec negligenter, fed adhibito ftudio debito, defcribere funt conati. Sic de ANTONIO MVSA peculiarem edidit *Differtationem* IOHANNES FRIDRICVS CRELLIVS, Lipfiae anno 1725. in 4. impreffam. Pari ratione de CELSO IOHANNES RHODIVS, m) & de GALENO CONRADVS GESNERVS in egregiis illis prolegomenis, quae vniuerfis operibus Galenicis latinis, Bafileae 1562. fol. typis exfcriptis, praefixit, optime funt meriti. Pofterior namque praecipue, non de vita folum atque fcriptis antiqui huius medici, verum etiam de diuerfis interpretibus & de variis, quorum tantus eft numerus, commentatoribus Galeni, minime vulgaria, lectuque longe vtiliffima & notatu omnino digna, in hac ipfa praefatione coaceruauit.

m) Vide *Vitam* CELSI, ab hoc autore confcriptam, eiusdemque *Differtationi de acia* CELSI, nec non aliquibus editionibus Celfianorum de medicina librorum fubnexam. Hanc vero biographiam non carere naeuis, dudum demonftrauit IOH. BAPTISTA MORGAGNIVS in *Epiftolis* fuis de AVREL. CORNEL. CELSO, & Q. SERENO SAMMONICO, quae Patauii 1721. 8. luci datae funt publicae.

§. XX.

Fuerunt tamen & alii, qui in defcribenda Galeni vita peculiari ftudio occupati fuerunt. ANDREAS LACVNA Venetiis anno n) 1548. 8. edebat *Vitam Galeni ex Galeno ipfo & ex variis autoribus collectam*. Quum vero variis chronologicis aliisque erroribus laboraret ifthaec narratio; id datum fibi negotii iudicauit IOHANNES MARTINVS EVSTACHIVS, medicus Neapolitanus, vt maiori cura idem argumentum adgrederetur. Ifte igitur euulgabat librum, multa quidem cum accuratione elucubratum, fed quam plurimis etiam ad rem nihil facientibus digreffionibus o) refertum, *De vita Galeni*, qui Neapoli

1577.

1577. 4. lucem adſpexit. Hoc opus adeo rarum eſt, vt vel praeſtantiſſimis in re litteraria & notitia librorum viris, immo ipſi quoque LINDENIO atque MERCKLINO, nec nomine quidem tenus, innotuerit. Quoniam vero etiam EVSTACHIVS vnum alterumue momentum omiſerat, ſaltem minus ſolide probauerat; illa porro *Biographia Galeni*, quam RENATVS CHARTERIVS tomo priori operum Hippocraticorum & Galenicorum, quae Pariſiis 1639. fol. graece & latine iunctim prodierant, adiecerat, valde erronea naeuisque repleta erat: vltimam tandem manum huic operi admouebat celebris ille in Gallia Loiolita, PHILIPPVS LABBEVS, ſcribens non tantum, in gratiam *Iacobi Mentelii*, *Elogium Galeni chronologicum*, ſed componens etiam *Vitam Claudii Galeni, Pergameni, medicorum principis, ex propriis operibus collectam*, & *Guidoni Patino* dicatam. Vtrumque ſchediaſma p) Lutetiae Pariſ. 1660. 8. in lucem eſt emiſſum: vtrumque etiam, ob raritatem, FABBRICIVS denuo recuſum Bibliothecae ſuae graecae libri IV. capiti XVII. curauit inſerendum.

n) vid. Bibliothecam *Riuinian.* p. 191. ſeq.
o) vid FABRICII Biblioth. graec. lib. IV. part. I. p. 514.
p) vid. FABRICIVM l. c. p. 509.

§. XXI.

In numero medicorum, quos ſaeculum a Chriſto nato decimum ſextum tulit, multi habentur, quorum vitae peculiaribus libellis ſigillatim enarratae exſtant: qui honor tamen ſolis fere Italicis, Germanicis atque Gallicanis habitus fuit medicis. De MAGNO HVNDTIO, *tabularum, vt videtur, anatomicarum autore*, IOHANNES ZACHARIAS PLATNERVS Lipſiae 1734. 4. diuulgauit programma quoddam, plagulis conſtans vnica & dimidia, in quo id ei laudi atque gloriae ducit, quod primus omnium medicorum Germanorum, figuris anatomicis vſus fuerit. IODOCI WILLICHII *Vita*, a MATTH. HOSTIO *deſcripta*, Francof.

 1607.

1607. 4. valde laudata legitur in catalogo bibliothecae Reimmannianae, Tom. II. p. 213. & 239. De CONRADO GESNERO, IOSIAS SIMLERVS *in Vita Conradi Gesneri*, Tiguri q) 1566. 4. impressa, magno studio egit. LEONHARTI FVCHSII vitam GEORGIVS HITZLERVS, in *Oratione de vita & morte Leonhardi Fuchsii*, Tubingae r) 1566. 4. edita, postea vero tomo priori operum Fuchsianorum, Francofurti iunctim excusorum, praemissa, ita descripsit, vt nihil desideres eorum quae ad hunc medicum pertinent. IOHANNIS GVINTHERII ANDERNACI *Vita, heroico carmine conscripta per* GEORGIVM CALAMINVM, septem constans plagulis, Argentorati 1575. 4. luci exposita fuit publicae. De ACHILLE PIRMINIO GASSERO, IACOBVS BRVCKERVS elegantem *Dissertationem de vita & scriptis Gasseri*, tomo X. Amoenitatum litteriariarum SCHELHORNII inseruit; insecuto quoque tempore idem *Historiam vitae* ADOLPHORVM OCCONVM Lipsiae 1734. 4. diuulgauit, constantem sedecim plagulis & felicissima Minerua elaboratam. Vitam autem HEINR. CORN. AGRIPPAE, IOHANN. GEORG. SCHELHORNIVS in analectis *De vita, fatis & scriptis H. C. Agrippae*, solidissime & citra omne partium studium concinnauit s).

q) LINDEN. renouat. p. 713.
r) LINDEN. renouat. p. 331.
s) Legi possunt haec analecta sub finem Tomi II. Amoenitatum litterar Eius, pag. 553. sqq.

§. XXII.

Inter medicos Italos, HIERONYMVS FRACASTORIVS, ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS & HIERONYMVS CARDANVS, peculiari consideratione digni sunt habiti. Primi vita noua luce veluti perfusa est a FRIDER. OTT. MENCKENIO, qui Lipsiae 1731. 4. emisit *Commentationem de vita, moribus, scriptis meritisque in omne litterarum genus prorsus singularibus* HIERONYMI FRACASTORII, nitidissimo scri-

fcribendi genere confignatam. De altero, vt & de tota familia Brafauolana, meretur legi liber lingua Tufca confcriptus, fequenti titulo infignitus: GIROLAMO BARVFFALDI *Commentario iftorico - erudito all'infcrizione eretta nell'almo ftudio di Ferrara l'anno 1704. in memoria del famofo Antonio Mufa Brafauoli;* qui Ferrarae 1704. 4. prodiit. In ifthoc autore hoc vnum defideratur, quod pag. 135. fequ. recenfens fcripta Brafauolana, elenchum eorundem nimis ieiunum confecit. Debuerat enim annum, locum & formam editionis vnicuique addere, quod ab aliis, qui rite confignant autorum libros, fieri fueuit. Ad CARDANVM denique quod attinet, non tam ipfius *Commentatio de vita* t) *propria*, quam GABRIELIS potius NAVDAEI *Vita Cardani* euoluenda eft, quae pofterior operibus Cardani, Lugduni in Gallia anno 1663. iunctim impreffis in fol. eft praemiffa u).

t) Amftelodami 1654. 12. vbi de fe ipfo atque genio fuo admodum ridiculas, non nunquam & creditu difficiles narrationes infpergit.

u) LINDEN. renouat. p. 315.

§. XXIII.

Ex medicis Gallicanis, pari honore dignatis, PETRVS BRISSOTVS, IACOBVS SYLVIVS, IOHANNES FERNELIVS & GVILIELMVS RONDELETIVS fe mihi hic offerunt. Horum primi vitam & aduerfa fata, quibus Galliam patriam relinquere & in Lufitaniam fugere exful, ceu medicus quidam martyr, coactus fuit, RENATVS MOREAV in *Vita* w) *Petr. Briffoti*, fincero calamo delineauit. Idem autor etiam de fecundo fuit follicitus, edita *Vita & icone* x) *Iacobi Syluii*. GVILIELMVS PLANTIVS confcripfit *Vitam Fernelii*, quae vniuerfis operibus Fernelianis, Geneuae 1679. f. impreffis addita y) fuit. Denique LAVRENTIVS IOBERTVS *De vita fatis & fcriptis Guilielmi Rondeletii* fchediafma emifit, quod in tomo II. operum IOVBERTI iunctim editorum inuenitur z).

w) Haec biographia non separatim impressa, sed scriptis BRISSOTI & MOREAV de missione sanguinis in pleuritide Lutet. Paris. 1622. 8. editis adiecta fuit. Vid. LINDEN. renou. p. 937.

x) Haec quoque vita quaerenda est in operibus IAC. SYLVII Geneuae 1630. fol. excusis. Vid. LINDEN. renouat. pag. 496.

y) Vid. LINDEN. renouat. p. 577. seq.

z) LINDEN. renouat. pag. 734.

§. XXIV.

E medicis saeculo decimo septimo defunctis diuersi fuere, quorum memoria digna est habita, quae ad posteritatem propagaretur. Oratio funebris in obitum CAROLI CLVSII, & oratio funebris dicta honori & memoriae PETRI PAAW, quarum vtraque ab AEL. EVERH. VORSTIO est habita, priorque Lugduni Bat. 1609. 8. altera posterior ibidem 1617. 4. diuulgata, merito huc referuntur. De FABRICII BARTOLETI *Vita & scriptis* haud ita pridem a) IOH. BAPTISTA PAITONVS Venetiis peculiarem emisit commentarium. Vitam GVILIELMI FABRICII HILDANI, CHRISTIANVS POLYC. LEPORINVS, peculiari commentatione Quedlinburgi, 1722. 4. edita prolixe enarrauit. IACOBVS PANCRAT. BRVNO *Orationem de vita, moribus & scriptis* CASPARI HOFMANNI in lucem protulit publicam b). THOMAS BARTHOLINVS *Orationem in excessum viri incomparabilis* OLAI WORMII c), vt & *Orationem* in *obitum* d) HENRICI FVIREN emisit, CHRISTIANVS vero OSTENFELD *Orationem in obitum* THOMAE FINCKII Hafniae 1656. 4. iuris fecit publici.

a) Vid. noua litterar. anni 1740. p. 409. seq.

b) Addita haec legitur CASPARI HOFMANNI Isagogae medicae.

c) Hafniae 1655. 4. v. LINDEN. renou. p. 1005.

d) Ibid. 1659. 8.

§. XXV.

LVCAS SCHACHTIVS in *Oratione funebri in obitum* FRANCISCI DE LE BOE SYLVII, adiecta operibus medicis SYLVII, merita huius medici Bataui posteritati commendauit. Paria IOH. DAN. MAIOR

in

in *Memoria* e) *Sachsiana*, seu, *Historia vitae* PHILIPPI IACOBI SACHS A LOEWENHEIMB, praestitit. LVCAS SCHROECKIVS iunior, in *Memoria Welschiana*, seu, *Historia* f) *vitae* GEORGII HIERONYMI WELSCHII, de vita variisque conaminibus huius polyhistoris satis abunde egit: modo ne solas huius viri laudes decantasset g); omnino enim WELSCHIVS mansisset, qui erat, magni nempe atque celebris vir nominis h), si vel maxime naeui ipsius atque imbecillitates sincere fuissent detectae. HERMANNVS BOERHAAVIVS, in praefatione, quam diuulgatis haud ita pridem *Bibliis naturae* IOH. SWAMMERDAMII praefixit, elegantissimam lectuque perquam dignam historiam de vita, scriptis atque inuentis admirandi huius anatomici exhibuit. IOH. IOACHIMI BECHERI *Vita & gesta ab* VRBANO GOTHOFREDO BVCHERO, tractatu peculiari, Norimbergae 1722. 8. impresso i) illustrata, IOHANNIS autem WEPFERI merita a IOH. CONR. BRVNNERO, in *Memoria* k) *Wepferiana*, sunt celebrata.

e) Lipsiae 1675. 4. & 1690. 4.

f) Augustae Vindelicor. 1678. 4.

g) Vix credo, historicum a partium studio abhorrentem calculo suo adprobaturum esse sequentia, quae pagina 4. leguntur, verba: „Defectus tamen WELSCHII adducere si neglexero, nemo, spe„ro, meam idcirco fidem reddet suspectam. Nec recensuisse illos „quidquam ad rem praesentem faceret; imo de bene meritis post „mortem nil nisi bene, vel quod in laudem eorum vergere queat, „sentiendum esse, omnes boni norunt atque fatentur.„ Secus certe iudicabat MORHOFIVS Polyhist. T. I. lib. I. c. 19.

h) Quiuis prudens cogitasset illud HORATII:
- - *optimus ille est, Qui minimis premitur.*

i) Vernaculo ille sermone editus est, atque inscriptus: *Das Muster eines nützlichen Gelehrten, in der Person Herrn D.* BECHERS *vorgestellet.*

k) Adiecta est haec WEPFERI *Obseruationibus medico-practicis de affectibus capitis*, quae ante aliquot annos prodierunt, Scaphusiae 1727. 4.

§. XXVI.

Paucis tandem & mentio mihi facienda monumentorum quorundam huc pertinentium, quae memoriae

moriae medicorum saeculo octauo decimo denatorum fuerunt consecrata. *Elogium* GEORGII FRANCI DE FRANCKENAV a VINDICIANO conscriptum, vlterius mihi haud innotuit, quam quod recensitum illud legi tomo III. *der neuen Bibliothec*, pag. 95. seqq. vbi simul edoctus fui, sub nomine VINDICIANI latitare virum celeberrimum, GOTHOFREDVM THOMASIVM. IOH. RVD. MIEGII *Oratio panegyrica in obitum* THEOD. ZWINGERI, Basileae 1726. 4. luci exposita est publicae. *Elogion* LVCAE SCHROECKII iunioris, a IAC. BRVCKERO consignatum, reperitur in tomo XIII. amoenitatum litterariarum Schelhornianarum. *Historia vitae & meritorum* FREDER. RVYSCH, *autore* IOH. FRID. SCHREIBERO, Amstelodami 1732. 4. in theatrum orbis litterati prodiit; & *Commentatio* IOH. HENR. SCHVLZII *de Vita* FRID. HOFMANNI, adiecta est cum tractatui de morbis infantum, tum operibus Hofmannianis vniuersis Geneuae l) 1740. fol. iunctim editis.

l) Vid. noua acta eruditor. anno 1741, mense Iulio, p. 385. seqq. vbi vero autor recensionis in eo errauit, dum putat, soli FRIDERICO HOFMANNO inter omnes medicos germanos eum obtigisse honorem, vt exteri, illo viuente, vniuersa eius scripta iuncta simul edenda curarent. Pari enim sorte gauisus fuit quoque IOHANNES DOLAEVS.

CAP. I. SECT. IV.

DE SCRIPTORIBVS, DE SCRIPTIS MEDICORVM AGENTIBVS: SEV, DE BIBLIOGRAPHIS MEDICIS.

CONTENTA:

Scriptores, qui de libris medicis generatim egerunt §. *2 - 10. Scriptores, qui libros medicinales speciatim tractarunt* §. *11 - 15. Bibliographi medici critici* §. *16 - 19.*

§. I.

§. I.

Vt in recenſendis huc pertinentibus autoribus, quippe qui non vnius ſunt generis, iuſto ordine procedatur; diſpeſcam illos in tres claſſes, ita, vt primo loco agam de illis, qui ſcripta medica in genere recenſenda ſibi ſumſerunt; tum ſequentur ii, qui ſpeciatim aut ordinem diuerſarum medicae artis partium, aut certorum temporum in hoc negotio ſunt ſecuti; agmen denique claudent iſti, qui de librorum medicinalium pretio atque valore, auſi ſunt iudicare, eosdemque ad trutinam artis criticae appendere.

§. II.

Scriptoribus ergo generalioribus iuxta ordinem chronologicum conſideratis, chorum illorum ducet OTTO BRVNFELSIVS; & ab hoc adeo initium mihi faciendum video. Conſignabat iſte *Catalogum illuſtrium medicorum, ſiue, de primis medicinae ſcriptoribus librum, breuiter eorum ſcripta commemorantem, ex Galeno, Plinio, ſcriptorum de re ruſtica libris collectum*, qui Argentorati 1530. 4. typis expreſſus eſt. Fateri equidem cogor, me catalogum iſthunc oculis nunquam vſurpaſſe; immo video, IAC. FRID. REIMMANNVM a) & IOH. ALB. FABRICIVM b) BRVNFELSIVM iſthunc non inter bibliographos, ſed potius inter biographos numeraſſe: plus tamen me penes fidei meruerunt MORHOFIVS c), VOGLERI Introductio in notitiam cuiuscunque generis bonorum ſcriptorum, cap. 8. p. 46. maxime vero H. CONRINGIVS d), quorum vltimus ſimul monet, primum quidem huius generis eſſe hunc librum, ſed exigui momenti.

a) Vid. *Eius Einleitung in die hiſtoriam litterariam insgemein*, pag. 279. ſeq.

b) Vid. Bibliothec. graec. volum. XII. pag. 732. Cur vero & FABRICIVS & REIMMANNVS medicum hunc appellauerint BRVNFELDIVM, quum ipſe tamen, in Herbario ſuo, quod ad manus mihi eſt, BRVNFELSIVM ſe vocet? id equidem ignorare me fateor.

c) Vid. *Eius* Polyhistor. tom. I. lib. I. cap. 18. §. 66. pag. 210.
d) Vid. *Eius* Introductionem in artem medicam, cap. III. §. 38. pag. 112.

§. III.

Omnino autem dolendum, CONRADVM GESNERVM secundam partem bibliothecae suae, seu ita dictos pandectas, siue partitiones vniuersales, e) ad colophonem non perduxisse. Luculenter enim apparet ex libro earundem quartodecimo, vbi de philosophiae naturalis scriptoribus egit, quanta huius viri in historia litteraria fuerit capacitas, quantoque detrimento reipublicae litterariae, medicae inprimis, factum sit, quod vicesimus liber, quo de scriptoribus medicis erat acturus, ab ipso non fuerit elaboratus. Hoc interim certum, ROBERTI f) CONSTANTINI *Nomenclatore insignium scriptorum, quorum libri exstant, vel manuscripti, vel impressi*, indiceque totius bibliothecae atque pandectarum Gesneri, etiamsi Brunfelsianum opus iste g) superet, haud aegre nos carituros fuisse, modo Gesneriani pandectae vltimam vidissent limam. Verum enim vero male agitur cum rebus eruditorum, quod vtriusque viri docti scripta hodie nimis rarescunt.

e) Tiguri 1548. fol. Nam bibliotheca, siue catalogus vniuersalis omnium scriptorum, in quo scriptores ordine elementari dispositi recensentur, iam anno 1545. fol. Tiguri euulgatus fuerat.
f) Lutet. Paris. 1555. 8. V. LINDEN. renou. p. 940. seq.
g) Vid. CONRINGIVS l. c.

§. IV.

PASCHALIS GALLI *Bibliotheca medica, siue, catalogus illorum, qui ex professo artem medicam in hunc vsque annum scriptis illustrarunt, nempe quid scripserint, vbi, qua forma, quoue tempore excusa scripta, aut manuscripta, habeantur*, quae Basileae 1590. 8. impressa fuit, constans plagulis vna supra triginta, partus est praematurus iuuenilis ingenii. Collectus enim seu compilatus verius iste labor ab autore, Basileae tum temporis studio artis medicae operam nauante, e scriptis

GESNE-

GESNERI, SIMLERI ac FRISII, atque primis eiusdem in arte medica praeceptoribus, C. BAVHINO, F. PLATERO, I. N. STVPANO, & H PANTALEONI, dicatus. Partibus illa conſtat duabus, quarum prior continet *bibliothecam*, quam vocat, *nominalem*, poſterior *realem:* in illa libri medicorum recenſentur ex ordine alphabetico praenominum autorum ſuorum; in hac vero de ſcriptis anatomicorum, chirurgorum, botanicorum, pharmaceuticorum, nec non de commentatoribus in HIPPOCRATEM, DIOSCORIDEM, GALENVM, AVICENNAM &c. peculiariter agitur, additis eiusmodi recenſionibus eorundem, quae maximam ſui partem e diuerſis praefationibus Geſnerianis ſunt mutuo h) ſumtae.

h) Ita v. gr. quae habet hic compilator de ſcriptoribus chirurgicis, ea hauſit e GESNERI *Enumeratione alphabetica chirurgorum illuſtrium;* quae vero affert de botanicis, ſumta ſunt ex eiusdem praefatione de rei herbariae ſcriptoribus, quam praepoſuit KYBERI verſioni Tragi, quam totam transſcripſit; conſignationem autem commentatorum in Galenum & Dioſcoridem e prolegomenis Geſnerianis, in fronte operum Galeni & Cordi poſitis, corraſit.

§. V.

ISRAELIS SPACHII *Nomenclator ſcriptorum graecorum, arabum, latinorum veterum & recentiorum medicorum, hoc eſt, elenchus eorum, qui artem medicam ſuis ſcriptis illuſtrarunt, ſecundum locos communes ipſius medicinae digeſtus,* qui Francofurti 1591. 8. prodiit, exigui momenti liber habetur HEINRICO i) MEIBOMIO; quemadmodum & hic vir eruditus MARTINI LIPENII *Bibliothecam medicam realem,* Francofurti 1679. fol. impreſſam, huic nomenclatori Spachiano longe praetulit. Ipſe vero ego perſuaſus ſum, iſthanc quoque bibliothecam Lipenianam multo vtiliorem vſibusque noſtris accommodatiorem fore, ſi quis medicus huic labori idoneus manum eidem emendandae & ad noſtra vsque tempora continuandae pari ſtudio admoueret, quali GOTTL. AVG. IENICHIVS ante aliquod tem-

tempus iuridicam eiusdem bibliothecam emendare atque continuare aggreſſus eſt.

i) In additamentis ad VOGLERI introduction. vniuerſ. in notit. bonorum ſcriptorum, pag. 180. editionis Helmſtadienſ. 1691. 4.

§. VI.

IOH. GEORG. SCHENCKII *Biblia iatrica, ſeu, bibliotheca medica macta, continuata, conſummata,* quae Francofurti 1609. 8. prelum reliquit, duabus quidem tantummodo plagulis ſuperat bibliothecam PASCHALIS GALLI, multis vero modis eadem & melior eſt & plenior. Neque enim ſolum longe plures SCHENCKIVS autores praenominibus, quae geſſere, alphabetico ordine diſpoſitis, in medium protulit; ſed multam quoque, in recenſendis medicorum, & typis expreſſis, & manuſcriptis operibus, adhibuit induſtriam. Quod ſi hic plurimae lectionis vir promiſſos in praefatione elenchos ſcriptorum medicorum teutonicorum, gallicorum, italicorum, anglicorum, hiſpanorum, &c. ad metam perduxiſſet; vtique poſſet haec bibliotheca in numero praeſtantiſſimorum in hoc genere librorum eminere.

§. VII.

Circa annum 1637. IOHANNES ANTONIDES VAN DER LINDEN *Libros* II. *de ſcriptis medicis* edendos & Amſtelodami in forma octopertita imprimendos curabat, quos & ibidem, & quidem auctiores, ſimili forma, k) 1651. & 1662. denuo emittebat. Quoniam vero multa reſtabant, quae & emendari & addi poterant GEORG. ABRAH. MERCKLINVS hanc in ſe ſuſcipiebat operam, vt opus iſtud plenius perfectiusque ederet: id quod praeſtitit etiam; prodiit enim illud prelo Norimbergenſi 1686. 4. titulo inſignitum, LINDENIVS *renouatus*, & eiusmodi additamentis adauctum, vt ad haec vsque tempora laudem praecellentiſſimi pariter ac conſummatisſimi libri mereatur; quamuis, ob ſubrepentes hinc inde defe-

ctus.

ctus, mendas ac naeuos, sollicita vtique emendatione indigeat. l) Frustra tamen hic aliorum, praeterquam latinorum atque graecanicorum scriptorum, quaeras cognitionem.

k) Non autem forma quadripartita, vt per errorem legitur in FABRICII *Bibliotheca graec. volum. XII. pag. 734.*

l) LVDOVICVM VON HAMMEN, Doctorem SLOANE aliosque talia quidem pollicitos fuisse additamenta, nondum autem fidem datam liberasse, notum est.

§. VIII.

An & quatenus SIGISM. REGVLI *Bibliotheca medica*, quae Lugduni in Gall. 1673. in 12 typis excusa m) perhibetur, huc pertineat? equidem dicere nequeo, quum nunquam videre eam mihi contigerit. Idem quoque fatendum mihi de BARTHOL. MOSERO. Etsi enim REIMMANNVS n) aeque ac FABRICIVS o) scribant, eum *Thesaurum bibliatricum*, seu, *bibliothecam geminam, onomasticam* & *classicam medicam* Dillingae in fol. prelo subiecisse, facile tamen apparet, neutrum eorum, quia tacent editionis annum, illud opus vidisse vnquam, id quod & ingenue posterior est fassus ipse. Quum itaque thesaurus isthic bibliatricus tantis librorum cognitoribus plane ignotus nec vnquam visus manserit, nec memoriae meae succurrat, me vnquam in vllo librorum de artis medicae historia agentium, quotquot eorum equidem legi, de Moseriano isthoc thesauro quidquam certi reperisse; parum abest, quin credam, parem forte huius bibliothecae Moserianae esse conditionem, ac Peuceriani scripti, quod de Vitis illustrium medicorum composuisse narratur PEVCERVS; ita vt vterque horum librorum inter scripta hactenus inedita sit numerandus.

m) Vide FABRICII *Bibliothec. graec. volum. XII. p. 734.*

n) *In der Einleit. in die histor. litt. insgemein.* p. 277.

o) cit. loco.

§. IX.

Recentissimis temporibus IOH. IAC. MANGETVS *Bibliothecam suam scriptorum medicorum veterum & re-*

 cen-

centiorum, in qua sub eorum omnium, qui a mundi primordiis ad vsque saeculi Christiani XVIII. initia vixerunt, nominibus, ordine alphabetico adscriptis, vitae compendia enarrantur, opiniones & scripta, modesta subinde adiecta epicrisi, recensentur, ac sectae praecipuae, sub quarumque propria appellatione explicantur, Geneuae, anno 1731. in fol. in lucem emisit publicam. Sufficere autem mihi videtur, si de diffusissimo isthoc opere, quod ad tricenas vsque alphabetorum series, seu, septingentarum prope plagularum compaginem excreuit, hoc tantum monuero, quod in Commercio litterario Norimbergensi anni 1731. pag. 185. seqq. & anni 1732. pag. 92. seq. iudicatur, tractationem ipsam minime superbae huius libri inscriptioni respondere.

§. X.

De promissis quidem, nunquam tamen re exhibitis ipsa indicibus generalibus librorum medicorum, praeter ea, quae iam §. tertio de CONRADO GESNERO obseruata sunt, paucis adhuc monere volui: IOHANNEM quidem SCHENCKIVM, virum multae lectionis, inque historia rei medicae haud vulgariter versatum, vestigia Gesneriana sequendo, nouis proprioque marte adornandis *Pandectis & partitionibus medicinalibus*, quae octo p) libris constiturae erant, manum admouisse, iisdemque perficiendis incredibilem industriam atque immensum laborem impendisse; morte tamen praeuentum ad exoptatam metam non perduxisse easdem. Paria fata expertus est BOVRDELOTII in MSto relictus catalogus omnium librorum medicinalium, idiomate gallicano conscriptus, *Catalogve de tous les livres en medecine*, cuius editionem frustra DAN. CLERICVS q) optauit, quum eidem laudem operis accurate & plene compositi tribuisset.

p) Vid. IOH. GEORGII SCHENCKII, filii eius, *Bibliothecam medicam*, *pag. 338. seqq.* vbi prolixe describit laboriosum hoc atque diffusum opus, spem simul eiusdem edendi faciens.

q) In praefatione (avertissement) *Historiae medicinae* eius praeposita, impressae Amst. 1723. 4.

§. XI.

§. XI.

Enarratos hactenus scriptores generaliores sequantur iam autores ad secundam pertinentes classem, illi scilicet, qui recensendis libris, ad hanc illamue artis medicae partem spectantibus, vel illis, qui certo temporis tractu in lucem sunt emissi, occupati fuerunt. De anatomicis itaque libris IACOBVS DOVGLASIVS, in laudata iam superius *Bibliographia anatomica*, talia nos docuit, quae & sunt praestantissima, & quibus tuto fidere queas. Pari ratione TOVRNEFORTIVS in *Isagoge in rem herbariam*, vt & IOH. FRANC. SEGVIERIVS in *Bibliotheca botanica*, de libris botanici argumenti prae aliis, optime mereri studuerunt.

§. XII.

PETRI BORELLI *Bibliothecae chemicae, seu, catalogo librorum philosophicorum, hermeticorum*, Lutetiae Paris. 1654. 12. & Heidelbergae eadem forma 1656. excusae, parum laudis tribuit FABRICIVS r). Meliorisne sit notae GVIL. COOPERI Catalogus librorum chemicorum, lingua anglicana conscriptus [*Catalogve of chymical* s) *books*], & Londini 1675. 8. constans tribus partibus, euulgatus? de eo lectorem certi quod doceam nihil habeo, quum ad manus meas nunquam ille liber peruenerit. Quod si FRIDER. ROTHSCHOLZII *Bibliotheca chemica*, cuius, quantum equidem scio, prima tantum pars hactenus in publico comparuit t), ad calcem fausto sidere perducenda sit, nullus dubito, quin tali notitia librorum huius argumenti illa nos sit instructura, in qua nihil temere desideres. Dicitur enim autor apparatum quinquies mille u) amplius librorum chemici argumenti, partim impressorum, partim MStorum, possidere.

r) Bibliothec. graec. volum. XII. p. 746. vbi haec leguntur: „Quater mille circiter scriptores, sed parum distincte & explicate, refert, ordine licet alphabetico.„

s) FABRICII *Biblioth. graec.* l. c. vid.
t) Vid. *Noua litterar. anni 1735.* p. 355. seq.
u) Vid. *Noua litterar. anni 1720.* p. 226.

§. XIII.

Semioticen concernentia scripta IOH. GEORG. SCHENCKIVS in *Tractatu de semiotica eiusque scriptoribus*, Francofurti 1607 12. excuso, & librum quartum Pandectarum medicinalium patris exhibente, indicare conatus est. Idem, in *Pinace autorum in re me-„dica, graecorum, latinorum, priscorum, arabum, lati-„no-barbarorum, latinorum recentium, tum & peregri-„nis linguis cluentium, exstantium, manuscriptorum, pro-„missorum, vel desideratorum, qui gynaecia, siue, mulie-„bria, pleno argumento, siue ex instituto, scriptis excolue-„runt;*„ qui Argentorati 1606. 8. prodiit, in id impendit operam suam, vt plenum omnium scriptorum, qui de morbis mulierum egerunt, indicem concinnaret. De scriptis chirurgicis qui ex instituto & peculiariter sollicitus fuerit, mihi quidem innotuit nemo; praeter ea, quae CONR. GESNERVS annotauit in *Enumeratione alphabetica chirurgorum illustrium*, quae vero non vltra annum 1555. extenditur, quippe quo isthaec enumeratio Collectioni scriptorum de chirurgia, Tiguri in fol. excusae annexa fuit. Recentissime tamen LAVRENTIVS HEISTERVS *Institutionibus* suis *chirurgicis*, Amstelodami 1739. 4. diuulgatis, *Bibliothecam* quandam *chirurgicam*, ordine elementari autorum nomina exhibentem, lectuque omnino dignam, praemisit.

§. XIV.

Quem, libros medicorum praxi medicae inseruientes, nosse, eorundemque argumenta seu contenta paullo propius edoceri, iuuat, is MATTHIAM MORONVM, nec non, IOH. GEO. WALTHERVM habeat sibi commendatos. *Prioris Directorium*, quod vocat, *medico-practicum, siue, indices duo praeternaturalium affectuum, cum distinctorum, tum implicatorum, de qui-*

quibus peculiares exstant grauisſimorum virorum conſultationes, epiſtolae, quaeſtiones, reſponſiones, obſeruationes, hiſtoriae, &c. *medicis, praeſertim tironibus, quae conſimilibus in caſibus imitentur, exempla praemonſtrantes*, optima conditione Francofurti ad Moen. 1663. 4. auctum ſcilicet additamentis SEBAST. SCHEFFERI, prodiit: Forſitan autem idem opus longe nitidiori pariter ac pleniori habitu compariturum fuiſſet, ſi GEO. HIERON. WELSCHIVS ſuam a ſe ipſo multis modis adauctam atque emendatam editionem w) publici vſus feciſſet. *Poſterioris* porro *Sylua medica opulentisſima, in qua non ſolum ex aliquot centenis autoribus medicis, quotquot hactenus inueniri potuerunt, omnia morborum nomina & ſynonyma, tam barbara & obſoleta, quam vſitata & communia, littera ſua initiali, ordine alphabetico, ita ſunt collocata, vt extemplo, & quaſi in ſpeculo, videri posſit, quid, quinam & quot autores de vnoquoque morbo ſcripſerint, & quo in libro, capite, pagina, ſingula ſtatim reperiri queant;* qui liber Budiſſae anno 1679. in forma quadripartita, typis exſcriptus eſt, ipſo titulo ſatis & abunde prae ſe fert, quid in illo quaerere & inuenire posſis?

w) Vid. SCHELHAMMERI additam. ad CONRINGII *Introductionem in artem medic.* cap. III. §. 40. pag. 141. ſequ.

§. XV.

Eorum, quibus curae fuerit, ſcripta medica, iuxta ſeriem certi cuiusdam temporis, recenſere, aut qui indices operum ab hac illaue ſocietate emiſſorum conſignauerint, perexiguus eſt numerus. Quod ſi enim exceperis CORNELII A BEVGHEM *Bibliographiam medicam & phyſicam, ſcriptores ab anno* 1650. *ad* 1680. *excuſos referentem*, quae Amſtelodami anno 1681. 12. impreſſa eſt; nec non, MICH. BERNH. VALENTINI *Hiſtoriam litterariam de ſcriptis a membris naturae curioſorum collegii ſeparatim editis*, adiectam *Ipſius Armamentario naturae ſyſtematico*, Gieſſae 1709. 4. excuſo: Forſitan nullus alius exſiſtat, qui

ſimilem laborem ſuſceperit, niſi huc referre placuerit THOMAE SPRAATI *Hiſtoriam ſocietatis regiae anglicanae*, vt & IOH. BAPT. DV HAMEL *Regiae ſcientiarum academiae hiſtoriam*; quanquam horum vterque non de ſcriptis iſtarum ſocietatum egerit, ſed, praeter hiſtoriam fundationis earum, experimenta potius, conamina, inuenta ac obſeruata collegarum deſcribenda ſibi ſumſerit.

§. XVI.

Tranſeo igitur ad claſſem tertiam eamque vltimam, enarraturus autores illos, qui de pretio, bonitate genioque praecipuorum librorum medicinalium iudicium ferre & ſententiam ſuam pronunciare inſtituerunt. Eſt vero numerus eorum, qui rem adeo delicatam, momentoſam, partim & non minus periculoſam, peculiaribus libris adgredi fuerint auſi, perquam exiguus. Primus, qui in hanc palaeſtram deſcendere non trepidauit, quantum equidem recordor, fuit CONRAD. GESNERVS, quippe qui non ſolum in *Bibliotheca* ſua *uniuerſali* paſſim libere admodum iudicauit; ſed in peculiaribus etiam praefationibus, opera veterum aeque Graecorum, Romanorum, Arabum, ac recentiorum medicorum, ad rem botanicam, pharmaceuticam & chirurgicam ſpectantia, non minus ſolide, quam citra omne partium ſtudium, ſub examen reuocauit; adeo, vt nihil magis dolendum ſit, quam quod ſcripta huius viri, rarioribus adnumeranda vix haberi queant.

§. XVII.

PETRVM A CASTRO in *Bibliotheca medici eruditi* ab ipſo edita, & Patauii 1654. 12. excuſa, ſibi propoſuiſſe, diſcendi cupidis notitiam optimorum librorum medicinalium ſuppeditare, iſtud equidem nemo facile inficiatus fuerit. Parum feliciter autem hunc ipſi conatum ceſſiſſe, dum ſcripta maximi momenti interdum aut plane omiſit, aut, ſi recenſuit, minus ſin-

ſincere diiudicauit, probatum dare, per luculenta rerum teſtimonia, voluit GEORG. HIERON. WELSCHIVS, x) in promiſſa quidem, ſed nunquam emiſſa *Bibliotheca medici eruditi.* De repetita nuper Bergomi, & a *D.* PASTA aucta huius libri editione, docent nos Noua litteraria Lipſienſia anni 1743. pag. 201. ſeq. eam non minoribus, quam priorem, deformatam eſſe mendis ac naeuis.

x) Vid. SCHROECKII *Memor. Welſchianam. p.* 56.

§. XVIII.

HERMANNI ergo CONRINGII *In vniuerſam artem medicam ſingulasque eius partes introductio*, quae, vna cum GVNTH. CHRIST. SCHELHAMMERI pulcherrimis additamentis, Helmſtadii anno 1687. 4. lucem ſalutauit, praeſtantiſsimum procul dubio opus illud erit, cuius euolutio omnibus ſalutaris artis ſtudioſis maximo commendari debet opere; qui quidem de pretio & genio plurimorum & praecipuorum librorum medicorum, tuto pariter ac ſolide cupiunt informari. Nam quemadmodum virum hunc ſummum in polyhiſtoria paucisſimi aequarunt; ita profecto pauciores longe inuenientur, qui facultate iudicandi & ſincero veritatis ſtudio ſuperiores illo fuerint. Curauit autem SCHELHAMMERVS alteri huic editioni aliorum y) quoque medicorum ſcripta ſimilis argumenti adiicienda, quorum lectio ex parte fructu quidem non caret, aſt ipſa Conringianae introductioni omnino cedere coguntur.

y) Huc referenda: CASP. BARTHOLINI *Conſilium de ſtudio medico inchoando, continuando & abſoluendo;* PETRI CASTELLI *Optimus medicus;* IOH. ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductio ad medicinam;* & IOH. RHODII *Introductio in medicinam, eiusdemque Bibliotheca medica.* Quod duo poſteriora RHODII ſchediaſmata adtinet, notandum, ea antea nondum fuiſſe impreſſa, ſed per SCHELHAMMERVM, qui illa e MSto bibliothecae Boſianae deſcripſerat, hic demum euulgata, ſimul vero etiam multis vitiis typographicis, autorumque nominibus deprauatis dedecorata eſſe.

§. XIX.

Quod adtinet HEINR. LOHALM MEYERI Tractatum paruulum, germanice scriptum & sequenti insignitum titulo: *Bibliographia physico-medica, oder, historische Abhandlung der vornehmsten physicalischen vnd medicinischen Bücher, die von vralten Zeiten her bis auf vns geschrieben sind;* qui libellus Lunaeburgi 1704. in 12. prodiit; is vt me hic moretur, minime est opus: quum iam alibi z) obseruatum fuerit a me, quam paruam fidem recensiones istae, additaque de libris iudicia mereantur. Illud tamen, sub finem huius sectionis, silentio praeterire nefas fuerit, *Methodum discendi medicinam*, quae sub nomine BOERHAAVII, Amstelodami 1726. 12. diuulgata fuit, longe maiore cum vtilitate euolui perlegique posse.

z) *In Historia medicinae Stolliana*, pag. 418. 534. & 603.

CAP. I. SECT. V.

DE LEXICOGRAPHIS MEDICIS.

CONTENTA:

De Lexicographis deperditis §. 2. *De Herodoto, Erotiano, Galeno* §. 3. *De Rhaze, M. Syluatico, S. Campegio* §. 4. *De P. Rostinio, G. Rhegino, H. Stephano* §. 5. *De Lexicographis Hippocraticis*, §. 6. 7. *De Lexicographis gener. Saec. XVII.* §. 8 - 10. *De Lexicographis gener. Saec. XVIII.* §. 11 - - 14. *De Lexicographis particularibus* §. 15 - - 20.

§. I.

Tempus nunc est, vt de lexicographis quoque medicis ea, quae commemoratu maxime sunt digna, adducam. Quum igitur eorum plerique in explicandis terminis artis medicae generatim fuerint occupa-

cupati; alii autem, iique perpauci, hanc vel illam partem medicinae respexerint tantum, euoluentes occurentia ibi vocabula: ego de scriptoribus tam generalibus quam particularibus, quicunque hic in censum veniunt, maxime necessaria, insistens, vt hactenus facere consueui, porro ordini chronologico, quanta fieri poterit breuitate, annotabo. Vbi id in antecessum monere volui, IOHANNEM ALBERTVM FABRICIVM in *Bibliothec. graec. Lib. IV. cap. 36. pag. 572. ad pag. 582.* de lexicographis medicis Graecorum, quantum satis est, egisse.

§. II.

Ab antiquissimis iam inde temporibus non defuere, tum medici, a) tum grammatici, qui omnis generis glossariis, onomasticis & lexicis medicis consarcinandis operam nauarent. Perditis autem dudum temporis iniquitate eorum operibus, adeo, vt qualia fuerint? certi nihil definiri valeat: sufficiet hoc solum hic annotauisse, de impressis ex vniuersa antiquitate scriptoribus generalioribus nihil exhibere amplius nos posse, quam, quae HERODOTVS LYCIVS, ex opinione quorundam, EROTIANVS, GALENVS atque RHAZES hac de re litteris consignarunt.

a) Indicem horum dedit EROTIANVS in Praefatione glossarii sui Hippocratici; vbi legimus, *Xenocritum* primum fuisse, qui eiusmodi opus luci exponeret, quem postea secuti fuerint *Callimachus, Bacchius, Philinus, Apollonius Cittieus, Dioscorides Phacas, Glaucias, Lysimachus, Euphorion, Aristarchus, Aristocles, Antigonus*, & diuersi praeterea alii. GALENVS pariter in Glossario suo, voce *Indicum*, narrat, a *Menetheo, Andrea, Xenocrate &c.* peculiaria lexica pharmaceutica conscripta fuisse. Ea vero paria cum ante dictis monumentis habuere fata.

§. III.

Paruum illud dictionarium vocum Hippocratis antiquarum, quod ex coniectura non nullorum eruditorum HERODOTVM Lycium agnoscit autorem,

nunquam, quantum equidem fcio, feparatim fuit typis expreffum, fed ab HIER. MERCVRIALE & RENATO CHARTERIO procuratis per ipforum vtrumque editionibus operum Hippocraticorum fuit fubnexum. EROTIANI *Gloffarium*, quod HEINR. STEPHANVS primus graece Lutet. Parif. 1564. 8. typis exfcripfit, latine verfum optimam agnofcit editionem, quae fequenti infcriptione: EROTIANI *Vocum, quae apud Hippocratem funt, collectio, cum annotationibus* BARTH. EVSTACHII, Venetiis 1566. 4. prodiit. Idem deinceps a RENATO CHARTERIO tomo II. editorum ab ipfo iunctim Lutetiae Parifior. 1639. fol. Operum Hippocraticorum atque Galenicorum, omiffis tamen EVSTACHII adnotationibus, fuit infertum. GALENI *Expofitio obfoletarum Hippocratis vocum*, quam HEINR. STEPHANVS, vna cum EROTIANI Gloffario, dictionario fuo medico, de quo mox pluribus fum dicturus, inferendum curauit, in omnibus GALENI editionibus inuenitur. Seipfum vero falleret, quisquis explicationem omnium ac fingularum b) vocum obfoletarum Hippocratis, in dictis HERODOTI, EROTIANI, & GALENI libellis quaefiturus effet.

b) Sic e. e. voces ἀλίνδησις, ἀκροχείρισις, χειρονομία, κωρυκομαχία, σχοινοβατία, vna cum pluribus aliis, aut per obliuionem, aut ftudio, quoniam tum temporis ignotae nondum erant, omiffae deprehenduntur.

§. IV.

Tractatus de verbis Hippocratis, qui inter opera c) RHAZIS inuenitur, vbi conftituit quintum librum aphorifmorum illius, exigui habetur momenti. E MATTHAEI SYLVATICI *Opere pandectarum medicinae*, quo autor vocabula obfcura innumera, quae ad medicinam & medicamenta graeca, arabica, latina, barbara, ex omni genere antiquorum medicorum congefta, explicat, parum fubfidii haufferis. Namque, ad intelligendum ifthoc dictionarium barbaricum, alius lexici ope indigeas: quemadmodum etiam

etiam hocce opus, etsi aliquoties d) impressum, & plenissime inprimis Taurini 1526. fol. excusum, nihilo tamen minus inter rariores quidem, sed simul nullius vsus, libros principem meretur locum. SYMPHORIANI CAMPEGII *Vocabulorum medicinalium ac terminorum difficilium explanatione*, quae Lugduni in Gall. anno 1508. in 8. typis mandata est, carere hodie, aeque ac reliquis scriptis Campegianis, e) facile possumus. In *Onomastico* autem *philosophico-medico*, quod MICH. TOXITES Argentorati anno 1574. 8. typorum monumentis consignandum curauit, non explicationem terminorum artis medicae, sed tantummodo diuersas eorundem in diuersis linguis denominationes inuenire datur.

c) Optima illorum editio est, quae Basileae 1544. fol. prodiit, inscripta: ABVBETRI RHAZIS *Opera exquisitiora*.

d) e. g. Venet. 1498. fol. 1511. fol. Lugduni. 1541. fol. iterum Venet. 1524. pari forma. De antiquissimis editionibus vid. FABRICII *Bibliothecae lat.* volum. III. p. 882. vbi editiones Bononiensis & Neapolitana, anni 1474. Veneta & Lugdunensis, anni 1478. tandem & altera Veneta anni 1480. formae, quam folii dicunt, allegantur.

e) Tituli enim plerumque sunt superbi, libri ipsi parum bonae frugis continent: vnde & CONRADVS GESNERVS in Bibliotheca sua pag. 606. *alterum Thessalum* eum vocauit.

§. V.

Artibus liberalibus humanioribusque litteris restitutis, libri quoque in hoc studiorum genere prodibant meliores. BARTHOLOMAEVS & PETRVS ROSTINIVS iunctis operis edebant *Sententiarum omnium ac verborum, quae in Hippocratis aphorismis continentur, in nouum ordinem alphabeticum digestionem*, Venetiis 1555. 8. impressam. GVIL. vero RHEGINVS *Exercitamenta medicinae ex selectis linguae vtriusque autoribus illustrata*, Lugduni Gall. 1564. fol. in lucem proferenda curabat, promittente sub finem libri bibliopola, se eadem illa exercitamenta, quia nimia naeuorum typographicorum copia dicta modo editio

tio scatet, emendatiora pariter atque auctiora propediem edenda curaturum, quod vero, quantum equidem scio, minime praestitit. Interea tamen temporis HEINR. STEPHANVS de medicis quam optime mereri studebat; *Eius* enim *Dictionarium medicum, vel, Expositiones vocum medicinalium, ad verbum excerptae ex Hippocrate, Aretaeo, Galeno, Oribasio, Rufo Ephesio, Aëtio, Alexandro Tralliano, Paullo Aegineta, Actuario, Corn. Celso cum latina interpretatione: huic dictionario praefixa sunt lexica duo in Hippocratem, vnum Erotiani, nunquam antea editum, alterum Galeni, multo emendatius, quam antea excusum:* quod Lutetiae Paris. 1564. 8. typis signatum & rarior auis est, reipsa eiusmodi liber censeri meretur, qui enumeratis huc vsque lexicis dubiam omnino palmam reddere queat.

§. VI.

Inter illos, qui, ad *Erotiani* atque *Galeni* exemplum, in vno Hippocrate explanando occupati fuerunt, IOH. GORRAEVS, IOH. MARINELLVS, ANVT. FOESIVS, GVILIEL. BALLONIVS, & IOH. CONR. DIETERICVS, maximam consecuti sunt gloriam. Diuersi quidem sunt quoque inuenti, tum saeculo sexto decimo, tum temporibus insecutis, qui similem in se laborem suscipiebant, ratione aliorum etiam medicorum: prout ANDREAS ALPAGVS in *Auicennam*, IOH. RENERIVS in *Mesuen*, IOHANNES porro RHODIVS in *Scribonium Largum*, THEOD. IANSSONIVS AB ALMELOVEEN, in *Aurelianum*, & nuper admodum MICH. MAITTAIRE, in *Aretaeum*, peculiaria concinnauerunt Lexica, a IOHANNE quoque RHODIO, non secus ac a IOH. IAC. BAIERO, peculiare Glossarium Celsianum iam olim fuit promissum. Verum non est, quod isthaec me morentur, quum illa partim philologice magis & grammatice, quam medice, sint elaborata; partim, id quod praecipuum est, quia eadem non separatim impressa, sed singula singulorum modo nominatorum medicorum operibus f) sunt subnexa.

f) Hoc

f) Hoc vero non de omnibus, sed saltem de quibusdam, editionibus est intelligendum: de quibus loquendi, in capite proxime sequenti, occasio sese offeret commodior.

§. VII.

IOHAN. GORRAEI *Definitionum medicarum libri* XXIV. *litteris graecis distincti*, Lutetiae Paris. 1564. in fol. impressi, plenissime vero & accuratissime Francofurti anno 1601. simili forma editi, multa continent bona, lectorem vero linguae graecanicae non ignarum requirunt. IOH. MARINELLI *Commentaria in Hippocratis opera, in quibus morbi omnes, eorumque caussae, signa ac curationes, quae in libris Hippocratis dispersim scribuntur, vna copulantur atque tractantur, deinde voces ac loca in Hippocratis libris obscura & difficilia, ex Galeni sententia, declarantur*, quae Venetiis anno 1575. fol. prelo exierunt, & successu temporis saepius, & vltima vice a I. B. PAITONO de nouo procurata, operibusque *Hippocratis* Venetae editionis adiuncta fuerunt, inueniunt hodienum suos fautores: fatendum tamen, ANVTIVM FOESIVM sua *Oeconomia Hippocratis, alphabeti serie distincta, in qua dictionum apud Hippocratem omnium, praesertim obscuriorum, vsus explicatur, & velut ex amplissimo penu depromitur*; quae optima forma Francofurti 1588. fol. deinde & Geneuae 1662. fol. edita, omnibus procul dubio lexicographis Hippocraticis esse praeferendum. GVILIEL. BALLONII *Liber definitionum medicarum*, Lutetiae Paris. 1639. 4. cura *Iacobi Theuartii* in lucem prolatus, aeque ac reliqua scripta Balloniana, cum fructu legi potest. Citra omne dubium tamen illa meliori habitu comparitura publice fuissent, si ipse autor, dum in viuis adhuc degebat, ea exire iussisset. IOHAN. CONR. DIETERICI *Iatreum Hippocraticum, continens narthecium medicinae veteris & nouae, ex nobilioribus medicis, tam veteribus, quam recentioribus, iuxta ductum aphorismorum Hippocratis compositum*; qui liber Giessae primum 1655. 4. mox & Vlmae 1661. pari forma excusum

cuſum prodiit, non agnoſcit quidem medicum autorem; nihilo tamen minus eius eſt indolis atque conditionis, vt & ſalutaris artis cultores varia inde commoda in ſe deriuare queant.

§. VIII.

Quum recenſiti hactenus ſcriptores maximam partem de ſolo Hippocrate ſolliciti fuiſſent, aliis ſaeculo elapſo decimo ſeptimo, & currente nunc octauo decimo, trita adeo via non amplius arridebat. BARTHOLOM. CASTELLVS *Lexicon* ſuum *medicum graeco-latinum* prima vice g) edebat Venetiis anno 1607. 8. Quanquam igitur opuſculum hocce naeuis atque defectibus multiplicibus ſcatebat; non deerant tamen, qui additamentis pariter ac emendationibus ſuis idem doctorum magis accommodatum vſibus reddere ſtudebant. EMMANVEL STVPANVS iubebat illud, ſequenti ornatum titulo: *Lexicon medicum graeco-latinum, a Barthol. Caſtello inchoatum, nunc vero myſtarum apollineorum in commodum publicum, opera & ſtudio* EMMAN. STVPANI, *ex Hippocratis, Galeni, Auicennae, & complurium aliorum ſumme celebrium medicorum monumentis auctum, illuſtratum & perfectum*, prodire Baſileae, anno 1628. 8. ſtudio autem omiſerat in eo nomina & ſignificationes ſimplicium, quia horum reſpectu ad PET. AND. MATTHIOLVM remiſerat. ADRIAN. RAVESTEINIVS in ſua quidem editione eadem inſcriptione huius libri vtebatur, qua ante illum EM. STVPANVS fuerat vſus, nulla quoque ſimplicium, & inprimis mineralium explicandorum habita cura; nihilo tamen minus in titulo iactabat h), lexicon hoc tertia ſui parte auctum, & innumeris, quibus ſcatebat, mendis expurgatum & perfectum eſſe. Praeterea addebat indicem terminorum artis medicae arabicorum, graecorum atque latinorum, per tres columnas parallelas iuxta ſe inuicem diſpoſitorum: qui index, etiamſi vnico tantum quaternione conſtet, tam monſtroſis tamen ipſo-

ipſoque ſono horrendis vitiis i) repletus eſt, vt vix credere queas, hanc conſignationem e calamo RAVESTEINII fluxiſſe.

g) Vid. MONGITORIS *Bibliothec. Sicul.* tom. I. p. 95. vbi vndecim huius libri editiones adducuntur; omiſſa tamen Veneta anni 1642. in 8. cuius in LINDENIO renouato p. 114. iniicitur mentio.

h) Allego editionem Roterodamenſem anni 1665. 8.

i) Ita ex. gr. Vocabula, *Abortus*, *Accidens*, *Aduſtiua*, *Caluitium*, *Canalis*, *Complexio*, *Congelatio*, *Contorſio*, *Conturbatio*, *Fiſſura* &c. inter arabicos, voces autem, *Supinitas*, *Sura*, *Ocrea*, *Emulgentes* &c. inter graecos artis terminos referri, in dicto pinace videas.

§. IX.

Supremam itaque tandem huic operi manum admouebat IACOBVS PANCRATIVS BRVNO, cuius cura illud Noribergae 1682. forma quadripartita excuſum prodibat, ſequenti ornatum rubrica: *Caſtellus renouatus, hoc eſt, Lexicon medicum, quondam a Bartholomaeo Caſtello incboatum, per alios poſtea continuatum, nunc vero ad vera nouaque artis medicae principia accommodatum, a plurimis mendis & vitioſis allegationibus correctum, & innumerabilium pene vocabulorum accesſione amplificatum, a* IAC. PANCR. BRVNONE. *Accedit Mantiſſa nomenclaturae medicae hexaglottae* k), *vocabula latina ordine alphabetico, cum annexis arabicis, hebraeis, graecis, gallicis & italicis, proponentis.* Haec editio auidiſſime ab eruditis excipiebatur, auctiorque Noribergae 1688. 4. ſub titulo, *Amaltheum Caſtello-Brunonianum*, denuo excudebatur, Patauii vero, cum additamentis IOH. RHODII anno 1699. & 1713. 4. iterabatur, denique Lipſiae, vna cum multis, quae manuſcripta reliquerat BRVNO, ſupplementis, eodem anno 1713. l) eadem forma, recudebatur. Ita tandem eiusmodi habitum hoc lexicon induit, vt inter praeſtantisſima huius generis opera referri mereatur.

k) Non autem *heptaglottae*, quemadmodum in BAIERI *Biographiis profeſſorum medic. Altorfinorum*, pag. 126. erronee ſcriptum legitur.

l) Quoniam liber iſte anno 1713. tum Lipſiae, tum Patauii fuit excuſus, notandum eſt, Lipſienſem editionem, propter chartae munditiem,

ditiem, typorumque elegantiam, nec non ob sollicitam magis correctionem, Patauinae longe praeferendam esse. Nihilo tamen minus & posterior haec prae Lipsiensi habet, quo glorietur. Neque enim vel RHODII additamenta, vel adiecta his mantissa nomenclaturae medicae hexaglottae, vel elaborati a CASTELLO & asterisco notati articuli in hac ipsa aeque ac in illa comparent.

§. X.

Sed non substitit hic lexicographorum diligentia; sed inueniebantur diuersi, qui simili labore occupari gestiebant. STEPH. BLANCARDVS emittebat suum *Lexicon medicum nouum graeco - latinum, caeteris editionibus longe perfectissimum, cum belgica, germanica, gallica & anglica interpretatione,* quod Lugd. Batau. 1690. 8. impressum est. Iste liber, etsi initio plurimis laborabat defectibus, nihilominus multos inueniebat, ob formae, quam dicunt, commoditatem aeque ac vile pretium, fautores atque emtores. Vnde factum, vt, post frequentissime iteratas editiones variasque emendationes, tandem, cura ac studio IOH. HEINR. SCHVLZII m) eiusmodi habitu publice comparuerit, vt tam propter plenum n) vocabulorum numerum, quam propter adhibitam accuratam diligentiam in deducendis graecanicarum vocum etymologiis o), earundemque significatione explicanda p), omnibus reliquis, quae nunc exstant, lexicis iure merito praeponendum censeatur. Vnum est, quod in hac ipsa desideratur editione, quod non maioribus paullo characteribus exscriptus, nec melior & candidior charta exscribendo adhibita fuit.

m) STEPH. BLANCARDI *Lexicon medicum renouatum, in quo totius artis medicae vocabula vsitata breuiter & dilucide explicantur. Recensuit, aliquibus locis auxit, pluribus emendauit* IOH. HENR. SCHVLZE. Halae Magdeb. 1739. 8.

n) Studio tamen SCHVLZIVS exstantes in non nullis antecedentium editionum denominationes, non solum gallicas, anglicas, batauas; sed & latino - barbaris quondam vsitatos, hodie vero plane desuetos & obsoletos terminos omisit.

o) V. gr. *Anasarca, Coloboma, Sphenoides, Aegagropilus* & similium.

p) V. c. in voce, *Angiologia, Thorax.*

§. XI.

§. XI.

Quum autores hactenus enumerati patria doctorum lingua vsi fuerint; IO. IACOBVS WOYT, CHRISTOPHORVS HELLWIG & ARTHVRVS CONRADVS ERNSTING simile quid in lingua teutonica tentauerunt, vt lectoribus latini sermonis non satis peritis, curiosis tamen, hac ratione subuenirent. Primi, WOYTI nempe, opus, quod initio volumen mediocre formae octipertitae q) efficiebat, exhibens tantum lexicon pro pharmacopoeorum chirurgorumque vsibus, insecuto autem tempore, variis adauctum accessionibus, in volumen quadripartitae formae excreuit, & nuperrime vndecima, quod dicit inscriptio, vice prodiit, sequenti ornatum est titulo: *D.* IOHANN IACOB WOYTS *Gazophylacium medico-physicum*, „oder, Schatz-Kammer medicinischer vnd „natürlicher Dinge, in welcher alle medicinische „Kunst-Wörter, inn- vnd äusserliche Kranckheiten, „nebst derselben Genes-Mitteln, alle Mineralien, „Metalle, Erze, Erden, zur Medicin gehörige frem- „de vnd einheimische Thiere, Kräuter, Blumen, Saa- „men, Säffte, Oele, Harze &c. alle rare Specereyen „vnd Materialien, vnd viel curiöse zur Mechanic ge- „hörige Kunst-Griffe, in einer richtigen lateinischen „Alphabeth-Ordnung, auf das deutlichste erkläret, „vorgestellet, vnd mit einem nöthigen Regifter ver- „sehen worden. Leipzig 1743. 4.„ De origine atque deriuatione vocabulorum graecanicorum plane non sollicitus fuit auctor, quo labore ipsi, idiotis & indoctis scribenti, nec opus erat; nihilo tamen minus hoc lexicon vsibus aliorum satis est commodum r), etiamsi, ratione perfectionis seu plenitudinis s), nec non accuratioris explicationis t) quarundam vocum, laudatae modo editioni BLANCARDI Schulzianae, omnino cedere cogatur idem.

q) Gerebat tunc titulum: IOH. IAC. WOYT *Thesaurus pharmaceutico-chirurgicus, oder, gründliche Erklärung der üblichsten Kunst-Wörter, welche in Lesung teutscher medicinischer Bücher vor-*

vorkommen, sonderlich den Apothekern vnd Wund-Aerzten, die der lateinischen Sprache nicht kundig, zum Nutz in Druck gegeben. Leipzig 1696. 8.

r) Nimia tamen copia formularum, quae multos complent quaterniones, quaeque ad argumentum libri huius generis non pertinent, omnino debebat abesse.

s) Ita, e. c. in editione Lipsiensi anni 1737. articulos, *Cascarilla, Pedra de Cobra, Mungos, Moly, Cirsium, Oenanthe, Holoconitis, Thesion*, compluriaque alia, frustra quaesiui; quanquam posteriores duo ab ipso quoque SCHVLZIO fuerint praeteriti.

t) Vid. Vocabula not. p. indicata.

§. XII.

CHRISTOPHORI HELLWIGII, Germanica lingua conscriptus liber, cuius isthaec est inscriptio: *Vollkommenes teutsch- vnd lateinisches, physicalisch- vnd medicinisches Lexicon, worin die Kunst-Wörter der Medicorum, Apotheker, Chirurgorum vnd Materialisten, ingleichen der Gefässe vnd Arbeiten, Materialien, Stücke, Präparaten, Medicamenten, dererselben Compositionen, Doses vnd dergleichen mehr, als auch gründliche Nachricht, wie iedes aussiehet, es sey von Kräutern, Thieren, ober- vnd vnterirdischen Mineralien, vnd wie selbige teutsch vnd lateinisch genennet vnd zubereitet werden, nebst einem Register der Kranckheiten vnd bewährten Recepten der berühmtesten alten vnd neuen Medicorum, mit grossem Fleiß etliche Iahre her zusammen getragen, vnd selber experimentiret worden;* qui Hanouerae anno 1713. 4. impressus est, tantum abest a perfectione iactata, vt, aeque ac multa alia Thuringici istius polygraphi scripta, praeterire eundem, eoque carere, sine graui iactura, valeamus. Dispositum est illud opus iuxta seriem elementorum teutonicorum u), scriptumque stilo valde intricato atque inaequali, quoad articulos eorundemque aptam expositionem & euolutionem, multi deprehenduntur hic defectus: eo pluribus contra formulis, compositionibus & praeparatis pharmaceuticis, e tritissimis vulgo dispensatoriis mutuo sumtis, adeo oneratum, vt liber vltra dimidiam sui partem iisdem sit oppletus.

u) Ab

u) Ab hoc tamen ſibi praeſcripto ordine ſaepius diſcedere minime dubitauit autor; quod abunde patebit euoluturis articulos: *Ammi, Amomum, Animae gummi, Mercurius, Nitrum, Opium* &c.

§. XIII.

ARTH. CONR. ERNSTINGIVS, qui nullum, ex ſua opinione, ſatis idoneum neceſſariisque inſtructum requiſitis w) librum inuenire potuit, quem commode pharmaceutices ſtudioſo in manus traderet atque commendaret, ipſe tandem lexico & diſpenſatorio pharmaceutico ab ſe adornato, defectui huic & deſiderio ſubuenire ſtuduit. Quum autem fertilis eius crena hic non ſubſtiterit, ſed, ceu epimetrum quoddam, protulerit etiam lexicon practico - chymicum, theoretico - medicum, chirurgicum, & theoretico-anatomicum; compacta haec quinque diuerſa lexica, lingua germanica conſignata, in vnum veluti corpus editor redegit, & tandem Helmſtadii anno 1741. in 4. luci expoſuit publicae, cui titulum fecit: *Nucleus totius medicinae quinque partitus.* Quamlibet igitur in praefatione praemiſſa conceſſerit ipſe, inſcriptionem huius libri eſſe eiusmodi, vt nonnullos offendere queat, nimisque ampla & magnifica videri: ſpe tamen ſe ipſe lactat haud vana, fore, vt omnium iudicio pro *lexico medico ſelecto* haberi valeat. Quoniam vero autor non ſolum terminos artis arabicos, latino - barbaros aliosque antiquatos dudumque obſoletos, & eam ipſam ob cauſſam ab aliis praetermiſſos, faſtidioſa copia collectauit; ſed & in *Lexico theoretico - medico* adducendis exoticis & inuſitatis medicaminibus, quae tamen ipſe in praefatione *Lexici pharmaceutici* nigro ſale conſperſa cauillatus fuerat, occupatur: credo equidem, futuros & alios, qui non ſine iuſta cauſſa iactatum adeo ſelectum x) mecum in dubium vocent.

w) Praecipuum, quod deſiderat & carpit, eſt hoc, quod vulgo multa ſimplicia & compoſita pro vſitatis atque officinalibus venditari ſoleant, quae tamen aut raro aut omnino nunquam in officinis inueniantur. Verum quum vna officina plerumque melius inſtructa

sit altera; considerandum praeterea probe, pharmaceuticos eiusmodi libros non scribi pro vna sola regione, facile adeoque accidere posse, vt hoc illudue vsitatum sit in Saxonia superiore, Heluetia, Alsatia, & sic porro, quod in aliis regionibus vix quaeritur.

x) Nemo profecto crediderit, se hic in articulo, *Pilulae*, *Pillen*, inuenturum fuisse integram illam, musis luxuriantibus vsitatam, rhapsodian: *Purgantius, ein Mediciner*, &c. Hem selectum!

§. XIV.

IOHANNIS BAPTISTAE COLLARD DE LA DVCQVERIE *Lexicon medicum vniuersale etymologicum & philologicum, in quo vndecies mille vocabula rarioris vsus, ab auctoribus graecis, latinis, & gallicis, qui de medicina, chirurgia, pharmacia, botanica, chymia & physica hactenus scripsere, vsurpata, enucleantur & illustrantur, eorumque notiones, originationes, & vsus reteguntur. Opus maxima rerum varietate, non medicis solum, sed & aliarum scientiarum cultoribus perutile, ex selectis lexicographis hactenus editis sedulo, per viginti solidos annos, ita collectum, vt quater mille voces, asterisco praenotatas, quas in amplissimis quibusque lexicis desideres, complectatur;* latet, quantum equidem scio, manuscriptum in scriniis, estque dolendum omnino, non inuentum fuisse hactenus bibliopolam, qui tanti laboris tantaeque molis operi, cuius non minor futurus esset vsus, in lucem protrahendo obstetricias manus atque sumtus suppeditaret; quum illud iam inde ab anno 1715. y) perfectum, prelum exspectauerit. Quid THEODORVM TRONCHINVM & LVDOVICVM DE NEVFVILLE impediuerit, quo minus promissum z) a sese *Lexicon medicum, in quo totius artis medicae termini, in theoria & praxi medica, anatome, chirurgia, pharmacia, chemia, botanica, definiuntur, ac iuxta physices & mechanices demonstrata principia exponuntur*, cuius prima lineamenta iam anno 1732. 4. Amstelodami praemiserunt, hucusque exhibuerint? me quidem latet; veri tamen mihi simile videtur, consilium vtriusque forte sufflaminatum eo fuisse, quod IOHANNES PHILIPPVS BVRGGRAVIVS, iunior, idem a) circiter tempus

pus *Lexicon medicum vniuersale omnium verborum, praecipue vero rerum, ad medicinam & disciplinas illi famulantes spectantium, explicationem systematicam exhibens* &c. eruditis promiserit, cuius etiam mox tomum primum b), litteras A & B. complexum, Francofurti ad Moenum anno 1733. f. diuulgauit, reliquas autem diffusi huius operis partes nondum publicauit.

y) Vid. Noua litteraria anni 1715. pag. 50. seq.
z) Vid. eadem Nou. litter. anni 1733. pag. 280.
a) Vid. Commerc. litterar. Norimberg. anni 1732. pag. 81. seq. & Noua litteraria eiusdem anni, pag. 146. seq.
b) Vid. Commerc. litterar. Norimberg. anni 1733. pag. 238. seqq.

§. XV.

Hactenus recensui lexicographos medicos generaliores; nunc de illo quoque autorum genere, qui in hanc vel illam medicae artis partem pecularia composuerunt lexica, ea quae scitu maxime erunt necessaria, proferam in medium. De chirurgicae artis terminis I. PHILIPP. ROTHE emisit *Lexicon* suum *chirurgicum*, Lubecae anno 1743. 8. impressum: multa autem eidem is inseruit eo non pertinentia c). Intuitu anatomiae, similem in se suscepit laborem CHRISTOPH. HELLWIGIVS, qui lingua germanica emisit *Neu eingerichtetes Lexicon anatomico-chirurgicum*, quod Lipsiae anno 1711. in 8. luci expositum est publicae. Nuperrime quoque anonymus quidam diuulgauit *Lexicon anatomicum latino-germanicum artis salutaris tyronum in vsum conscriptum* a I. G. H. M. P. Lipsiae 1743. 8. excusum. Quum vero is veteres scriptores consulere neglexerit, non semper tuto fidere quis d) poterit adsertis eius. Botanices terminos collegit, eosdemque, cum in *Praedio* e), quod vocat, *rustico* tum in *libello selecto de re* f) *hortensi*, ex parte explicauit CAROLVS STEPHANVS.

c) Ex. gr. *anima, ars, collegium, homo, mors, infans, puer, puella, vir, virgo, foemina, mulier, iuuenis, senex, sanus, saluus, scientia* &c.
d) Sic e. c. erroneum est, quando *thoracem* pro ventre medio eoque solo habuit; quando BOTALLVM facit inuentorem forami-

nis oualis, ASELLIVM inuentorem lacteorum, PECQVETVM repertorem & indagatorem ductus thoracici. Taceo, quod non nullos etiam plane omiserit terminos, v. gr. *Tuba Eustachiana* &c.

e) Paris. 1554. 8.

f) Lugdun. 1536. 8.

§. XVI.

De Chemia plures g) mereri bene studuerunt. MICHAEL TOXITES *Onomasticon Theophrasti Paracelsi, seu, earum vocum, quarum in scriptis eius solet vsus esse, explicationem,* Argentorati anno 1574. in 8. typis exscribendum curabat. GERHARDVS DORNEVS *Dictionarium Theophrasti, continens obscuriorum vocabulorum, quibus in suis scriptis passim vtitur, definitiones,* Francof. 1583. 8. edebat. Monuit autem TOXITES, articulo, *Elixir*, modo citati onomastici sui, DORNEVM stilum Paracelsi non omnino intellexisse, nec eius vbique mentem adsecutum: quam ob rem nec explicationibus ipsius, nec latinis scriptorum Paracelsianorum versionibus ab eodem adornatis, tuto fidi posse. LEONH. THVRNEISSERI *Onomasticon,* vel, *Ausführliche Erklärung etlicher fremden vnd unbekannten Wörter vnd Reden Paracelsi, Magnae* eiusdem, quam vocat, *alchymiae*, quae Coloniae Agrippinae anno 1587. fol. excusa est, subnectebatur. Attamen fatendum, MART. RVLANDI *Lexicon alchemiae, siue, dictionarium alchemisticum, cum obscuriorum verborum & rerum hermeticarum, tum Theaphrast-Paracelsicarum phrasium, planam explicationem continens;* quod Francofurti 1612. 4. & Noribergae 1671. 4. excusum fuit: nec non GVILIEL. IOHNSONII *Lexicon chymicum,* Londini aliquoties, optime vero Francofurti anno 1676. 8. euulgatum, ante dictis lexicis chemicis esse praeferenda.

g) Etenim multi etiam in suis compendiis, siue, institutionibus chemicis, in dispensatoriis, pharmacopoeiis &c. sequuti exempla ANDREAE LIBAVII, PETRI HOLTZEMII, IOH. SCHROEDERI, CHRISTOPHORI GLASERI, pluriumque aliorum, idque obiter tantum, chemicae artis terminos explicuere; hos vero ego parum morari me passus sum, quum non ex instituto hac de re egerint.

§. XVII.

Maxima tamen pars circa pharmaciam, connexamque eidem materiam medicam occupari voluit. Quae GALENVS, de simplicium facultatibus Lib. VI. seqq. ORIBASIVS medicinal. Collect. Lib. XI. XII. XIII. AETIVS Tetrabibl. I. Serm. I. AEGINETA Lib. VII. cap. 3. & alii non nulli, de simplicibus ordine alphabetico protulere in medium; ea non tam ad euolutionem terminorum, quam ad indagationem virium, virtutum atque affectuum ipsorum simplicium spectant. Vetustissimum, ni fallor, huius generis lexicon fuit illud, quod sequentem praefert inscriptionem: SIMONIS IANVENSIS opusculum, cui nomen, *Clauis sanationis, simplicia medicinalia latina, graeca & arabica, ordine alphabetico mirifice elucidans, recognitum, a mendis purgatum, & quotationibus Plinii maxime ac aliorum in marginibus ornatum, & quam diligentius & correctius id fieri potuit, impressum* Venetiis 1514. fol. Veruntamen iam alibi me monuisse memini, aeque nos rariori isthoc libro hodie supersedere atque carere posse, ac MATTHAEI SYLVATICI *Pandectis medicinalibus.* Quantum vero ad IACOBI DONDI adtinet *Promtuarium* h) *medicinae,* vnum hoc est, quod obseruare operae duxi pretium, syllabum isthunc materiae medicae magis de indicandis simplicium virtutibus, quam de ipsorum indole & natura describenda atque elucidanda esse sollicitum.

h) Venet. 1481, & 1576. fol.

§. XVIII.

A decimo sexto inde saeculo, ad nostra vsque tempora, non defuerunt scriptores eiusmodi, qui edendis lexicis pharmaceuticis fuerunt occupati. FERDINANDI de SEPVLVEDA *Manipulus medicinarum, in quo continentur omnes medicinae tam simplices quam composit.ae,* Salamancae 1523. fol. impressus, paucis constat plagulis. LAVRENTII FRISII (seu

PHRISII) *Synonyma materiae medicae, vnd gerechte Auslegung der Wörter, so man in der Arzeney allen Kräutern, Wurzeln, Blumen, Bomen, Gesteinen, Säfften, und andern Dingen zuschreibet, in lateinischer, hebräischer, arabischer, griechischer vnd mancherley teutscher Zungen,* qui liber Argentorati anno 1519. fol. excusus, ibidemque eadem forma anno 1535. recusus fuit, perquam exigui opus est momenti. OTTONIS BRVNFELSII *Onomasticon*, seu, *Lexicon medicinae simplicis, addita vocum quarundam germanica expositione, iuxta veriorem Dioscoridis historiam*, Argentorati 1534. & 1544. fol. emissum, mercibus dudum obsoletis est adnumerandum; quemadmodum etiam CONRADVS GESNERVS in praemissa herbario HIERON. TRAGI praefatione iam tum de eodem contemtim admodum loquutus fuit. FRIDER. MVLLERI *Lexicon medico-Galeno-chymico-pharmaceuticum*, vel: *gründliche Erklärung achtzehen tausend medicinischer Namen, so wohl der Bäume vnd Früchte, Kräuter vnd Bluhmen, Wurzeln vnd Saamen, Thiere vnd Vögel, Metallen vnd Erze, Erd- vnd Meer-Gewächse, als auch etlicher Kranckheiten bekannt vnd vnbekannte Namen, vnd Zeichen der Gewichte vnd chemischen Characteren* &c. quod Francofurti ad Moenum anno 1661. fol. prelo exiit, nihil est aliud nisi ieiunus & macer quidam nomenclator, cuius vnumquodque folium in columnis trifidis vel quadrifidis exhibet diuersas simplicium denominationes iuxta se inuicem dispositas, citra vllam eorundem vel descriptionem vel explicationem.

§. XIX.

Quum adeo infeliciter cessisset in hoc studiorum genere hactenus labor; nouissimis temporibus diuersi excitabantur ad vrgendum opus maiori studio maioreque industria. Notissimus ille polygraphus, CHRISTOPH. HELLWIGIVS, vno anno duobus lexicis donabat eruditos, iisque vnius & eiusdem argumenti i). Prius inscriptum: *Thesaurus pharmaceuticus,* vel,

vel, *Apotheker-Schaz;* posterius vero hac rubrica notatum: *Neu eingerichtetes Lexicon pharmaceuticum*, vel, *Apotheker-Lexicon* &c. Lipsiae anno 1710. 8. lucem mundi salutabat: vtrumque vero eiusmodi erat, vt titulo non omnino satisfaceret. IOH. HELFRICVS IÜNGKENIVS quidem *Lexicon* suum *chymico-pharmaceuticum* Francofurti anno 1709. in forma octopartita optime iam diuulgarat; is vero de simplicibus describendis minime sollicitum se gesserat, sed conatus tantum fuerat, compositiones maxime vsitatas atque praecipuas chemicorum atque Galenicorum remediorum, serie alphabetica, in eodem exhibere. DAVID DE SPINA, *Lexicon* suum *pharmaceutico-chymicum* Francofurti anno 1715. in 8. altera vice recudendum curabat. NICOLAVS quoque LEMERI Dictionarium suum gallico idiomate conscriptum, idque auctius, ornatum titulo: *Dictionaire, ou, traité vniuersel des drogues simples, mises en ordre alphabetique*, Lutetiae Parisiorum anno 1714. forma quadripartita, denuo emittebat; suppeditans hoc ipso librum talem, qui hoc in genere reliquos hactenus vincit: qui etiam, ob praestantiam suam, in Italicam k), Germanicam l) & Batauam linguas dudum translatus fuit.

i) Vid. MOTSCHMANNI *Erfordiam litteratam* volum. I, pag. 143. sq.
k) Vid. Noua litteraria anni 1743. p. 389.
l) Titulus germanicae versionis est sequens; NIC. LEMERI *vollständiges Materialien-Lexicon, darin alle vnd iede Simplicia vorgestellet sind, welche aus den sogenannten dreyen Reichen der Thiere, Kräuter vnd Mineralien, hauptsächlich zu Dienst der Medicin-vnd Apotheker-Kunst genommen vnd gebraucht werden &c. aus dem französischen ins teutsche vbersetzet von* D. CHRISTOPH FRIDRICH RICHTER *Leipzig* 1721. fol.

§. XX.

Denique IOH. CHRISTOPH. RIEGERVS Lexicon pharmaceuticum, quod ex omni parte debebat esse absolutum, edere coepit, cui sequentem fecit titulum: *Introductio in notitiam rerum naturalium &*

arte factarum, quarum in communi vita, sed praecipue in medicina, vsus est; exponens materiam medicam, seu historiam simplicium, medicamenta composita, eorumque componendorum rationes, & therapeuticas remediorum classes, vna cum terminis apud botanicos, chemicos & pharmacopoeos vulgo receptis. Per alphabeti ordinem digessit IOH. CHRISTOPH. RIEGER. tom. I. & II. Hagae Comitum 1743. 4. Quoniam vero in duobus hisce tomis vix tres priores litterae, A, B. C. comparent: & quoniam diffusum hoc opus, quod nihil aliud est, quam instar cuiusdam magni dictionarii seu nomenclatoris rei medicae, facile ad quindecim pluraue volumina formae quadripartitae excrescere poterit; credo equidem, pro tironibus illud prolixum nimis atque sumtuosum futurum; illis autem, qui ipsos fontes haurire norunt, taedium fortasse creabitur, si vel minutissima, per omnes, quod dici solet, circumstantias, legerint hic enarrata atque euoluta.

CAP. I. SECT. VI.

DE METHODOGRAPHIS MEDICIS.

CONTENTA:

De Hippocratis & Galeni scriptis isagogicis §. 2. *De Sorano, A. Villanouano, M. Steinpeisio, I. Cornario,* §. 3. *De Methodographis saeculi XVI.* §. 4. 5. *De Methodographis saeculi XVII. & XVIII.* §. 6-9. *De scriptoribus peregrinationis medicae.* §. 10. 11.

§. I.

Quanquam scriptorum illorum, qui de modo & ratione artem salutarem solide discendi scripserunt, non exiguus exstet numerus, idque peculiaria de hoc argumento edita eorum scripta testentur; parilis tamen eiusmodi methodorum videtur esse ratio fere,

fere, ac regularum diaeteticarum. Scilicet sunt illae quidem in genere & bonae, & lectu vtiles, sed vbi ad rem ventum est, quoad speciem, vt dicunt, difficiles applicatu; quum vtrinque bona fortunae sint consideranda, quae vbi nos destituunt, vel praestantissimas cautelas, optimaque monita, & saluberrima consilia a) frustra esse, necesse est.

a) Quando e. gr. IOH. RHODIVS in *Introductione ad medicinam*, tempus addiscendae arti medicae sexennale praescribit; studioso autem vix biennii suppetunt sumtus, quibus in academia viuat; consilia, si non omnia, certe pleraque tum erunt inania.

§. II.

Quaecunque HIPPOCRATES pariter atque GALENVS huc pertinentia litteris consignata reliquerunt, ea omnia ac singula RENATVS CHARTERIVS operum vtriusque horum antiquorum medicorum, Lutetiae Parisior. anno 1639. fol. iunctim editorum, tomo secundo inseruit, & quidem plenissime, insignita hoc titulo: *Isagogica Hippocratis & Galeni opera.* Inter ea retulit *prioris* quidem ius iurandum; legem; librum de arte; de prisca medicina; de medico; de decenti habitu; & praeceptiones: *Posterioris* vero orationem suasoriam ad artes; historiam philosophicam; librum de optima doctrina; de constitutione artis medicae; de sectis ad eos qui introducuntur; de arte medica; de definitionibus medicis; de partibus artis medicae; de optima secta ad Thrasybulum; de subfiguratione empirica; introductionem, seu, medicum; & denique tractatum, quod optimus medicus sit etiam philosophus. Cuncta haec selegit, &, vna cum variis fragmentis Galenicis, glossaria quoque Hippocratica *Erotiani, Herodoti*, atque *Galeni* adiecit. Ediderunt quidem & LVDOVICVS COLLADO *Isagogen medicam ex Hippocrate & Galeno*, Valentiae 1565. 8. impressam; nec non SEBAST. SINGKELERVS *Medicorum scholam*, seu, *Claudii Galeni Isagogen*, Basileae anno 1537. 8. excusam: falleretur autem, qui in vtroque

hoc

hoc libro eadem se crederet b) repertum, quae RENATVS CHARTERIVS in tomo modo dicto labore magno congessit.

b) Namque, e. g. SEBAST. SINGKELERVS in praedicto libro nihil vlterius exhibet, quam *Galeni* introductionem, seu, medicum, & definitiones medicinales, quae iunctim, graece & latine, adiecto praeterea indice, imprimenda curauit.

§. III.

SORANI *Ephesii Isagogen in artem medendi* aeque, ac IOANNITII *Isagogen in microtechnen Galeni*, optimo iure praeterire possum: nihilo tamen minus de vtroque hoc compendio medico, in quorum neutro quidquam bonae frugis, capite quarto dicendi occasionem arripiam. Nec est, quod me ARNOLDI VILLANOVANI *Speculum introductionum medicinalium*, quod statim in fronte ipsa tomi primi operum eius, Basileae anno 1585. in fol. impressorum, collocatum comparet, diu moretur. Numquid solidi in se contineant MART. STEINPEISII *Libri VII. de modo studendi seu legendi in medicina*, qui Viennae anno 1520. 4. prodierunt? de eo certi, quod affirmem, non habeo, quum nunquam oculis eosdem vsurpare mihi licuerit. Id vero me quidem non fugit, IANI CORNARII *Medicinam*, seu, *Medicum; accedunt eiusdem orationes duae, altera, Hippocrates*, seu, *Doctor verus: altera, de rectis medicinae studiis amplectendis.* Basileae 1556. 8. locum hic omnino aliquem mereri.

§. IV.

Saeculo decimo sexto diuersi inuenti sunt medici, qui de ratione ac methodo addiscendi artem medendi peculiares compofuere libros: quorum non nulli, dum viuerent, ipsi c) suos ingenii partus in luminis auras ediderunt; alii vero manu scriptas post se reliquerunt lucubrationes suas. Vtriusque generis selectam syllogen quandam dedit nobis IOHANNES GEORG. SCHENCKIVS, rubrica notatam

se-

ſequenti: IOH. GEORG. SCHENCKII, *De formandis medicinae ſtudiis, & ſchola medica conſtituenda, enchiridion ſelectum, quo continentur:* I. HIERON. MERCVRIALIS *Epigraphe de ratione diſcendi medicinam.* II. HONORATI CASTELLANI *Oratio, qua futuro medico neceſſaria explicantur.* III. IOH. PLACOTOMI *Oratio de ratione diſcendi, ac praecipue medicinam.* IV. IACOBI SYLVII *Ordo, & ordinis ratio in legendis Hippocratis & Galeni libris.* V. IOH. ALB. WIMPINAEI *Methodus docendi medicinam.* Argentorati 1607. 12.

c) Quo pertinent e. g. HONOR. CASTELLANI Oratio, quae Lutetiae Pariſ. 1555. 4. impreſſa eſt; IOH. PLACOTOMI Oratio, quae Lipſiae 1552. 8. lucem adſpexit. Nec minus IAC. SYLVII allegatum ſchediaſmation Pariſiis 1561. 8. a morte tamen demum autoris, ſeparatim prodiit.

§. V.

Fuerunt tamen & alii hoc ipſo ſaeculo, qui varias componendo manuductiones, diſcendi cupidis inſeruire ſtuduerunt. IOHANNIS CRATONIS *Iſagoge* d) *medicinae* proprie quidem referenda eſt inter compendia; ob ſubnexam tamen ealci eius *Epiſtolam, qua recte legendi Galenum ratio oſtenditur*, locum illi hic non concedere non potui. HIERONYMVS MONTVVS tam in *Sermonibus ſex de medicis* e), quam in *Opuſculis* f) *iuuenilibus*, vnum & alterum contulit in medium, quod praeterire mihi haud licet. In priore enim opuſculo agitur ſerm. II. de diſciplinis medico dogmatico neceſſariis; in poſteriore vero exſtat libellus de his, quae ad rationalis medici diſciplinam, munus, laudes, conſilia & praemia pertinent. IACOBVS HORSTIVS, quum munus Profeſſoris Helmſtadienſis adgrederetur, anno 1584. prolixisſimam, eamque multis excellentibus monitis refertam, habuit *Orationem, de remoris diſcentium medicinam, & earum remediis*, quae poſtmodum epiſtolis eius philoſophicis & medicinalibus, Lipſiae anno 1596. in 8. impresſis, a pagina 530. vsque ad paginam 594. inſerta fuit. IOHANNIS HEVRNII g) *Diſſertatio de ſtudio*

dio medicinae recte instituendo, multo est compendiosior; continet tamen complures elegantes atque lectu dignas obseruationes: quanquam negari nequeat, de Arabum medicis nimis contemtim illum locutum. IACOBI PONS *Medicum*, seu, *rationem ac viam aptissimam ad recte tum discendam, tum exercendam medicinam*, Lugduni 1600. 8. excusam nunquam ego vidi.

d) Venet. 1560. 8. Hanouiae 1595. 8.
e) Lugdun. 1534. 8.
f) Lugdun. 1556. 8.
g) Inserta haec legitur HVGONIS GROTII aliorumque Dissertationibus de studiis instituendis, Amstelodami 1645. 12. impressis, pag. 565. seqq.

§. VI.

Quemadmodum IOH. GEORG. SCHENCKIVS, de quo supra dictum, nonnullos saeculi decimi sexti methodographos iunctim excudendos curauit; ita & GÜNTHER CHRISTOPHORVS SCHELHAMMERVS simile quid praestitit in scriptoribus septimi decimi. Is enim, quum HERMANNI CONRINGII Introductionem in vniuersam artem medicam singulasque eius partes, suis ipsius additamentis adauctam, Helmstadii anno 1687. in 4. recudendam curaret, consultum ducebat, CASPARIS BARTHOLINI h) *Consilium de studio medico incboando, continuando & absoluendo*; PETRI CASTELLI i) *Optimum medicum*; IOHANNIS ANTONIDIS VAN DER LINDEN *Manuductionem* k) *ad medicinam*; & IOHANNIS RHODII *Introductionem ad medicinam paullo accuratiorem*, eiusque *Bibliothecam medicam*, ad instar mantissae, adiicere eidem. Quandoquidem vero de ea iam superius sect. IV. §. 18. verba me fecisse recordor; hoc loco id tantum addendum putaui: tractatus PETRI CASTELLI atque LINDENII, opusculis *Bartboliniano* ac *Rbodiano* omnino praeferendos esse.

h) Hafniae anno 1628. in 8.
i) Messanae anno 1637. in 4.
k) Louanii anno 1639. in 12.

§. VII.

§. VII.

Praeter ſcripta illa, quae SCHELHAMMERVS prelo denuo ſubiicienda curauit, alii quoque iſtius temporis medici ſymbolam ſuam conferre huc voluerunt. PETRI LAVREMBERGII *Laurus Delphica*, ſeu, *conſilium, quo deſcribitur methodus perfacilis ad medicinam*, Lugduni Bat. a. 1621. in 12. lucem conſpiciebat publicam, mox anno 1623. Witebergae eadem forma recuſum. SAMVELIS HAFENREFFERI *Raphaël*, *artem medicam feliciter cum inchoandi, tum continuandi, abſoluendi tractandique, fideliter informans, nec non rationes peregrinandi, & pharmacopolia viſitandi, aphoriſtice docens*, Tubingae anno 1622. in 12. prodibat, inueniebatque tantum illo tempore applauſum tantumque approbationis iſte libellus, vt crebrius iteranda eſſet l) eiusdem editio. Hoc non obſtante, diffitendum minime eſt, DANIELIS SENNERTI *Methodum* m) *diſcendi medicinam*, publice 1636. Wittebergae praelectam, longe opuſculo Hafenrefferiano eſſe praeferendam. CASPARIS HOFMANNI *Iſagoge medica*, *duabus orationibus, de ratione diſcendi medicinam, & de officio medici, propoſita*, a IACOBO PANCRATIO BRVNONE, ſimul cum huius Oratione de vita, moribus & ſcriptis Hofmanni, Curiae Variſcorum, anno 1661. 12. diuulgabatur, Lipſiae deinceps bis diuerſis annis repetenda prelo n), nec minore approbatione doctorum excepta. ALBERTI KYPERI *Methodus rite diſcendi & exercendi medicinam*, Lugduni Batau. 1642. 12. &, *Clariſſimum Monſpelienſis Apollinis ſtadium*, *curante* CAROLO DRELINCVRTIO, Monſpelii 1654. 12. edita, lectu quoque ſunt & iucunda & vtilia ſcripta.

l) Francof. 1629. 12. Vlmae 1642. 8. Vid. LINDEN. renouat. p. 957.

m) Iunctum eſt hoc ſchediaſma operibus eius vniuerſis; ſeparatim etiam, cura IOH. MAGIRI, cum eiusdem adnotationibus, Marpurgi 1672. 12. editum.

n) Anno 1664. 12. & 1678. 12.

§. VIII.

§. VIII.

THOMAE BARTHOLINI *Breuissima methodus studii medici*, quae actis medicis & philosophicis Hafniensibus anni 1673. pag. 122. seq. inserta legitur, ob nimiam suam breuitatem parum emolumenti dabit. GEORGII FRANCI *Methodus* o) *discendi medicinam* est melioris notae. FRANCISCI HENRICI WERCKMEISTERI *Filum Ariadneum in studio medico* Halae Magdeburg. 1698. 4. res continet multas & pulchras & vtiles eamque ipsam ob caussam lectu dignas. Methodographis tamen huc enarratis vsque, si non omnibus, certe plerisque, SEMPRONII GRACCHI MASSILIENSIS, seu potius p) SAMVELIS GOTTHELF MANITII, *Medicus huius saeculi*, seu, *Herma, tironi medico expeditissimam, qua, ad veri medici requisita feliciter obtinenda, & miserias pene ineuitabiles prudenter declinandas, eundum, viam monstrans* &c. Dresdae 1693. in 8. in lucem prolatus, ob prudentia consilia, solidasque, quas vbiuis locorum inspergit, cautelas, dubiam reddere palmam videtur.

o) Inuenitur haec methodus synopsi eius institutionum medicarum, Heidelbergae anno 1672. in 12. excusae annexa.

p) Vide Bibliothecam *Riuinianam*, p. 204.

§. IX.

BARTHOLDI KRVGERI *Philiater curiosus autodidactus*, seu, *Diagramma demonstrans methodum analyticam discendi veram medicinam*, Brunopoli 1697. in 4. tenuis pretii est opusculum, circa quod plurima, inprimis si spectes libros ab autore commendatos, veniunt monenda atque animaduersione q) digna. IOHANNIS CONRADI MICHAELIS *Praefatio de medicinae hodiernae corruptela, eius caussis atque remediis*, quae operibus medicis DANIEL. LVDOVICI, Francofurti anno 1712. in 4. iunctim editis, praemissa est, cum attentione legi atque perpendi meretur. IOH. MAR. LANCISII *Dissertatio de recta medicorum studiorum ratione instituenda*, Romae 1715. 4. excusa, multa

con-

continet pulchra ac selecta monita; etiamsi autor de allegandis bonis libris, aliisque peculiaribus annotandis sollicitum sese praestiterit minus. IOHANNIS MELCHIORIS VERDRIES r) *Vera ad veram medicinam via*, paucas quidem explet tantum paginas; interim eo plura continet bona atque proficua. HERMANNI BOERHAAVII *Methodi discendi medicinam* prolixiorem vt hic iniiciam mentionem, necesse non est; quum iam superius s) huius libri cum laude, quam meretur, meminerim.

q) Vt enim taceam, secutum illum Petri Rami methodum dichotomicam, in physices studio commendasse scripta MAGIRI, HORNEII, STAHLII, BECHMANNI &c. hoc saltem superinde non habendum; quod ROBERTI FLVDDII opera, maxime autem BOEHMII Mysterium magnum, Auroram &c. nimiis euexerit laudibus, & pagina 4. expresse scripserit: „Theosophi teutonici „vere mystici autoris *Mysterium magnum* super Genesin, sensus „interiores illuminat valde. *Aurora* est plane theosophica. Liber „mysticus *de signatura rerum* est aureus quasi libellus, Dei digitus.„

r) Giessae anno 1714. 4. & 1721. 8.

s) Sectione IV. §. 19.

§. X.

Quum & peregrinationes prudenter institutae ad eruditionem, habilitatem perfectionemque medicorum quamplurimum conferre valeant *); pauca denique de spectantibus huc scriptoribus, raris quidem illis facileque numerandis, afferenda mihi esse video. THEODORI ZWINGERI *Methodus apodemica*, Basileae 1578. 4. impressa, a IACOBO quidem FRIDERICO REIMMANNO t) minime vulgaribus extollitur laudibus; postquam vero ipse opus istud perlegi, non possum non iudicio u) THOMAE BARTHOLINI album adiicere calculum. Pariter & ea, quae SAMVEL HAFENREFFERVS hac de re in modo recensito *Raphaële* habet, exigui sunt momenti. HERMANNVS quoque CONRINGIVS in *Dissertatione* w) *de prudentia peregrinandi*, non id sibi propositum habuit, vt intra solos artis medicae terminos consiste-

ret. Potiori autem iure sequens liber locum hic occupare potest, cui titulus: *Recens nec antea sic visa Galliae politico-medica descriptio, in qua de qualitatibus eius, academiis celebrioribus, vrbibus praecipuis, fluuiis dignioribus, aquis medicatis, fontibus mirabilibus, plantis & herbis rarioribus, aliisque notatu dignissimis rebus ingenue disseritur, iis, qui Galliam adituri sunt, vtilissimi viatici, aliis vero non ingrati oblectamenti instar, communicata* a IO. STEPHANO STROBELBERGERO. Ienae 1620. 12.

*) Vid. BERNARDINI RAMAZZINI *Orat.* XVI. *de medica peregrinatione*, quae scriptorum eius, Patauii anno 1718. in 8. iunctim editorum, tomo IV. p. 361. seqq. legitur.

t) Vid. Eius Histor. litterar. germanor. tom. III. p. 187. seq. vbi & eidem hanc adserit gloriam, quod fuerit primus, qui hodoeporeticen in formam artis redegerit, habitumque peculiaris disciplinae ei induerit.

u) De *peregrinatione medica* p. 20. ZWINGERVS *in Methodo peregrinandi* in generalibus subsistit, cathedrae vtilior, quam itineri medico.

w) Addita est illa dissertationibus eius academicis selectioribus de ratione status, aerario principis &c. Lugduni Batau. 1692. 8. euulgatis.

§. XI.

Vestigia STROBELBERGERI multis quamuis demum post annis, ita pressit THOM. BARTHOLINVS, vt longo viae ducem antecelleret & praecurreret tandem interuallo. *Tractatus Eius de peregrinatione medica, ad Oligerum Iacobaeum, nepotem suum, & filios,* CASP. BARTHOLINVM & CHRISTOPH. BARTHOLINVM, Hafniae anno 1674. in 4. emissus prelo, tanti est ponderis tantaeque praestantiae liber, vt ibi medicus, praeter multa saluberrima consilia, monitaque ingenua, de omnibus ferme in Campania, Calabria, Sicilia aliisque Italiae prouinciis celebrioribus, visu notatuque maxime dignis rebus, longe pleniorem atque sufficientiorem descriptionem reperiat illa, quam STROBELBERGERVS de Gallia delineauit. Quod si de reliquis etiam cultioribus regionibus,

bus, quas petere peregrinantes amant, aeque solida atque fida exstaret instructio; quanto ea medicis peregrinaturis emolumento futura esset, quiuis facile coniectando adsequi potest. Interea, dum carendum nobis simili opere adhuc est, contenti simus oportet iis, quae IOACHIMVS VITVS WIGANDVS, seu potius, IOH. VALENTINVS WILLIVS, in *Dissertationibus tribus de philiatrorum germanorum itineribus*, Friburgi anno 1678. 12. hac de re in medium adtulit.

CAP. II.

DE FONTIBVS MEDICINAE, SEV, SCRIPTORIBVS REI MEDICAE CLASSICIS.

§. I.

Quandoquidem rei medicae scriptores, & quidem illi, qui primi sunt ordinis, quorumque maxima atque praecipua semper fuit autoritas, commode in tres a) distribui possunt classes: ipsa veluti rei natura videtur hanc mihi legem imponere, vt praesens caput in tres dispertiar sectiones. In harum prima acturus sum de *Graecis*, in secunda de *Latinis*, in tertia denique de *Arabicis* medicis, qui ceu fontes rerum haberi solent medicarum. De singulis autem hac agam ratione: vt de monumentorum, quae ab iisdem nobis relicta tenemus, editoribus, interpretibus atque commentatoribus, ea solum in medium sim prolaturus, quae & maxime necessaria, & lectoribus in primis profutura iudicauero.

a) Eorum, qui de arte medica bene mereri studuerunt, primi quidem fuerunt Aegyptii: quoniam autem de eorundem scriptis nec certi nec tuti quicquam haberi potest; non visum est mihi con-

fultum, circa HERMETEM, aliosque, quos haec gens iactare solet, viros doctos atque sapientes, quorum admodum ambigua vt nomina sic merita videntur, longas nectere moras.

§. II.

Quum igitur vir celeberrimus, IOHANNES ALBERTVS FABRICIVS, in vtraque, & graeca & latina, a se edita bibliotheca, ea, quae de graecorum aeque ac latinorum medicorum relictis operibus maxime erant memoratu digna, penitus fere exhauserit; equidem, quae ab illo iam sunt annotata, in compendium quasi strictim contracta ob lectoris oculos sum positurus: reliqua vero, quae, post editas a FABRICIO bibliothecas illas, memoria digna acciderunt, sicubi opus fuerit, suppleam citraque molestam legentibus prolixitatem adiiciam; eos vero qui plura scire desiderant, ad alios scriptores remittam. In his omnibus vero, quem hactenus elegi & secutus sum, temporum ordinem, seriemque chronologicam, exacte porro obseruabo.

CAP. II. SECT. I.

DE MEDICIS INTER GRAECOS PRAECIPVIS.

CONTENTA:

De Hippocrate, §. 1-4. Theophrasto Eresio, §. 5. Dioscoride, §. 6. Aretaeo, §. 7. Rufo Ephesio, §. 8. Claudio Galeno, §. 9-11. Oribasio, §. 12. Aëtio Amideno, §. 13. Alexandro Tralliano, §. 14. Paullo Aegineta, §. 15. Theophilo Protospathario, §. 16. Stephano Atheniensi, §. 17. Iohanne Actuario, §. 18. Nicolao Alexandrino, seu, Myrepso, §. 19.

§. I.

Quam certum est, omnium graecorum medicorum principem ac veluti choragum esse HIPPOCRA-

CRATEM: tam incerti quid e contrario de exſtantibus ſub eius nomine libris adſeri poteſt, num omnes ſint genuini eius foetus. Etſi enim LVDOVICVS LEMOSIVS, in *Iudicio* a) *operum Hippocratis*, praecipue vero HIERONYMVS MERCVRIALIS, in *Cenſura* b) & *diſpoſitione operum Hippocratis*, omnem mouerunt lapidem, vt ingenua ab interpolatis & palam ſpuriis ſcriptis diſcernerent: inuenerunt tamen alii, iique perquam docti, medici adeo multa, quae circa ſuſceptam ab illis luſtrationem atque cenſuram monerent, vt, in hunc vsque diem, ob complures graues cauſſas, ob manifeſtisſimas contradictiones, ob alias denique nunquam finiendas controuerſias c), habeamus, cur votum illud, quod iam dudum IOH. HENR. SCHVLZIVS d) ingeminauit, faciamus noſtrum, idemque ſubinde repetamus.

a) Salmanticae anno 1588. f. Venet. 1592. 8.

b) Venet. 1583. 4. Francofurt. 1585. 8.

c) Eodem referenda etiam eſt quaeſtio, recentisſimis temporibus denuo prolata & agitata: Num in atheorum numero habendus ſit HIPPOCRATES? Affirmare illam non dubitauit NIC. HIERONYMVS GVNDLINGIVS in Otiis, in noua bibliotheca, & praecipue in Gundlingianis part. XXII. & XXIII. Eadem contra ab ANDR. OTTOM. GOELICKIO, nec non a DAN. GVILIELMO TRILLERO in peculiaribus ſcriptis negatur. Quemnam & qualem IOH. STEPHANI *Theologia Hippocratis, in qua Platonis, Ariſtotelis & Galeni placita chriſtianae religioni conſentanea exponuntur*, Venet. 1638. 4. excuſa, ac, propter raritatem ſuam, cura IOH. ALB. FABRICII recuſa, ipſiusque Bibliothecae graecae volumini XIII. p. 192. ſeqq. inſerta, mereatur adſenſum? de eo facile, quisquis eam perlegerit, iudicare poterit. Mihi certe placent, quae IOH. HENR. SCHVLZIVS hac de re ſcribit in Hiſtoria medicinae p. 227. ſequ. Ingenue fatendum eſt, Hippocratem, vt hominem paganum, eximi non poſſe communi illo elogio, quo omnes philoſophi veteres comprehenduntur, ſcilicet Paullino, quo vixiſſe dicuntur ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. Nam quum oppido pauci, ſi modo quisquam illorum, effugerint illum ſcopulum, ad quem haerentes Deum materiae confundebant, ipſumque animam mundi ſtatuebant; apparet, quam late illud falſae philoſophiae venenum fuerit diſperſum.

d) In Hiſtor. medicin. p. 218. Vtinam doctus aliquis vir, ad examen ſeuere reuocatis omnibus, quae iam pasſim de hoc argumento

dicta sunt, aut dici vlterius possunt, planum medicinae Hippocraticae studiosis faciat, ex quibus potissimum libris genuinam eius mentem assequi possint. Quod nisi fiat, *de Hippocrate omnia incerta manebunt*, nec ratio patebit, qua debeant manifeste inter se pugnantia conciliari, aut vera Hippocratis sententia discerni possit.

§. II.

Variae operum Hippocraticorum editiones ex instituto sunt recensitae a IOH. ALB. FABRICIO Bibliothec. graec. lib. II. cap. XXIV. a DANIELE autem GVIL. TRILLERO in *Epistola* e) ad IOH. FREINDIVM accuratissime diiudicatae. Harum igitur praestantissimae atque optimae quum vel nudum textum graecum, vel solum latinum, vel denique graeco latinum iunctum exhibent; notandum, editionem mere graecam omnium primam, quae Venetiis ex officina Aldi anno 1526. in folio prodiit, admodum mendosam, alteram vero, quae, cura ac studio IANI CORNARII, Basileae anno 1538. itidem in folio, ex prelo Hieronymi Frobenii in lucem fuit prolata, haud multo emendatiorem comparuisse. Ad latinas versiones quantum adtinet, qualis fuerit illa, quae aeuo CASSIODORI f) innotuit, nemo indubitato dicere poterit, quoniam iam dudum illa periit. Particulares autem illi libelli, qui a quibusdam latino-barbaris g) latio sunt donati, rarissime ex ipso textu graeco, sed maximam partem e versione arabica sunt translati; vnde facile coniicere quis poterit, quantum illis sit statuendum pretii. Porro, quum, post recuperatum bonarum litterarum studium, MARCVS FABIVS CALVVS, IANVS CORNARIVS, & ANVTIVS FOESIVS, certatim quasi conati sint, integrum *Hippocratem* Romana donare ciuitate; scire licet, CALVI h) operam haud magni aestimatam, CORNARII vero studium mediocrem inuenisse approbationem, FOESII denique versionem i) hactenus pro optima pariter atque accuratissima haberi. Negari tamen minime potest, CORNARII translationem frequenter admodum prela

exer-

exercuiſſe k), eandemque & nuperrime Venetiis l) a IOH. BAPT. PAITONO, vna cum IOH. MARINELLI in Hippocratem commentariis, vt & PETRI MATTH. PINI indice, conſtantem tribus in folio, quod dicunt, tomis fuiſſe recuſam.

e) Rudolſtadii 1720. 8. vid. Noua litterar. Lipſ. latina dicti anni, pag. 185. ſeq.
f) Lection. diuin. cap. 31.
g) e. c. a CONSTANTINO AFRICANO, NICOL. RHEGINO &c.
h) Romae anno 1549. fol.
i) MAGNI HIPPOCRATIS *Opera omnia, quae exſtant, in VIII. Sectiones, ex Erotiani mente, diſtributa. Nunc recens latina interpretatione donata, ac denuo ſeparatim in lucem edita,* ANVTIO FOESIO *autore.* Adiecta ſunt ad VI. ſectionem *Palladii* ſcholia in librum de fracturis, nondum antea excuſa, & nunc primum e graeco in latinum conuerſa, Francofurti 1596. 8. Textus ita eſt correctus, vt nihil facile hic deſideres; charta aliquanto obſcurior eſt & nigreſcens; libri Hippocratici vero nec in capita, nec paragraphos ſunt diſtincti.
k) Videatur LINDENIVS renouatus p. 436. vel FABRICIVS potius loco iam allegato: ab vtroque vltra decem editiones indicantur; vterque tamen omiſit editionem Baſileenſem, quae anno 1543. in folio e typographia Oporiniana fuit emiſſa.
l) Euoluantur noua litteraria anni 1740. pag. 289. ſeq.

§. III.

Editiones graeco latinas quod concernit, de quibus adornandis HIERON. MERCVRIALIS, ANVT. FOESIVS, RENATVS CHARTERIVS, & IOH. ANTONIDES LINDENIVS m) bene mereri ſtuduerunt; MERCVRIALIS quidem primam, perparui vero aeſtimatam; CHARTERIVS nitidisſimam aeque ac pretioſisſimam; vſui accommodatisſimam LINDENIVS n), accuratisſimam denique ANVT. FOESIVS & ad haec vsque tempora optimam ſimul o) editionem procurauerunt. Scilicet ſtudio & labore MERCVRIALIS curata opera Hippocratis graeco-latina, in quatuor ordines digeſta, & ſcholiis illuſtrata, Venetiis 1588. in forma folii extruſa, partim ob nouaturientem diuiſionem ac diſpoſitionem ſcriptorum Hippocraticorum, partim propter adhibitos ad tex-

tum graecum exſcribendum mendoſiores & preſſe nihilo minus ac veluti ad ſuperſtitionem vsque obſeruatos codices manuſcriptos, omni carebant applauſu p) atque adprobatione. LINDENIO vero vitio dabatur, quod in ipſo textu originali audacem nimis criticum egiſſet; quod verſionem CORNARII latinam retinuiſſet; quod, ratione ordinis atque diſpoſitionis librorum Hippocraticorum, veſtigia praeeuntis EROTIANI deſeruiſſet; tandemque quod, aeque ac MERCVRIALIS ante fecerat, innouationis cuiusdam reus factus eſſet. CHARTERII *Opera Hippocratis & Galeni omnia*, graece & latine primum coniunctim edita, & in XIII. tomos digeſta, Lutetiae 1639. fol. & 1679. fol. eiusmodi ſunt, vt, ob nimium ſui pretium, publicis potius bibliothecis ornandis ſint relinquenda, quam ſupellectiti librariae priuati hominis, niſi ſit lautioris conditionis, acquirenda. Qualem de cetero prae reliquis praerogatiuam, quamque palmam ſit conſecutura, promiſſa, cum a FRANCISCO q) CLIFTONO, tum a DAN. GVIL. r) TRILLERO, & STEPH. *) MACKIO, editio omnium operum Hippocraticorum graeco-latina; id vero, vt magiſter rerum optimus, tempus, nos edoceat, exſpectandum.

m) MAGNI HIPPOCRATIS *Coi Opera omnia, graece & latine edita, & ad omnes alias editiones adcommodata, induſtria & diligentia* IOHANNIS ANTONIDAE VAN DER LINDEN T. I. & II. Lugd. Bat. 1665. 8.

n) Superbit forma excellenti, typorum pariter ac chartae plane inuſitatus eſt nitor atque ſplendor: &, quod primarium eſt, quum exhibeat libros Hippocraticos non in capita ſolum, ſed in paragraphos etiam deſtinctos, poteſt lector ſine mora, & citra omne temporis diſpendium, hic euoluendo quaerere & allegare, quicquid ipſi lubuerit.

o) Francofurti anno 1595. 1621. 1645. fol. & Geneuae anno 1657. fol. quae poſtrema editio gloſſariis quidem EROTIANI, HERODOTI atque GALENI adaucta comparet; optima tamen habetur omnium prima.

p) THOM. BARTHOLINI de libris legendis Diſſert. IV. p. 118.

q) Videantur Noua litterar. anni 1728. p. 932.

r) Vid. Noua litterar. anni 1729. p. 61. ſeq.

*) Vid. Noua litterar. an. 1741. p. 220. ſeq.

§. IV.

§. IV.

Maximus ille commentatorum s), qui, tam antiquiore t) quam recentiore aetate, modo integrum ex aſſe Hippocratem, modo peculiariter hunc illumue ex libris eiusdem exponere, lucemque illi adfundere ſunt conati, numerus vt me inpraeſentiarum moretur, non eſt; quoniam de plurimis illorum dicendi ſe mihi commodior offeret occaſio in Bibliotheca medica ſpeciali. Ad rem ipſam quod adtinet, perquam quidem contemtim de omnibus omnino interpretibus Hippocraticis u) iudicauit DAN. GVIL. TRILLERVS w); nec inficias iuero ipſe ego, eorum paucisſimos neceſſariis ad hanc rem ingenii opibus ſuffultos accesſiſſe: aſt, hoc non obſtante, nimiae mihi videtur eſſe audaciae, omnes vno eodemque promiſcue loco habere, vt perinde ſit, Tros Rutulusue fuerit, Therſites, an Neſtor: inprimis, quum tot eximiis longeque celeberrimis medicis plane alia hac ipſa de re mens ſederit. Hi ſiquidem iam dudum, Gallos inter, IAC. HOLLERIO, IOH. GORRAEO, LVDOV. DVRETO, ANVT. FOESIO; ex Italis, IOHANNI x) MARINELLO, HIER. MERCVRIALI, PROSP. y) MARTIANO; in Hiſpanis, FRANC. VALLESIO; inter Germanos denique, IOH. HEVRNIO, THEOD. z) ZWINGERO, IOH. a) OPSOPOEO, & IOHANNI DE GORTER, in ordine interpretum Hippocratis maxime idoneorum ac praeſtantisſimorum ſuum, quem meruerant, locum conceſſerunt.

s) Videatur FABRICII Bibliothec. graec. c. l. vel GOELICKII Hiſtoria medicinae vniuerſalis, tom. I. pag. 724. ſeqq.

t) Antiquiores quantum attinet commentatores, habentur ii partim in deperditis, partim ſunt ſuperſtites hodienum. Ad priorem claſſem referuntur *Bacchius, Glaucias, Heraclides Tarentinus, Zeuxis, Sabinus, Soranus, Pelops, Rufus, Numiſianus, Lycus, Iulianus, Attalio*, &c. Poſteriori clasſi accenſendi ſunt *Galenus, Oribaſius, Palladius, Iohannes Alexandrinus, Theophilus Protoſpatharius, & Stephanus Athenienſis.*

 u) Cor-

u) Coruos deludunt hiantes, scribit TRILLERVS loco mox citando, perditi illi interpretes. Me vero miserum, qui tot eorum volumina peruolui!

u) Vide *Eius commentationem de noua Hippocratis editione adornanda.* Lugdun. Batau. anno 1727. 4. de qua euoluenda noua litteraria anni 1729. pag. 61. seq.

x) IOHANNIS MARINELLI *Commentaria in Hippocratis Coi opera, in quibus morbi omnes, eorumque caussae, signa ac curationes, quae in libris Hippocratis dispersim scribuntur, vna copulantur atque tractantur. Deinde voces ac loca in Hippocratis libris obscura & difficilia ex Galeni sententia declarantur. Postea sententiae plurimae, quae ab Hippocratis dignitate, ob translationes perperam factas, alienae videntur, antiquorum autoritate sunt correctae. Praeterea multa quae saepe leguntur in eiusdem libris, quae a se ipsis alias dissentire videntur, conciliata sunt. Noua & argumenta in singulos libros per* IOHANNEM CVLMANNVM sunt addita. Venetiis anno 1575. fol.

y) Huius *Magnus Hippocrates Cous notationibus explicatus*, optima forma prodiit Romae anno 1626. fol. quum e contrario editio Patauina anni 1718. in fol. minime tam bonae sit notae, multisque laboret vitiis.

z) *Hippocratis Coi viginti duo commentarii, illustrati tabulis a* THEODORO ZWINGERO, Basileae anno 1579. fol. prodierunt, suntque eiusmodi, qui non ob raritatem tantum, sed vel maxime ob sui praestantiam, nouam editionem iam dudum meriti fuissent. In LINDENIO renouato p. 998. inuenitur index viginti duorum illorum librorum Hippocratis, quibus illustrandis vt inseruirent elucubrati sunt modo dicti commentarii.

a) *Hippocratis Coi iusiurandum, Aphorismorum sectiones VIII. Prognostica, Prorrheticorum libros II. Coaca praesagia, iuxta graecum & latinum contextum accurate renouauit, variasque lectiones adiecit* IOH. OPSOPOEVS. Francof. 1587. 12. Repetendum de hoc etiam vtilissimo libro votum, vt prelo denuo subiiciendus curetur.

§. V.

HIPPOCRATEM commode nunc sequi posset ARISTOTELES. Quum vero eiusdem de anatomicis, de plantis, & de medicinalibus consignata opera iam dudum sint in deperditis; libri autem eius de historia animalium, in philosophica potius, quam in medica locum sibi vendicant bibliotheca. Sit ergo alter ab illo medicorum primipilo, dignissimus Aristotelis discipulus atque sectator, THEOPHR. ERESIVS, cui iste merito debetur locus. Huius de scri-

ſcriptis, eorumque editionibus aeque ac interpretibus variis b) IOH. ALB. FABRICIVM in bibliothec. graecae lib. III. cap. IX. ex inſtituto, & quantum ſatis eſt, egiſſe, ante omnia lectorem meum ſcire, volui. Quemadmodum igitur Theophraſtea, quae interitum euaſerunt, opera, partim graece c), partim latine d), partim vtraque lingua iunctim e), typis exſcripta prodierunt, nec non commentatorum non nullorum induſtria illuſtrata f) fuerunt; ita medicum potiſſimum iuuabunt *Libri* eius *ſex* g) *de cauſſis plantarum*, vt & *Libri decem de hiſtoria* h) *plantarum*, de quibus adeo praecipue ſollicitus is eſſe debet. Reliquos arti medicae inſeruientes tractatus huius autoris, eosque minores i), in operibus Theophraſti, Hanouiae anno 1605. iunctim in folio editis, maximam partem commentariis DAN. FVRLANI, addita ſimul verſione ADRIANI TVRNEBI & DAN. FVRLANI, illuſtratos inuenire dabitur. Vnum eſt, quod doleamus, curatum a CASP. HOFMANNO, non ſine incredibili labore, apparatum nouae editionis graecae atque latinae librorum de hiſtoria & cauſſis plantarum, ad praeſentem vsque diem, Norimbergae, in bibliotheca Thomaſiana latitare.

b) Antiquioribus, iisque deperditis, interpretibus adnumerandus eſt ANDRANTVS, ſeu, vt CASAVBONVS ſcribendum putat, ADRASTVS. Iſte enim, teſte ATHENAEO Deipnoſophiſticor. lib. XV. quinque libros, de iis, quae apud Theophraſtum libris de plantis, & in earum hiſtoria, dubia ſunt, emiſerat. Recentioribus vero, iisdemque hodienum ſuperſtitibus, praecipue accenſeri debet FABIVS COLVMNA. De vtroque nullam FABRICIVS l. c. iniecisse legitur mentionem.

c) Huius generis tres inuenire licet editiones. Harum prima Venetiis 1498. fol. apud Aldum, altera Baſileae 1541. fol. in officina Oporiniana; tertia itidem Venetiis 1552. 8. vna cum operibus Ariſtotelis, typis filiorum Aldi exſcripta prodiit. Poſtrema habetur pro optima.

d) Latina verſio, cuius ad huncce vsque diem ſolet vſus eſſe, primum auctorem agnoſcit THEOD. GAZAM; quanquam eadem, inſecutis deinceps temporibus, cum a DAN. HEINSIO, tum a IOH. BODAEO A STAPEL, non nullis in locis fuerit emendata; immo ex parte, quod ſpectat libellos breuiores Theophraſti, a

DAN.

DAN. FVRLANO plane noua facta. GAZAM in diuidendis capitibus non satis cautum se gessisse, id vero iam, in suis ad Solinum prolegomenis, demonstratum dedit SALMASIVS. Hoc loco sufficiet monuisse: latinas inter editiones Venetam, anni 1504. fol. pro vna vetustissimarum; Basileensem vero anni 1550. fol. pro nitidissimarum vna habendam esse.

e) Ex editionibus graeco-latinis duae sunt notatu digniores. Prior harum Hanouiae anno 1605. in forma folii prodibat, exhibens opuscula tantum Theophrasti minora, vna cum commentariis DAN. FVRLANI, quorum elenchus in LINDENIO renouato, pagina 1002. quaeri potest. Posterior autem Lugduni Batauorum anno 1613. folio, cura DAN. HEINSII, prodibat, hac inscriptione: *Theophrasti Eresii opera omnia graece & latine. Daniel Heinsius textum graecum locis infinitis, partim ex ingenio, partim e libris, emendauit, hiulca suppleuit, male concepta recensuit, interpretationem passim interpolauit*; (*insignita, in lucem, eratque re ipsa priore longe perfectior atque plenior, continens in se, praeter minora illa opuscula, etiam libros de historia & causis plantarum, qui in antecedente editione fuerant omissi*;) verum carebat adnotationibus, exhibebanturque in eadem, & textus graecus, & versio latina, adeo negligenter emendata, vt CASP. HOFMANNVS, in praefatione variis suis lectionibus praeposita, admodum contemtim de eadem iudicauerit.

f) Quos inter *Iulius Caesar Scaliger, Robertus Constantinus, Felix Accorombonus, Daniel Furlanus, Claudius Salmasius, Fabius Columna, & Iohannes Bodaeus a Stapel*, facile principes haberi queant. Neque tamen dubitandum, quin & in relicto a CASP. HOFMANNO Apparatu manuscripto, variae eaeque melioris notae obseruationes sint latitaturae.

g) Separatim hi ipsi, vna cum IVL. CAES. SCALIGERI *Commentariis & animaduersionibus*, Lugduni Gallorum anno 1566. fol. sunt emissi. Elaboratae vero a IOH. BODAEO A STAPEL notae nondum in conspectum orbis litterati prodiere, etiamsi pater eius EGBERTVS BODAEVS spem earumdem diuulgandarum fecerit.

h) Quoad hos libros, optima huc vsque editio habetur illa, quae sequenti ornata est titulo: *Theophrasti Eresii de historia plantarum libri decem, graece & latine. In quibus textum graecum variis lectionibus, emendationibus, hiulcorum supplementis: latinam Gazae versionem noua interpretatione ad margines: totum opus absolutissimis cum notis tum commentariis, item rariorum plantarum iconibus illustrauit* IOH. BODAEVS A STAPEL, *medicus Amstelodamensis. Accesserunt* IVL. CAES. SCALIGERI *in eosdem libros animaduersiones*, & ROBERTI CONSTANTINI *annotationes, cum indice locupletissimo*. Amstelodami 1644. folio. Quod BODAEVS, in hoc opere adornando, non consuluit simul FELICIS ACCOROMBONI *Explicationem obscuriorum locorum Theophrasti de plantis*

tis, Romae 1590. fol. editam, nec obseruatis ab illo locum aliquem concessit, id merito ei vitio vertit I. A. FABRICIVS loco iam allegato.

i) Eo refero *Tractatum de sudoribus, de vertigine, de lassitudinibus, neruorum resolutione, de animi defectione* &c.

§. VI.

Theophrasti iam lateribus haereat, eidemque succedat DIOSCORIDES *Anazarbensis*, de cuius genuinis k) & spuriis l) scriptis, diuersis eorundem editionibus, variis m) versionibus, nec non interpretibus n) ac commentatoribus praecipuis IOH. ALB. FABRICIVS, Bibliothecae graecae libro IV. cap. III. multa notatu dignissima in medium attulit. Praesenti loco satis fuerit, docuisse, Opera, quae PEDANII DIOSCORIDIS praeferunt nomen, quaeque ad nos peruenere, ex parte graece, o) ex parte latine, ex parte tandem graeco-latine p) fuisse in lucem protrusa, ab HERMOLAO BARBARO q), IOH. r) RVELLIO, MARC. s) VIRGILIO, PETRO ANDR. t) MATTHIOLO, IANO u) CORNARIO, & IANO ANTON. SARACENO, in latinum idioma conuersa w) a IAC. GOVPYLO, IOH. LONICERO, GVALT. HERMANNO RYFFIO, CORN. PETRI scholiis & animaduersionibus non nullis illustrata; ab HERMOL. BARBARO, MARC. VIRGILIO, IANO CORNARIO, VAL. x) CORDO, AND. y) LACVNA, AMATO z) LVSITANO, PETR. AND. *) MATTHIOLO & IAN. ANT. SARACENO peculiaribus commentariis explanata, nec minus a FAB. COLVMNA, maxime autem a CLAVD. SALMASIO, cum in Plinianis exercitationibus in Solinum, tum praecipue in Homonymis hyles iatricae passim singulari industria explicata; in genere vero a IANO ANT. SARACENO, Francofurti a. 1598. in fol. graece & latine, optima forma a) euulgata.

k) Horum in numero habentur libri quinque de materia medica, quippe qui a Galeno aliisque antiquis autoribus saepius sub nomine Dioscoridis allegati atque laudati leguntur.

l) Huc referunt libros II. de venenis, item libros II. de Euporistis ad Andromachum, quorum posteriores, ex Augustano quopiam codice, prima vice a IOHANNE MOIBANO & CONR. GESNERO, graece & latine Argentorati 1565. in 8. in lucem prolati sunt publicam: quum in superioribus operum Dioscorideorum editionibus nullum antea horum vestigium comparuisset.

m) Neque enim in latinam solum, sed etiam in Hispanicam, Gallicam, Italicam, Germanicam, imo in Bohemicam quoque linguas sunt translata.

n) Hos omnium optime HERM. CONRINGIVS in Introductione in artem medicam diiudicauit & digna quemque censura ornare studuit; cap. IIX. pag. 263. seq.

o) Tres habemus editiones graecas. Earum prima Venetiis 1499. fol. vna cum *Nicandro* prodibat. Altera eodem in loco 1518. in 4. lucem salutabat publicam. Vtraque officinae Aldinae suos debet natales. Tertia autem, eaque bonae notae, operam impendente IANO CORNARIO, Basileae, apud Iohannem Bebelium, anno 1529. 4. impressa fuit.

p) Editiones graeco-latinae similiter tres sunt, quae innotuerunt: Coloniensis scilicet anni 1529. fol. cum versione & commentariis MARCELLI VIRGILII, atque HERMOLAI BARBARI corollariis; Parisiensis cum versione & notis IOH. RVELLII, & castigationibus IAC. GOVPYLI 1549. 8. & Francofurtana, 1598. fol. cum versione & commentariis IANI ANT. SARACENI. Haec postrema omnibus reliquis praestat.

q) Quandoquidem prima editio versionis latinae HERMOLAI BARBARI omnibus propemodum historicis, immo ipsi quoque LINDENIO, MERKLINO, FABRICIO, TOVRNEFORTIO &c. ignota mansit; ipse quoque, ab horum vltimo seductus in errorem olim, in Stolliana medicinae historia, pag. 645. CONR. GESNERO contrarium adserenti contradixi: non pudet me certiora edoctum, nunc errorem agnitum fateri, & e Diario litteratorum Italiae (Giornale de' letterati d' Italia) tom. XXVIII. vbi de vita & scriptis viri huius celeberrimi, vt & de tota eiusdem familia, lectu dignissima relatio inuenitur, a pagina 126. ad 251. maiore cum certitudine docere, eam, sine mentione loci & anni, impressam in folio fuisse. Vnde sequitur, Venetam anni 1516. non esse *primam*, vt hactenus creditum fuit, sed reuera *secundam*. De cetero, scriptam quidem hanc versionem stilo latino perquam eleganti, sensum vero *Dioscoridis* non vbique locorum feliciter expressum, sed a mente eius saepe interpretem discessisse, IOH. ALB. FABRICIVS loco supra adlegato monuit.

r) Parisiis 1516. fol. apud HENR. STEPHANVM, videatur TOVRNEFORTII Isagoge in rem herbariam, pagina 23. Apud FABRICIVM enim nec locus nec forma impressionis indicantur. Versionem

fionem isthanc non carere vitio, etsi crebro prelo sit repetita, I. A. SARACENVS probatum dedit.

s) Florentiae anno 1518. fol.

t) Lugd. 1554. 12.

u) Basileae 1557. fol.

w) HERMOLAI autem BARBARI omnium primam esse versionem, nemo credat. Nam temporibus iam antiquioribus exstitisse translationem quandam non nullorum *Hippocratis*, *Dioscoridis* & *Galeni* scriptorum, testatur CASSIODORVS Lection. diuinar. cap. 31. Quamuis igitur ista iam pridem inter deperdita numeretur; insecuto tamen tempore fuerunt inter medicos Salernitanos aeque, ac inter reliquos latino - barbaros, qui, professo partim, partim tecto nomine, versiones quasdam librorum *Hippocratis*, *Theophrasti Eresii*, vt & *Dioscoridis*, in lucem protulere publicam, vtut ineptae satis illae fuerint: & haec ipsa fuit caussa, cur, restituta bonarum litterarum scientia, indignae sint habitae, quae typis expressae exstarent. Nihilo tamen minus in Bibliothecae Riuinianae consignatione p. 495. sequentis editionis admodum rarae fit mentio: *Dyoscoridis virtutum simplicium medicinarum liber*, DCCXVIII. *continens capitula, cum non nullis additionibus* PETRI *Paduanensis*. Lugduni 1512. 4.

x) Huius in Dioscoridem annotationes, vna cum reliquis ipsius operibus botanicis, a CONR. GESNERO Argentorati, 1561. folio sunt emulgatae.

y) ANDR. LACVNAE *Annotationes in Dioscoridem, iuxta vetustissimorum codicum fidem, elaboratae*, Lugdun. 1554. 12. Oppositae sunt inprimis IOANNI RVELLIO, cuius versionem septingentis amplius locis se emendasse & correxisse, autor iactat.

z) AMATI LVSITANI *Enarrationes in Dioscoridem*, Argentor. 1554. 4. editae, vt & Lugd. 1558. 8. cum annotationibus ROBERTI CONSTANTINI: in quibus hoc agit, vt locis quam plurimis carpat P. A. MATTHIOLI versionem.

*) Commentarius eius in Dioscoridem, quem plurimi fecit CONRINGIVS l. c. etiamsi MELCHIOR GVILANDINVS multa in eodem inuenerit corrigenda atque erronea, Italica primum, deinde & latina lingua, Venetiis anno 1554. in fol. ex officina Erasmiana, apud Vincentium Valgrisium exscriptus prodiit. Insecuto tempore crebro idem recusus, a CASP. etiam BAVHINO *Operibus Matthioli* Basileae 1598. in folio iunctim editis, adiectus est.

a) Sequentem prae se ferunt in fronte inscriptionem: *Pedacii Dioscoridis Anazarbaei opera, quae exstant, omnia, ex noua interpretatione Iani Antonii Saraceni, Lugdunaei medici. Addita sunt ad calcem eiusdem interpretis scholia, in quibus variae codicum variorum lectiones examinantur, diuersae de medica materia, seu priscorum, seu recentiorum sententiae proponuntur, ac interdum conciliantur:*

tur: ipsius denique autoris corruptiora, obscuriora difficilioraque loca restituuntur, illustrantur & explicantur. Francof. ap. Andr. Wechelii heredes 1598. f.

§. VII.

Succedat *Dioscoridi* ARETAEVS, cuius de monumentis superstitibus, eorundemque editionibus, versionibus atque commentariis b) IOHANNES WIGANVS, in praefatione erudita ac dissertationibus, quae operibus ARETAEI, Oxonii anno 1723. fol. euulgatis sunt adiectae, ea quae scitu maxime sunt vtilia, optime c) consignauit. Praesenti loco sufficiet meminisse, vnicam saltem mere graecam editionem ARETAEI operum exstare, quae cura IACOBI GOVPYLI, Lutetiae Parisiorum anno 1554. 8. ex Adriani Turnebi officina in lucem prodiit. Latina autem versio, quae IVNIVM PAVLLVM CRASSVM agnoscit autorem, Venetiis 1555. 4. optima forma separatim impressa fuit; ab HENRICO quoque STEPHANO in Collectione principum artis medicae, vt & a GEORGIO HENISCHIO retenta: donec tandem ante annos non ita multos noua d) plane translatio a IOHANNE WIGANO elaborata est. Graeco-latina etiam ante hocce tempus non nisi vna fuit editio, illa scilicet, quam GEORGIVS HENISCHIVS, suo stipatam commentario, Augustae Vindelic. anno 1603. in fol. publici fecit iuris. Postquam autem IOHANNES WIGANVS editionem operum Aretaei longe pulchriorem atque praestantiorem, vna cum suis & MICHAELIS MAITTAIRII Dissertationibus, Oxonii, additis etiam vtriusque annotationibus, euulgauit e): haec ipsa editio prelo mox iterum in Batauia subdita, & curante HERM. BOERHAAVIO, vna cum PETRI PETITI Commentariis f), DANIELIS item GVILIELMI TRILLERI Obseruationibus, non sine insigni augmento, Lugduni Batauorum 1731. f. est recusa g).

b) Interpretibus *Aretaei* accensendi sunt *Georgius Henischius*, *Iacobus Goupylus*, *Petrus Petitus*, *Iohannes Wiganus*, *Michael Mait-*

Maittairius, & *Daniel. Guilielm. Trillerus.* Illorum primus parum, reliqui quatuor autem eo plus gloriae labore suo in orbe litterato sunt consecuti.

c) Quae enim IOH. ALB. FABRICIVS, Bibliothec. graec. lib. IV. cap. III. hac de re annotauerat, ea, propter insecutam postea mutationem, non vno laborant defectu.

d) Inuenitur illa in editione operum Aretaei Oxoniensi, in qua interpres non tam verba quam mentem *Aretaei* exprimere studuit, & ratione stili, Celsum est imitatus; optandum tamen foret, versionem hanc non reiectam esse sub calcem graeci textus, sed aut ad latus. eius positam, aut eidem subiectam saltem; hac enim ratione commodior lectoribus eius vsus futurus fuisset. Siquidem illi, qui coguntur versionem consulere, ita labore euoluendi eandem leuantur, quoties graeca non satis intelligunt: quod autem reliquos adtinet, qui versione plane non indigent, quique sine cortice natare norunt, horum in gratiam vt versio addatur, plane est superuacaneum.

e) ARETAEI *Cappadocis de caussis & signis acutorum & diuturnorum morborum libri IV. & de curatione acutorum & diuturnorum morborum libri IV. cum manuscriptis duobus, Harleyano & Vaticano contulit* IOHANNES WIGAN. *Accedit praefatio: Dissertationes in Aretaeum: variae lectiones, notae & emendationes: Tractatus de ionica Aretaei dialecto, quodque difficiliores huius autoris voces exponit, lexicon.* Oxoniae 1723. fol.

f) Hi perquam diuturno delituerunt tempore in latebris codicis manu-scripti, donec tandem MICHAEL MAITTAIRE eosdem Londini 1726. 4. prima vice, caligine liberatos, aura liberiore frui iussit, eorumque vsum eruditis indulsit. Scripti autem sunt non in omnes, sed in tres tantum priores Aretaei libros.

g) Videantur Noua litteraria anni 1732. p. 424. quo loco refertur, Oxoniensem editionem Aretaei, operam laudabilem impendente HERMANNO BOERHAAVIO, cum integris PETRI PETITI Commentariis, & eruditissimis DAN. GVILIELMI TRILLERI Obseruationibus, Lugduni esse recusam. Quoniam autem Batauicam hancce editionem oculis vsurpare nondum mihi licuit; eam ipsam ob caussam nec integrum est mihi, dicere, an, praeter additos PETITI atque TRILLERI commentarios, aliis insuper praerogatiuis, prae Anglicana, illa gaudeat?

§. VIII.

RVFI *Ephesii libri de herbis, de diaeta, de melancholia, seu, atra bile, de prisca medicina,* aeque ac *commentarii in Hippocratem*, aliaque non nulla h) eiusdem autoris scripta, dudum iam periere. Reliqua, quae

ad nostram pertigerunt aetatem, opuscula, *de appellationibus partium corporis humani*, *de vesicae renumque affectibus*, & *de medicamentis purgantibus*, quantum attinet; ea, perinde ac ARETAEI opera, semel tantum, & quidem non nisi graece, sunt impressa, & a IAC. GOVPYLO Lutetiae Paris. 1554. 8. ex officina Adriani Turnebi euulgata. Latina eorundem versio hactenus non nisi vnica habetur, confecta a IVNIO PAVLLO CRASSO, & aliquoties i) impressa; optime vero Venetiis 1555. 4. prodiit, inserta quoque principibus artis medicae HENRICI STEPHANI. Graeco - latina editione diu carendum nobis fuit; quia MART. BOGDANVS spem hac de re a semet factam fefellit, nec promissa k) seruauit. Paucos quidem ante annos GVIL. CLINCH hunc ipsum defectum suppleuit l), qui etiam CRASSI translationem passim correxit & emendauit; nullas autem adiecit adnotationes, quum tamen hic autor docta aliqua commentatione dignus omnino fuisset.

h) Vid. FABRICII Bibliothec. graec. lib. IV. cap. III. pag. 103. seq.

i) Venetiis 1552. 4. Paris. 1554. 8. Basil. 1581. 4. In omnibus hisce editionibus inuenitur simul etiam versio latina ARETAEI: vtramque enim CRASSVS ab initio statim vna diuulgauit.

k) Vid. THOM. BARTHOLINI Epist. medic. Centur. IV. pag. 37.

l) Titulus huius graeco - latinae editionis hic est: RVFI *Ephesii de vesicae renumque morbis, de purgantibus medicamentis, de partibus corporis humani: nunc iterum typis mandauit* GVILIEL. CLINCH, *M. D. qui & Dissertationem de autore eiusque scriptis, vna cum commentariolo de vsu idoneo vesicantium in morbis curandis adiecit.* Londini, 1726. 4.

§. IX.

Maioris momenti est CLAVD. GALENVS, pluribusque nobis dicendus: de cuius germanis & suppositiis, perditis atque superstitibus scriptis, vt & de eorundem diuersis editionibus aeque ac de variis interpretibus, IOH. ALB. FABRICIVS, Bibliothecae graecae lib. IV. cap. XVII. prolixe etiam egit. Postremos quantum attinet; iam sexto quidem saeculo, id quod testatur CASSIODORVS m), nonnullae

nullae exstiterunt versiones tractatuum vt *Hippocratis* atque *Dioscoridis*, ita & *Galeni* latinae: quandoquidem vero illae iam dudum fuerunt deperditae; versiones porro a latino - barbaris n) elaboratae exiguae aut nullius omnino sunt frugis; hinc factum, vt ex tanta nube o) interpretum Galenicorum, NIC. LEONICENVS, GVIL. COPVS, IOH. GVINTERIVS ANDERNACVS, THOM. LINACER, IOH. CAIVS, IANVS CORNARIVS, IVNIVS PAVLLVS CRASSVS, AVG. GADALDINVS, IOH. BAPT. RASARIVS, VIDVS VIDIVS, & LEONH. FVCHSIVS, procul dubio palmam mereantur.

m) Lection. Diuinar. cap. XXXI. vbi scribit: Quod si vobis non fuerit graecarum litterarum nota facundia, inprimis habetis Herbarium Dioscoridis, qui herbas agrorum mirabili proprietate disseruit atque depinxit. Post haec legite *Hippocratem* atque *Galenum* latina lingua conuersos.

n) Hae inueniuntur ex parte in ita dicta *Articella* Reliquae autem, eaeque plurimae, habentur in latina illa operum GALENI editione, quae, curante HIERONYMO SVRIANO, Venetiis 1502. in fol. apud Ben. Benalium fuit expressa, qua de rarissima, nec ipsi LINDENIO, MERCKLINO, FABRICIOque visa aut nota editione, euolui possunt THO. REINESII *Epistolae ad Hofmannum* & *Rupertum*, p. 15. & 22.

o) Horum e numero sunt v. c. *Nicolaus Rheginus*, *Georg. Valla*, *Iul. Martianus Rota*, *Ludouic. Bellisarius*, *Ferdinandus Balamius*, *Laurentius Laurentianus*, *Herman. Cruserius*, *Hubertus Barlandus*, *Ioh. Bernardus Felicianus*, *Dominicus Montesaurus*, *Martinus Gregorius*, *Antonius Fortolus*, *Iosephus Tectander*, *Horatius Limanus*, aliique non nulli.

§. X.

Opera igitur antiqui istius medici quum modo graece solum, modo graece & latine simul, saepissime vero tantum latine typis sint exscripta; hoc monere haud inutile duxi, duas exstare hactenus pure graecas editiones, alteram Venetam, quae anno 1525. fol. e typographia Aldina prodiit, non optimae notae; Basileensem alteram p) anno 1538. in folio impressam, multis quidem in partibus priore meliorem, minime tamen omni ex parte perfectam, siquidem & ipsa

ipſa variis erratis q) & diuerſis defectibus r) premitur. Vtraque vero hodie inter rariores libros numeratur. Graece & latine ſimul opera GALENI non niſi ſemel ſunt diuulgata, idque in illa editione Pariſienſi, qua, RENATVS CHARTERIVS anno 1639. illa ſimul cum operibus Hippocratis, tredecim voluminibus in folio conſtante, excudenda s) curauit. THEODORVS enim GVLSTONVS promiſſam a ſe editionem Galeni graeco - latinam ad finem perducere non potuit; CASPARVS vero HOFMANNVS operoſiſſimo quidem t) labori ſuo colophonem impoſuit; ſed non inuentus u) eſt hactenus, qui operi adeo diffuſo excudendo ſumtus impendere vellet. Quantum editiones Galeni mere latinas concernit, pro optimis habentur inter Lugdunenſes quidem, ea, quae anno 1554. in folio prodiit, inter Baſileenſes w) vero, illa, quae anno 1562. in fol. excuſa; inter Venetas denique [in qua vrbe apud ſolos Iuntas decies x) haec opera latina prela exercuere], eae, quae anno 1609. & 1625. in folio vtraque, ſunt impreſſae.

p) Huius editionis adornandae directio fuit commiſſa HIERONYMO GEMVSAEO, LEONARDO FVCHSIO, & IOACHIMO CAMERARIO: quorum etiam quisque penſum illud operae ſuae, quam praeſtitit, peculiari dedicatione ſeu praefatione praemuniuit. Conſtat, pariter atque Aldina, quinque tomis, qui tamen perquam commode tribus voluminibus formae folii, compingi poſſunt. Expenſas ſuppeditauerunt *Andreas Cratander*, *Iohannes Heruagius*, *Iohannes Eraſmius Frobenius*, & *Iohannes Bebelius*.

q) Vid. CONRINGII Medicin. hermet. lib. I. cap. XI. p. 101. vbi haec leguntur: Non temere fidendum eſſe Baſileenſibus codicibus graecis, ob copiam mendorum & lacunarum, conſtat inter eruditos.

r) Defectuum horum vnus, isque maximi momenti, eſt, quod libri GALENI non ſunt capitibus diſtincti, quo ipſo lector impeditur in euoluendo.

s) In Bibliotheca Almeloueeniana p. 63. refertur, pretioſum hocce opus Pariſiis anno 1679. in fol. nouem tomis conſtans denuo fuiſſe recuſum.

t) Is enim non graecum ſolum textum, a capite ad calcem vsque, curate perlegendo examinauit, & infinitis in locis emendauit; ſed nouam praeterea quoque verſionem adornauit, integrumque tandem

dem

dem opus amplisſimis commentariis illuſtratum reddidit. Totus iſte apparatus poſthumus autoris, qui in Bibliotheca Thomaſiana Norimbergae adſeruatur manuſcriptus, XXVI. dicitur conſtare voluminibus.

u) Non diſplicere mihi, fateor, iudicium IOH. ALB. FABRICII, quod ſequentibus in eius Bibliotheca graeca, lib. IV. cap. XVII. pag. 559. legitur verbis: Neſcio, ſitne adeo inuehendum in bibliopolarum prudentiam, quod, in communi hoc litterarum contemtu, non audent ſumptu in tantum opus impenſo, rem familiarem ſuam diſperdere. Sed e re litteraria vtique erat, praecipuas HOFMANNI, & CHARTERIO aliisque praeteritas, annotationes a docto aliquo viro excerpi, & relatas ad illius paginas editionis, cum locis GALENI male hactenus intellectis, enotari, tum, deſcriptis quoque medicis obſeruationibus, quae in illo opere occurrunt, ſingulares & non contemnendae, vno mediocri volumine tot tantorumque laborum fructus cum lectoribus communicari.

w) Harum editionum tres FABRICIVS, loco modo allegato, commemorauit. Earum primam anno 1541. fol. apud *Iohann. Frobenium*, ſecundam 1549. eadem folii forma, apud eundem, tertiam vero 1562. fol. vna cum praefatione excellentisſima illa CONRADI GESNERI, in lucem prodiiſſe, ſcribit. Poſtremam quod attinet, integra res eſt. Quod vero priores duas ſpectat, monendum duxi, alteram non anno 1541, vt MERCKLINVS atque FABRICIVS tradunt, ſed 1542. eſſe typis exſcriptam ; item, hanc non minus, quam mediam, alteram, non apud *Iohannem Frobenium*, ſed apud *Hieronymum Frobenium & Nicolaum Epiſcopium* iunctis operis excuſam. De cetero prior HIERONYMI GEMVSAEI, poſterior autem IANI CORNARII cura & induſtria eſt adornata, & prima vice argumentis capitum, a CONRADO GESNERO adiectis, inſtructa.

x) LINDEN. *renouat.* p. 184. videatur, ſiue FABRIC. c. l. Vtroque tamen loco erroneum eſt, quod de quarta Iuntarum editione adſeritur, eam 1563. publicatam fuiſſe. Exiit enim reuera anno 1565. Ceterum praeterire hoc loco minime fas fuit, ANTONIVM MVSAM BRASAVOLVM huic ipſi Iuntarum editioni indicem ſtupendo labore concinnatum, & ſpiſſo volumine formae folii conſtantem, addidiſſe, quem, ſocias manus adhibente IACOBO ANTONIO BONO, confecit, & ſequenti inſcriptum titulo : *Index refertisſimus in omnes Galeni libros*, edidit.

§. XI.

Commentatoribus aeque GALENVS, ac ante ipſum HIPPOCRATES, caruit minime. Quem vero ad modum non omnes hi neceſſaria ad hanc rem

 in-

instructi fuerunt Minerua; antiquiores y) autem interpretes iam a CONRADO GESNERO, in praestantissimis illis prolegomenis, quae latinae editioni Basileensi anni 1562. Operum GALENI fuerunt adiecta, adducti & maximam partem cum censura sua dimissi sunt; recentiores denique, & quidem horum praecipui, in Bibliotheca medica speciali passim locum suum sunt inuenturi: sufficiet, credo, hoc loco tantum meminisse, inter commentatores, qui post GESNERI aetatem innotuerunt, ex Hispanis quidem ALPHONSVM z) LOPEZIVM, FRANC. VALLESIVM, & LVDOV. LEMOSIVM; ex Italis IVLIVM a) ALEXANDRINVM, IOH. PHIL. INGRASSIAM, FABIVM b) PACIVM, SANCTORIVM SANCTORIVM, & LVCAM TOZZIVM; apud Germanos denique CASP. c) HOFMANNVM, & MELCH. d) SEBIZIVM, ante alios e), hac in re suam industriam probare satregisse.

y) Inter illos IOHANNEM BAPTISTAM MONTANVM procul dubio cum reliquis de palma concertare potuisse, haud facile, credo equidem, quisquam iuerit inficias.

z) *Annotationes in omnia Galeni opera.* Caesar - Augustae 1565. fol. & Matriti 1582. 4. IOHANNEM RHODIVM magni hocce opus fecisse, e Bibliotheca medica p. 139. & 148. apparet.

a) *Annotationes in praecipua scripta Galeni.* Basileae 1581. fol.

b) *Huius commentarii in sex priores Galeni libros de methodo medendi*, euulgabantur Vicentiae 1598. fol. Hos sequebatur *Commentarius in librum VII. Galeni de meth. med.* qui & ipse Vicentiae anno 1609. in fol. lucem adspexit. Quanta cum laude CONRINGIVS de opere isthoc locutus sit, disci potest ex introductione eius in artem medicam, cap. VII. §. 1. p. 232.

c) Reliquit iste non solum, vt paullo superius retuli, amplissimos in vniuersa Galeni opera commentarios, eosque manuscriptos; sed nonnullos etiam, dum in viuis ageret, iam publici iuris fecit: prouti *Commentarii in Galeni libros de vsu partium corporis humani*, Francofurti anno 1625. in folio; *Notae* autem *perpetuae in Galeni librum de ossibus, ad tirones*, ibidem loci anno 1629. fol. sunt diuulgatae.

d) Hunc de Galeno summopere meritum quod concernit medicum, euolui de ipso pariter ac permultis ipsius commentariis meretur MERCKLINI LINDENIVS *renouatus*, p. 809. seq.

e) Quo-

e) Quorum numero, ex Hiſpanis *Ferdinandus Mena*, *Thomas Rodriguez de Veiga*, *Iohannes Braua*, *Petrus Garcias Carrero*, *Antonius Poncius de Santacruce*, & *Iacobus Segarra*; ex Italis, *Saluus Sclanus*, *Iohannes Baptiſta Perſona*, *Leo Roganus*, & *Victor Trincauella*; ex Germanis denique, *Iohannes Wolfius* atque *Iacobus Zwingerus*, aggregari poſſunt.

§. XII.

Quam ob cauſſam ORIBASII, quae ſuperſunt, f) monumenta graece nunquam fuerint edita, multo minus commentariis g) aliquibus illuſtrata? id vero eſt, quod merito quis miretur. In catalogo quidem bibliothecae Bigotianae, tom. II. p. 147. ORIBASII *Collectiones quaedam medicae graece excuſae* Pariſiis 1556. 8. allegatae leguntur, ſed has qui ſe vidiſſe teſtetur, inter viros in cognitione librorum vel verſatisſimos reperitur nemo. Hoc ſaltim refert FABRICIVS bibliothecae graecae volumine XII. p. 641. AVG. RICCIVM, medicum Luccenſem, priora ſex capita libri quinti collectorum medicinalium ORIBASII, vna cum nonnullis *Dioclis*, *Rufi* & *Athenaei* fragmentis, graece & latine Romae, anno 1543. in 4. diuulgaſſe. Sed hae ſunt tantum minutiae, tenuesque particulae. Ad latinas autem quod attinet verſiones operum Oribaſianorum; ſingulatim hae h) initio, & absque nominibus *) interpretum, in lucem prodierunt, earundemque variae habentur editiones i). Omnibus tamen *Oribaſii* interpretibus IOH. BAPT. RASARIVS ſua verſione k), ad hunc vsque diem palmam praeripuit; qua propter & illa ab Henrico Stephano Principibus artis medicae inſerta fuit. Quantum de cetero concernit, *Commentaria* in *aphoriſmos Hippocratis*, quae ſub *Oribaſii* nomine IOH. GVINTERIVS *Andernacus* Lutetiae Pariſiorum anno 1533. 8. prima vice latine l) luci expoſuit publicae; ea viri harum rerum gnari, pro genuinis agnoſcere voluerunt nunquam. m)

f) Conſtant illa *Libris* IX. *Synopſeos medicae ad Euſtathium; libris* XVII. *Collectorum medicinalium, ad imperatorem Iulianum; libris* IV. *de Euporiſtis, ad Eunapium; libello de ligamentis ex Heracle,* &

& *libello de machinamentis ex Heliodoro.* Sciendum autem, collecta ista medicinalia constitisse initio septuaginta libris, quorum maxima adeo pars numeratur inter deperdita.

g) Vnus enim, quantum equidem recordor, e graecis medicis est ORIBASIVS, cui hic honor non fuit habitus.

h) Vid. LINDEN. renouat. p. 858.

*) VIDVS tamen VIDIVS, autor versionis latinae libelli de laqueis & machinamentis, suum non reticuit nomen.

i) Vid. FABRICII Bibliothecae graecae, volum. IX. pag. 451. seq. & Vol. XII. p. 639. seqq.

k) Haec versio per partes initio Venetiis & Lutetiae Parisiorum; deinceps vero Basileae anno 1557. 8. inscripta ita: *Oribasii opera, quae exstant, omnia, tribus tomis digesta*, IOH. BAPT. RASARIO *interprete*, plene & iunctim fuit impressa.

l) Basileae, anno 1535. Venetiis a. 1553. vt & Patauii a. 1658. in 8. fuerunt recusa.

m) Vid. FREIND. Histoire de la medec. P. I. p. 46. seq.

§. XIII.

AETII AMIDENI *Opus medicum XVI. libris* n) *distinctum, seu, medicina ex veteribus contracta*, similia ferme cum scriptis ORIBASII fata est expertum. Vix enim dimidia sui parte graeca viderunt lucem, octo nempe anteriores libri, quos Venetiis anno 1534. fol. graece typis suis Aldus impressit; reliquis contra octo libris MStis in diuersis o) bibliothecis delitescentibus. De transferendo in latinam linguam hocce opere IOH. BAPT. MONTANVS, immo plus illo IANVS CORNARIVS, bene mereri studuerunt. Quum enim horum posterior, deficiente codice manuscripto integro, eoque graeco, ab initio sex tantum libros transtulisset, reliqui autem decem mox a IOH. BAPT. MONTANO translati essent libri, ita, vt deinceps vtriusque labor Basileae 1535. fol. iunctim imprimeretur; factum inde, vt CORNARIVS insecuto tempore hanc versionem sub incudem reuocaret, adeoque tandem Basileae 1542. latinam totius operis Aetiani translationem in folio excudendam curaret, quae ipsa & deinceps crebrius p) recusa, Stephanicae quoque collectioni principum artis medicae fuit adsociata. Commentatoribus autoris huius vt immorer,

morer, necesse non est. Quum enim IOH. BRODAEI *Notae in sex* q) *primos Aetii libros*, ex COLOMESII r) relatione, in ISAACI VOSSII scriniis manuscriptae olim delituerint, nec dum, quantum equidem memini, e latebris in publicum prodierint; HVGONIS porro SOLERII *Scholia* s) *in duos priores Aetii libros* exigui sint momenti: vix erit alius, cuius hic mentio facienda foret, praeter vnicum illum medicum & criticum Hispanicum, CHRISTOPH. OROSCIVM, seu, de HOROZCO, qui Basileae anno 1540. in 4. *Annotationes suas in interpretes Aëtii, Montanum & Cornarium*, imprimendas curauit.

n) Aëtium ipsum hoc opus practicum atque pharmaceuticum in sedecim distribuisse libros, id testantur propria eius allegata, quae passim obseruantur. CORNARIVS autem deinceps, occasionem ipsi suppeditante codice quopiam manuscripto, idem distinxit in quatuor tetrabiblos, seu, quaterniones, quorum vnus quisque quaternos in se continet sermones.

o) V. g. in caesarea Vindobonensi. Vide REIMMANNI bibliothec. acroamatic. p. 471. RENATVS quoque MOREAV codicem eorundem manuscriptum possedit.

p) V. c. Basileae 1549. fol. Lugduni 1549. fol. & 1560. 12. Venet. 1543. 8.

q) Non autem in octo priores Aëtii libros, vt in FABRICII bibliothec. graec. Volum. IIX. p. 322. erronee traditur.

r) Vid. eius opera ex editione Fabriciana, in catalogo MStorum codicum Isaaci Vossii, p. 873.

s) Adiecta sunt haecce scholia vtrique editioni Lugdunensi versionis latinae CORNARII.

§. XIV.

Longe & *Oribasio & Aëtio* felicior fuit ALEXAN. TRALLIANVS, cuius ad nos t) peruenit *Opus therapeuticum de dignoscendis & curandis morbis & affectibus corporis humani*, quod a quibusdam in tres, ab ALBANO TORINO in quinque, ab aliis rursus in duodecim distinctum fuit libros. Diuulgatum enim illud est non graece solum sine versione latina; idque Lutetiae 1548. fol. apud Robert. Stephanum, cum castigationibus IAC. GOVPILI: sed emisit etiam IOH. GVINTERIVS *Andernacus* editionem graeco-latinam, additis

ditis simul IAC. GOVPILI, & suis propriis animaduersionibus, Basileae anno 1556. 8. EDVARDI contra MILWARDI editio graeco-latina, quae, referentibus nouis litterariis anni 1732. p.532. eo ipso anno Londini edenda curabatur, nondum mihi visa est. Editiones vero mere latinas quod spectat; tres huc vsque u) diuersae w) versiones fuerunt adornatae. Prima latino-barbarum quendam, cuius latet nomen, agnoscit autorem, videturque non tam e textu graeco, quam ex arabica aliqua translatione expressa esse. Prodiit titulum praeferens isthunc: ALEXANDRI *Yatros practica*, *cum glossa interlineari* IAC. DE PARTIBVS, & SIM. IANVENSIS, *in margine posita*, Lugd. Gall. 1504. 4. & Ticini 1520. 8. Altera porro ab ALBANO TORINO Basil. x) curata est. Tertia denique a IOH. GVINTERIO *Andernaco* Argent. anno 1549. 8. in lucem prolata, Lugduni y) recusa, & dein Stephanicae principum artis medicae Collectioni fuit aggregata. De commentatoribus z) ALEXANDRI notandum, eos adnotationes suas non separatim diuulgauisse, sed enarratis modo editionibus easdem inseruisse ALEX. TRALLIANI. Quandoquidem autem in omnibus hisce editionibus, *Alexandri epistola ad Theodorum*, *de lumbricis humano corpori infestis*, *eorumque curatione*, non inueniebatur; eaque primum ab HIER. MERCVRIALE a) publici fiebat iuris; hanc quoque IOH. ALB. FABRICIVS Bibliothecae suae graecae vol. XII. a pag. 602. ad pag. 613. graece cum latina inserendam curauit versione.

t) *Libri* enim *de vrinis*, vt & *de morbis atque affectibus oculorum* iam dudum sunt deperditi.

u) IACOBVS quidem GOVPILVS librorum quoque duodecim *Alexandri Tralliani* de arte medica elucubrauit versionem latinam; sed delitescit illa adhuc in MSto.

w) Harum prima pessimae, melioris altera, tertia denique optimae notae est.

x) Basileae, inquam, & quidem anno 1533. fol. (non autem 1553. iuxta errorem LINDENII renouati p. 27.) prodiit, sequenti instructa titulo: *Alexandri Tralliani de singularum corporis partium, ab hominis coronide ad imum vsque calcaneum, vitiis, aegritudinibus &*

& iniuriis, libri ad vnguem facti V. per ALBANVM TORINVM *latinitate donati.* Recusa est eadem Basileae anno 1541. fol. paraphrasis de cetero magis, quam stricta & veri nominis translatio vocanda.

y) Et quidem anno 1560. & 1575. 12. quarum posteriori IOH. MOLINAEI additae sunt adnotationes.

z) E. g. *Iacobo de Partibus, Simone Ianuensi, Iac. Goupilo, Ioh. Guinterio Andernaco, Alb. Torino, & Ioh. Molinaeo.*

a) Venet. 1570. 4. quo in loco eam versione latina a se confecta comitatam, variis suis lectionibus adiectam diuulgauit, inserendam quoque postea tractatui ipsius de morbis puerorum.

§. XV.

PAVLLI AEGINETAE *Libri VII.* b) *de re medica*, quos ipse autor certos c) in libros, certaque distribuit capita d), bis e) graece solum, crebrius autem latine tantum, partim vniuersi, partim singuli f) prela reliquerunt. Editio graeca prior omnium huius medici operum, Venetiis anno 1528. in folio, ex officina Aldi, in lucem prodibat publicam. Quum vero decennio post HIER. GEMVSAEVS aliam graecam editionem, vna cum praefatione sua, & notis sub finem adiectis Basileae 1538. fol. typis Andreae Cratandri imprimendam curasset, facile posteriori huic prior illa herbam porrigebat, ceu longe praestantiori g). Editiones porro latinae, eaeque multiplices, praeter antiquam h) illam barbaricam, iam prope obliuione sepultam, vel secundum ALB. TORINI, i) IOH. GVINTERII *Andernaci* *), vel secundum IANI k) CORNARII versionem sunt expressae, quarum etiam postrema habetur optima, quae &, vna cum eiusdem CORNARII *Lib. VII. Dolabellarum*, siue *Castigationum*, Stephanicae Principum artis medicae collectioni inserta fuit. Neque tamen inficiandum, IOHANNIS etiam GVINTERII *Andernaci* translationem frequenter l) prela exercuisse, cuius & diuersae Lugdunenses m) editiones vna cum IAC. GOVPILI, aliae n) vero cum IANI CORNARII & IAC. DALECHAMPII obseruationibus in lucem prodierunt publicam. Commentatores o) quod concernit; sciendum, scholia

lia illorum, notas, castigationes & dolabellas maximam partem ipsis Aeginetae operibus fuisse additas; CHRISTOPHORI tamen OROSCII *Castigationes in interpretes Paulli Aeginetae, Torinum, & Guinterium,* Venetiis anno 1536. fol. vt & IAC. DALECHAMPII *Scholia in Paulli Aeginetae libros VII.* Lugduni Gallor. 1567. 8. separatim prodiere.

b) Eorum primus de sanitate tuenda, secundus atque tertius de morbis internis, quartus & quintus de venenis, morsibus, ictibus laesionibusque, & malis externis corpus afficientibus, sextus, isque reliquis praestantior omnibus, de chirurgicis operationibus, septimus denique de simplicibus & compositis medicamentis, agunt.

c) Vide Eius libr. III. cap. XXXVII. & libr. VI. cap. LXXXIII.

d) Vid. Libr. II. cap. XXVI. & libr. VII. cap. XVIII.

e) Non autem ter, vt memoria lapsus scripsit I. G. SCHENCKIVS in bibliothec. medic. p. 432. seq.

f) Ita e. g. GVIL. COPVS primum, IOH. BERN. FELICIANVS sextum, OTTO BRVNFELSIVS septimum librum separatim in latinum conuertit sermonem. Similiter & SEBAST. AVSTRIVS primum, IACOBVS autem DALECHAMPIVS sextum librum peculiaribus commentationibus illustratum dederunt: de quibus legatur FABRICII bibliothecae graecae volum. XII. pag. 579.

g) Superesse tamen in hac quoque diuersa loca, quae emendatione indigeant, monuit FABRICIVS l. c. Praesenti in loco vnum hoc addo, statim ab initio libri quarti, pro falsa lectione, *Aetius Cappadox*, veram ponendam & legendum esse, *Aretaeus Cappadox.*

h) Vid. SCHENCKII Bibliothec. medic. p. 433.

i) Versio eius Basileae 1532. fol. 1534. 4. 1546. & 1555. 8. impressa est. In harum editionum prima sextus liber deest: reliquae vero tres editiones plenae sunt & absque defectu, continentes praeterea Torini non nullas adnotationes, suntque inscriptione sequenti ornatae: *Paulli Aeginetae medicinae totius enchiridion, septem libris vniuersam recte medendi rationem complectens,* ALBANO TORINO *interprete.* Prima vero editio, testante bibliotheca Riminiana, pag. 220, insignita hac rubrica: *Paulli Aeginetae* opus diuinum, in lucem prodiit.

*) Haec prima vice Lutetiae Parisior. 1532. in folio nitide admodum exscripta comparuit.

k) Basileae 1556. folii forma.

l) Vid. FABRICII bibliothec. graec. volum. XII. p. 578. seq. vbi sex allegantur editiones.

m) Lugdun. 1551. & 1563. vtraque in 8.

n) Lugdun. 1589. 8.

o) Ho-

o) Horum e grege sunt *Albanus Torinus*, *Ioh. Guinterius*, *Ianus Cornarius*, *Seb. Austrius*, *Iacobus Goupilus*, *Iacobus Dalechampius*, & *Christophorus Orofcius*. Scribit quidem I. G. SCHENCKIVS in bibliotheca medica, pag. 433. *Iohannes Baptista Camutius in Aeginetam castigationes edidit*; vero simile autem videtur, easdem, aeque ac promissos a BARTHOLOMAEO MAGGIO commentarios in librum sextum Aeginetae, in manuscripto alicubi delitescere.

§. XVI.

THEOPHILI PROTOSPATHARII superstites tractatus, quorum non nulli *Stephano Atheniensi*, *Philotheo*, aut *Philareto* adscripti fuere, nunquam iunctim, sed singulatim tantum in publicum prodierunt. *Librorum quinque* p) *de fabrica corporis humani*, qui habent se instar compendii operis Galenici de vsu partium, versionem latinam edidit IVN. PAVL. CRASSVS, quae Venetiis anno 1536. 8. fuit impressa, saepius q) quoque deinceps recusa, nec non editioni graecolatinae r), cura GVIL. MORELLII Lutetiae an. 1555. 8. impressae, adiuncta. *Commentarius* huius autoris *in aphorismos Hippocratis*, quod graecum textum spectat, hodienum in bibliothecis delitescit; latinam tamen eius versionem LVDOV. CORRADVS, a semet confectam, sub nomine *Philothei*, Venetiis anno 1549. 8. publici fecit iuris. Eadem fata expertus est *tractatus* eius *de pulsibus*, qui graece quidem nondum impressus lucem vidit; latina e contrario illius translatio, tum, quae LVD. PONTICVM s) VIRVNIVM, tum maxime quae ALB. TORINVM agnoscit autorem, frequentissime prelis exiit: quae ipsa quoque e posterioris versione t), gerens rubricam hanc: PHILARETI, *de pulsuum scientia, commentariolus*, Stephanicae collectioni principum artis medicae fuit adsociata. *Libellus* tamen *de vrinis*, seu, *de exacta retrimentorum vesicae cognitione*, prae reliquis *Theophili* scriptis in eo praerogatiua quadam gaudet, quod is non solum e versione LVDOV. PONTICI VIRVNII, & ALB. TORINI, aliquoties sola romana lingua impressus; sed quod ter etiam, nempe a FREDERICO u) MOREL-

LO,

LO, RENATO w) CHARTERIO, & THOMA x) GVIDOTIO, graece simul & latine diuulgatus fuit. Et postremi quidem quantum concernit operam, ea non ob nouam tantum translationem latinam, ob textum graecum apte dextreque emendatum, ob dignam lectu, quam praemisit, praefationem, ob doctas denique, quas adiecit, adnotationes; sed ob id quoque imprimis antecedentibus longe praeferenda maximique facienda, quod THEOPHILI nondum hactenus impressum *tractatum de excrementis alui & iudicio medico ex illis ferendo*, prima vice, e bibliothecae Bodleianae MSto graece, & cum ipsius THOM. GVIDOTII versione latina, exhibuit, & libello de vrinis, Lugduni Bat. 1703. 8. publicato comitem addidit.

p) Non vero *quatuor*, vt in LABBEI Bibliotheca nou. MSCt. p. 127. multo minus trium tantum, vt in SCHENCKII Bibliothec. medica, pag. 497. legitur.

q) Basileae 1539. Paris. 1540. 16. & Basileae iterum 1581. 4. vbi collectioni medicorum antiquorum graecorum fuit aggregata.

r) Quia vnica isthaec editio aliquanto rarior facta erat, ea autem, quam ELIAS VEIELIVS pollicitus fuerat, ad finem non est perducta; ideo I. A. FABRICIVS Morellianam editionem recudendam, atque bibliothecae suae graecae volumini XII. a pagina 783. vsque ad paginam 911. inserendam curauit.

s) Illam vero translationem libelli *Philareti* de pulsibus, & *Theophili* de vrinis, quae in ita dicta & Venetiis anno 1483. fol. impressa *Articella* inuenitur, non, vt FABRICIVS Bibliothec. graec. volum. XII. pag. 650. seq. putauit, a LVDOVICO PONTICO VIRVNIO concinnatam fuisse, alibi probatum dedi, nempe, in den kurzen Nachrichten von den Büchern in der Stollischen Bibliothec Part. XIII. pag. 401.

t) Basileae anno 1533. 8. Argentorat. 1535. 8.

u) Vid. FABRICII Bibliothec. graec. vol. XII. pag. 651. sequ. vbi sequentia leguntur: Primus graece edidit FREDERICVS MORELLVS, cum noua sua versione & notis, praefixo titulo: ἰατροσοφιστοῦ περὶ οὔρων. Paris. 1608. 12. Quoniam vero hoc tantum erat agnomen professorum medicinae Alexandriae, inscriptio merito alio modo fuerat concipienda. Hinc enim factum est, vt in LINDENIO *renouato* pag. 505. articulo, *Iatrosophista*, & p. 1000. in vocabulo, *Theophilus*, vnus hic liber duobus autoribus fuerit adscriptus.

w) Isthic

w) Isthic editionem MORELLI, operibus Hippocratis atque Galeni, iunctim a sese Lutetiae Paris. 1639. fol. graece & latine euulgatis, & quidem tomo eorum VIII. multis tamen partibus emendatiorem, inserendam curauit.

x) Prodiit Lugdun. Batau. 1703. 8.

§. XVII.

Scriptorum STEPHANI *Atheniensis*, seu, *Alexandrini*, alia sunt edita, alia nondum edita. Discipulus is fuit *Theophili*, isque praeceptore minime indignus. Nondum editis accensendi sunt *Libri eius de differentiis febrium*, *scholia in Magni librum de vrinis*, nec non *Commentarius in prognosticon Hippocratis*; quippe qui singuli in codicum manu exaratorum y) cancellis se hodienum continere coguntur. Edita e contrario scripta quod attinet; *Explanationes* eius *in Galeni librum priorem therapeuticum ad Glauconem*, ab AVGVSTINO GADALDINO romana ciuitate donatae, non nullisque eiusdem scholiis ac castigationibus illustratae, Venetiis apud Iuntas 1554. 8. prodierunt, Lugduni quoque Gall. 1555. & 1558. 8. recusae, & ipsa quoque haec translatio latina deinceps collectioni medicorum antiquorum graecorum Basileae 1581. 4. impressae, adiecta fuit. Ante hanc versionem autem latinam, graece tantum Venetiis 1536. in 8. ex officina Aldi in lucem sunt prolatae publicam. De lectionibus eius, seu, *Libris nouem de arte magna chrysopoeiae*, ad nostrum proprie non spectantibus argumentum, hoc vnicum non monere nolui, graecum eorum textum typis nondum esse diuulgatum, latinam autem a DOMINICO PIZIMENTO adornatam esse versionem, quae Patauii anno 1573. 8. vna cum tractatibus *Democriti*, *Synesii*, *Pelagii* & *Michaëlis Pselli*, eiusdem argumenti, publici facta est iuris.

y) Vid. FABRICII Bibliothec. graec. vol. XII. p. 693. seqq.

§. XVIII.

IOH. ACTVARIVS z) multa conscripsit. Operum eius non nulla a) manuscripta tantum per scri-

nia

nia latitant; non nulla autem, prelo obstetricante, dudum in orbe litterario comparuerunt. Ad posterioris generis scripta referendi sunt *Libri eius VII.* b) *de vrinis*, qui graece quidem hactenus nunquam, latine vero, e versione AMBROSII LEONIS, Venetiis anno 1519. 4. luci sunt expositae, quae ipsa quoque versio aliis c) dein locis fuit recusa; insecuto autem tempore, quia non satis erat accurata, a IAC. GOVPYLO sub limam reuocata, & multis modis emendatior reddita, Lutetiae Paris. 1548. 8. typis exscripta, Stephanicae etiam principum artis medicae collectioni adsociata, denique & Vltraiecti a. 1670. 8. vna cum aliis quibusdam similis argumenti autoribus d), denuo impressa fuit. *Libri VI. de methodo medendi*, quorum textus graecus similiter etiamnum in latebris haeret, ex latina HENR. MATTHISII translatione, Venetiis 1554. 4. in lucem editi sunt publicam, Lutetiae & Lugduni Gall. deinceps recusi, & ab HENR. STEPHANO quoque adsciti in societatem principum artis medicae. *Libri II. de actionibus & effectibus spiritus* e) *animalis, eiusque victu & nutritione sui*, contra, IAC. GOVPYLI cura, graece Parisiis 1557. 8. latine vero, ex IVLII ALEXANDRINI interpretatione, quae autem compluribus in locis correctione & lima eget, Venetiis 1547. 8. & 1554. 4. sunt diuulgati. Vniuersa denique ACTVARII *Opera*, latine, & quidem secundum indicatas iam translationes, Lugduni Gall. 1556. 12. f) tribus constantia voluminibus, iunctim sunt characteribus expressa, collectioni etiam deinceps Stephanicae inserenda. Quantum spectat translatum a IOH. RVELLIO & seorsim editum g) *Actuarii librum de compositione medicamentorum;* sciendum, non esse illum alium a libro quinto & sexto Actuarii de methodo medendi: quapropter inter errores LINDENII, MERCKLINI, & BAYLII hic quoque numerandus est, quod tractatum istum, ceu diuersum a methodo medendi, & peculiarem plane librum, recensuerunt.

z) No-

z) Nomen, *Actuarius*, aeque ac alterum, *Iatrosophista*, esse ex numero ita dictorum nominum honorariorum, quae medicis olim peculiaria veluti fuere; de eo legi possunt, quae obseruat FABRICIVS Bibliothec. graecae volum. XII. pag. 635.

a) E. gr. *Liber de diaeta*, porro, *Commentarii in aphorismos Hippocratis*, aliaque non nulla, de quibus IOH. GEORG. SCHENCKII Bibliotheca medica euoluenda, pag. 7. seq.

b) Eorum liber I. de differentiis vrinarum; liber II. de iudiciis vrinarum, vt & III. liber, porro IV. & V. de vrinarum caussis; liber denique VI. & VII. de praeuidentiis ex vrinis, agunt.

c) Paris. 1522. 4. Basileae, 1529. 8.

d) Ex. gr. cum IODOCI WILLICHII probationibus vrinarum & scholiis HIERONYMI REVSNERI; cum THO. WILLISII Dissert. de vrinis; cum GVILIELMI STRATENI Tractatu de fallaci vrinarum iudicio, &c.

e) Scripti hi libri, ait FABRICIVS c. l. ad amicum philosophum, qui, mentis nostrae naturam intelligentia praeditam, & a spiritibus animalibus, membra nostra mouentibus, distinctam, demonstrarent.

f) Non autem in forma octopartita, vt in LINDENIO renou. pag. 6. scribitur.

g) Parisiis 1539. 12. & 1546. 8.

§. XIX.

Agmen medicorum graecorum h) claudat tandem NICOL. ALEXANDRINVS, siue, MYREPSVS; qui ab HEIN. STEPHANO Principibus artis medicae etiam accensus fuit; etiamsi isto honoris loco parum sit dignus. *Opus huius de compositione medicamentorum*, graeca lingua nunquam huc vsque diuulgatum, e versione latina NICOL. RHEGINI, additis praeterea breuibus annotationibus IOH. AGRICOLAE Ammonii, Ingolstadii, anno 1541. 4. & Venetiis 1543. 8. prela reliquit. Quoniam autem versio isthaec inepta erat, parumque limata, expressa praeterea e codice MSCto defectu laborante; perfectiorem editionem latinam, eamque annotationibus amplissimis adauctam i), luci expónebat publicae LEONH. FVCHSIVS, frequentius deinde k) recusam, collectioni etiam Stephanicae allectam; quaeque optima conditione, titulum prae se ferens *Theatri medico-*

practici, vna cum praefatione IOH. HARTM. BEYERI, Norimbergae anno 1658. 8. postea fuit edita.

h) Sermo mihi hic est de praecipuis tantum, quorum scripta adhuc exstant. De *Diocle* enim *Carystio*, *Moschione*, *Critone*, *Sorano*, aliisque dicendi non est locus; quorum quippe rarae solum supersunt reliquiae, & pauca fragmenta. *Nonus* autem, *Michaël Psellus*, *Simeon Sethus*, & si qui sunt alii, in censum autorum principum referri non merentur. *Iohannem* tamen *Alexandrinum*, pariter ac *Palladium*, me quidem indice, in societatem principum artis medicae recipere omnino debuisset HENRICVS STEPHANVS; etiamsi, ex monumentis prioris, nullum aliud, praeter commentarii eius in librum VI. Epidemior. Hippocratis versionem latinam, eamque ne separatim quidem impressam, sed ita dictae *Articellae* tantum insertam, exhibere valeamus. *Palladium* contra quod spectat, eius ad nos peruenerunt tum *Scholia in librum Hippocratis de fracturis*, ab ANVTIO FOESIO Hippocrati ipsi adiecta; tum & *Breues interpretationes sexti libri de morbis popularibus Hippocratis*, quae, a IVNIO PAVLLO CRASSO latio donatae, medicis antiquis graecis Basileae anno 1581. 4. impressis, sunt aggregatae.

i) NICOLAI *Myrepsi, Alexandrini, de compositione medicamentorum opus, in sectiones quadraginta octo digestum, omnibus tum medicis tum seplasiariis mirum in modum vtile*, a LEONHARTO FVCHSIO *e graeco in latinum conuersum, luculentissimisque annotationibus illustratum.* Basileae anno 1549. fol.

k) Lugduni 1550. 8. Francofurt. 1626. 8.

CAP. II. SECT. II.

DE MEDICIS INTER LATINOS PRAECIPVIS.

CONTENTA:

De Aur. Corn. Celso, §. 1. *Scribonio Largo*, §. 2. *Caio Plinio Secundo*, §. 3. *Plinio Valeriano*, §. 4. *Coelio Aureliano*, §. 5. *Sereno Sammonico & Marcello Burdegalensi*, §. 6. *Theodoro Prisciano, seu, Octauio Horatiano*, §. 7. *De Schola Salernitana & Articella*, §. 8.

§. I.

Quo iure inter graecorum medicos principatum gerit *Hippocrates*, eodem etiam latinorum medicorum

dicorum a) princeps audire meretur AVREL. CORN. CELSVS. Huius *de medicina libri octo* Florentiae anno 1478. b) fol. primum ſunt editi; crebrius deinde, partim nudi, partim commentariis diuerſorum autorum veſtiti, recuſi, Venetiis porro in typographeo Aldino 1528. 4. nitidiſſime ac ſplendidiſſime impreſſi; optima autem forma, opera THEOD. IANSSONII ALMELOVEENII, Amſtelodami anno 1687. 12. & ibidem anno 1713. 8. in publicam emiſſi lucem. Quantum attinet commentarios, quorum multi multos promiſerunt c), fidem vero hactenus nondum liberauerunt; ſciendum, IOH. CAESARII annotationes, editioni Celſi Hagenoënſi, anni 1528. 8. GVILIELMI PANTINI, Baſileenſi, anni 1552. fol. ROBERTI CONSTANTINI, Lugdunenſi Gall. anni 1566. 8. IEREM. THRIVERII BRACHELII, & BALDVINI RONSSEI, Lugdunenſi Bat. anni 1592. 4. ISAACI vero CASAVBONI, aliorumque doctorum virorum obſeruationes, allegatae modo Almelogeenianae; IOH. denique BAPT. MORGAGNI notas, editioni Patauinae d) anni 1722. 8. euulgatae, adiectas inueniri. Sunt tamen etiam ex eruditis non nulli, qui explicationes in CELSVM ſuas e) vniuerſim; & rurſus alii, qui in vnum alterumque eiusdem librum f), aut in materiam alicuius momenti, in libris eius occurrentem g), peculiares commentationes in medium protulerunt.

a) Multi quidem in ea verſantur opinione, nunquam CELSVM feciſſe medicinam, ſed, aeque ac PLINIVM, de ſalutari tantum hac arte commentatum eſſe. Contrarium vero IODOCVS LOMMIVS, in Praefatione, commentario ſuo praeſtantiſſimo in librum I. Celſi praemiſſa; ISAACVS porro CASAVBONVS ex ipſo Celſo, eiusque libr. III. cap. 4. & 14. nec non IOH. BAPTISTA MORGAGNVS, itidem e Celſi libr. VII. capite 7. & libr. VIII. cap. 2. & 4. dudum probauerunt.

b) Vid. FABRICII Bibliothec. latin. lib. II. cap. 4. pag. 323. ſeqq. item eiusdem Bibliothecae latin. volum. II. p. 444. ſeqq. vbi prolixus index editionum pariter ac commentatorum huius autoris habetur.

c) Ita v. c. *Iosephus Scaliger*, *Ioh. Walaeus*, *Aelius Euerhard. Vorstius*, *Iac. Mentelius*, *Ioh. Rhodius*, *Iac. Holstius*, *Thom. Bartholinus*, *Nic. Blancardus*, *Theod. Ianssonius ab Almeloueen*, & *Ioh. Iac. Baierus*, spem eiusmodi quidem laboris fecerant; partim vero ad finem eundem non perduxerunt, partim operi affecto obstetrices admouere manus sunt prohibiti, bellis, incendiis aliisque aduersae fortunae casibus, eodem spoliati. IACOBI tamen HOLSTII *Commentarius in quatuor priores Aurelii Cornelii Celsi libros*, testibus epistolis selectis ad Schelhammerum, pag. 309. sequ. ante tempus non adeo longum, in Bibliotheca medici Flensburgici, BALTHASS. KRYSINGII dicitur manu-scriptus exstitisse.

d) Ad exemplum quidem, ac veluti prototypon, editionis Almeloueenianae, praesens adornata fuit editio; cuius etiam vt eo commodior esset vsus, adiectae sunt eidem I. B. MORGAGNI obseruationes perquam doctae. Verum enim vero, quia in indice diuersa, interque illa praecipue ea, quae autores Celso laudatos concernebant, litura inducta & omissa sunt; compluribus parum hoc ausum placuit. Manifeste etiam apparet e IOH. IACOBI BAIERI Biographiis professorum medicinae Altdorfinorum, p. 176. doctum hunc virum de isthac editione parum honorifice sensisse. De cetero, quoniam IOH. BAPTISTA MORGAGNVS *Epistolas duas, alteram in Aurelium Cornelium Celsum, alteram in Q. Serenum Sammonicum*, Patauii 1721. 8. excudi fecit, Hagae Comit. 1724. 4. recusas, in quibus de vtroque autore & vtriusque diuersis, quae subinde prodierunt, editionibus ea quae obseruauerat, communicauit; hoc solum praesenti loco annotare inde debui, ipsum e duobus codicibus manu exaratis, quibus index capitum erat praepositus, primum omnium detexisse, duo integra in Celsi opere, post caput XX. libri quarti deesse hodie capita.

e) Eo pertinent HIERONYMI RVBEI *Annotationes in libros octo Aurel. Corn. Celsi.* Venet. 1616. 4.

f) Sic e. c. praeter memoratum modo IACOBVM HOLSTIVM, IODOCVS LOMMIVS *Commentarios* suos lectu admodum dignos, *de sanitate tuenda*, *in primum librum de re medica Aurel. Cornel. Celsi*, Louanii anno 1558. 8. diuulgauit, Lugduni Batauor. 1724. 8. denuo recusos. PETRVS etiam PAAWIVS *Succenturiato anatomico*, seu, *Commentario in Hippocratem de capitis vulneribus*, qui Lugdun. Bat. 1616. 4. impressus fuit, *Explicationes in aliquot capita libri VIII. A. C. Celsi* simul adiecit.

g) V. gr. IOH. IAC. CHIFFLETII *Acia Corn. Celsi*, propriae significationi restituta. Antwerp. 1633. 4. IOH. RHODII *Dissertatio de Acia A. C. Celsi*, cuius editio est optima, quam Hafniae 1672. 4. procurauit THO. BARTHOLINVS. MELCH. SEBIZII *Tract. de meliceria Celsi*, Argentorat. 1639. 4.

§. II.

§. II.

SCRIBONII LARGI *Liber de compositione medicamentorum*, isque minime, vt cum IANO CORNARIO non nulli crediderunt, graeca, sed omnino latina h) conscriptus lingua, prima vice, cura IOH. RVELLII, Lutetiae Parisior. anno 1529. 8. in lucem exiit i); mox eodem anno, eadem quoque forma, Basileae characteribus Andreae Cratandri recusus, deinceps Aldinae pariter ac Stephanicae variorum medicorum collectioni adsociatus; optime autem, vna cum doctis IOH. RHODII annotationibus, Patauii anno 1655. 4. prodiit, sequentem in fronte praeferens inscriptionem: SCRIBONII LARGI *Compositiones medicae.* IOHANNES RHODIVS *recensuit, notis illustrauit, Lexicon Scribonianum adiecit.* Patauii, 1655. 4. typis Paulli Frambotti. Quo tempore, qua forma editio illa Plantiniana, cuius meminit in notis ad Scribonium, pag. 28. seq. RHODIVS, in lucem prodierit? equidem dicere non habeo, quum nullam alibi eiusdem mentionem factam inuenerim.

h) MARSILII CAGNATI Var. obs. lib. III. cap. 14. videantur, vel potius IO. RHODIVS in notis ad Scribon. p. 5. seqq.

i) Parum autem hac editione contentus fuit CASPAR BARTHIVS, dum *Ruellium* satis audacem Scribonii restitutorem, in aduersariis suis appellauit.

§. III.

CAII PLINII *Secundi. Historia mundi, seu, Historia naturalis*, liber ille, cuiuis homini litterato, medico autem inprimis, & vtilissimus, & maxime necessarius, cuius quindecim amplius libri rebus ad artem salutarem, & materiam potissimum medicam, spectantibus repleti sunt, Veronae, anno 1468. vel, vt alii volunt, Venetiis 1469. prima vice k) prela reliquit, deinceps autem frequentissime, partim sine, partim cum additis annotationibus doctorum quorundam l) virorum, recusus; a IOH. FRID. GRONOVIO, vna cum *Pintiani*, *Dalechampii*, *Rhenani*, & suis ipsius

notis, Lugduni Bat. 1669. 8. tribus voluminibus, nitidissime ac correctissime, editus, optima autem atque plenissima conditione, a IOHANNE HARDVINO, adiectis ab ipso amplissimis explicationibus, Lutetiae 1685. 4. quinque constans voluminibus; &, non sine augmentis, iterum ibidem anno 1723. fol. fuit diuulgatus. Commentatores PLINII, quorum permagnus est numerus, qui partim integrum m) eius opus, partim hunc illumue librum n) illustrare sunt conati, quantum adtinet, sciendum, eorum plerosque o) necessariis ad id ipsum requisitis non fuisse instructos p); quapropter nec recensendis iis immorabor, sed hoc solum breuiter annotabo, CLAVDIVM q) SALMASIVM, IOH. FRIDER. GRONOVIVM & IOHANNEM HARDVINVM omnibus reliquis commentatoribus Plinianis palmam praeripuisse. Quum autem magni hi critici medicinam tantum ceu rem secundariam in suis commentationibus respexerint; forsitan non pauca medicus doctus ibi inueniat, quantum concessit libros ad res medicas pertinentes, quae emendatione egere iudicet.

k) Vid FABRICII *Bibliothec. latin.* lib. II. cap. 13. p. 401. seqq. & *Biblioth. latin.* volum. II. p. 562. seqq.

l) Sic e. gr. PLINIVS Venetiis anno 1496. fol. cum castigationibus HERMOLAI BARBARI; Basileae anno 1535. fol. cum SIGISMVNDI GELENII annotationibus; Lugduni Gall. 1587. fol. cum notis IACOBI DALECHAMPII est impressus.

m) Horum e numero est STEPHANVS AQVAEVS, cuius commentarius in vniuersos *Plinii* libros Lutetiae Parisior. anno 1530. folio lucem adspexit, qui vero male audit IOHANNI HARDVINO. Plus e contrario gloriae consecutus est FERDINANDVS PINTIANVS, suis in PLINIVM *Obseruationibus & castigationibus*, Antwerpiae anno 1547. 8. editis: quare & I. F. GRONOVIVS has vna cum IAC. DALECHAMPII atque BEATI RHENANI castigationibus maximam retinuit partem.

n) Vide FABRICIVM cc. ll.

o) Hisce tamen ex paullo antiquioribus accensendi sunt minime HERMOLAVS BARBARVS, NICOLAVS LEONICENVS & PANDVLPHVS COLLINVTIVS.

p) Notae enim ad modum MINELLII adspersae hic parum prosunt. Vnde & in actis eruditorum germanicis part. 93. vbi postrema

ſtrema Pariſina, IOHANNIS HARDVINI induſtria adornata, editio recenſetur, probe annotatum fuit: „PLINIVM inter profanos „ſcriptores, vulgo expoſitorum eiusmodi *(Noten-Macher)* aeque „clauſum & obſignatum volumen eſſe manſurum, ac in ſacris monumentis librum Apocalypſeos Paraphraſtis minorum gentium, „ac diſpoſitionum fabris μικρολόγοις. *(Kleinen Paraphraſten- vnd* „*Diſpoſitions-Fabricanten.)* „

q) In *Plinianis exercitationibus in* CAII IVLII SOLINI *Polyhiſtora, quae vna cum exercitationibus de homonymis hyles iatricae*, Vltraiecti 1689. fol. pleniſsime ſunt editae. Dolendum autem, ipſas tum promiſſas *Exercitationes in* PLINIVM, non magis atque *Exercitationes de ſynonymis hyles iatricae*, re ipſa nunquam fuiſſe ſecutas ac editas.

§. IV.

Quis verus ſit autor *librorum V.* r) *De re medica* s) ſub PLINII SECVNDI nomine emiſſorum? de eo hucusque docti certant, & adhuc ſub iudice lis eſt. Sunt nonnulli, qui PLINIO *ſeniori*, alii, qui *iuniori*, iterum alii, qui PLINIO cuidam VALERIANO, iſthoc opus putant adſcribendum. Aſt, nulli horum trium illud conuenire, ex inſtituto pridem demonſtratum dedit IVSTVS GODOFR. GÜNZIVS, *in Libello, de autore, Operis de re medica, vulgo* PLINIO VALERIANO *adſcripti*, qui Lipſiae 1736. in 4. prodiit. Interim opus iſtud prima vice Romae anno 1509. inſcriptum: *Pliniani medicina*, admodum tamen mendoſe, fuit impreſſum; optima autem forma idem, ſtudio ALBANI TORINI, Baſileae recuſum anno 1528. fol. & deinceps ab ALDO in corpus medicorum antiquorum latinorum receptum. Argentorati vero idem prelo ſubditum, & poſtea a IOH. SCHOTTO, anno 1533. t) & 1544. u) fol. publicatis collectionibus ſcriptorum medicorum inſertum fuiſſe, ibique reperiri, falſum eſt w) & caret fundamento. An denique Baſileae etiam, et quidem anno 1546. vt vult DAN. CLERICVS, vel 1549. vt FABRICIVS & GÜNZIVS referunt, denuo ſit recuſum? id quidem mihi, deficientibus, quibus fidam tuto, documentis, adſerere, hancque litem dirimere, non licet.

r) Libro primo agitur de morbis capitis; secundo, de morbis thoracis & abdominis. Tertius exponit de non nullis febrium generibus, de paralysi, hydrope, arthritide, aliisque exterioribus affectionibus membrorum. Quarto porro libro, de materia medica, quae autem hic vltra regnum vegetabile non extenditur; quinto denique, de diaeta aegrotantium, differitur. Priores tres libri toti fere e PLINII *Historia naturali*, cuius tamen nulla omnino nominis facta est mentio; posteriores vero duo, e DIOSCORIDIS atque GALENI, quos nominatim aliquoties citauit iste consarcinator, scriptis sunt corrasi.

s) Solent etiam non nulli eos sub titulo, *De medicina Pliniana*, allegare, vel, *De medicina parabili.* Quam ob caussam SALMASIVS nunquam vllam horum librorum iniecerit mentionem? mirari forsan aliquem subeat.

t) Id quod refert FABRICIVS in *Bibliotheca latina* lib. II. cap. 13. p. 416. & CLERICVS in *Historia medicinae*, p. 648.

u) Hoc sibi vult GÜNZIVS cit. lib. p. 30.

w) De priore enim collectione, quam ipse possideo, peculiarem recensionem inserui parti XIV. *Historiae bibliothecae Stollianae* (der kurzen Nachrichten von den Büchern in der Stollischen Bibliothec); de posteriore autem testatur SCHENCKIVS in *Bibliotheca medica*, pag. 192. nec non LINDENIVS *renouatus*, pag. 332. satis luculenter, hancce, a GEORGIO KRAVTIO procuratam collectionem, ita dictae TROTVLAE quidem, vt & OCTAVII HORATIANI, minime autem PLINII VALERIANI, fuisse adauctam additione.

§. V.

COELII AVRELIANI scripta, quae hodienum supersunt, quorumque reliquiae longe pluris x) faciendae, quam ita dicti PLIN. VALERIANI opus, quantum attinet; *Libri* eius *quinque tardarum passionum a* IOH. SICHARDO Basileae anno 1529. fol.; *Libri tres acutarum passionum* vero a IOH. GVINTERIO ANDERNACO Lutetiae y) anno 1533. 8. idque prima vice, sunt diuulgati; postea Lugduni anno 1567. 8. vna cum annotationibus IAC. DALECHAMPII aliorumque non nullorum, iunctim z) impressi; optima vero specie Amstelodami 1709. & 1722. 4. a IOH. CONR. AMMANNO, sequenti sub titulo, in lucem expositi: COELII AVRELIANI *De morbis acutis & chronicis lib. VIII. soli* a) *ex omnium methodicorum scriptis superstites. Ioh. Conrad. Ammanus recensuit, emaculauit, notulas-*

lasque adiecit. Accedunt seorsim THEOD. IANSS. AB ALMELOVEEN *in* COEL. AVRELIANVM *notae & animaduersiones, tam propriae, quam quas ex doctorum virorum lucubrationibuss hinc inde collegit; vt & eiusdem lexicon Coelianum.* Amstelod. ex officina *Wetsteniana*, 1709. 4. Quod NICOL. BLANCARDVS, vt & GEORG. FRANCVS A FRANCKENAV promissas ab ipsis editiones huius medici non potuerunt ad colophonem perducere, quodque THOMAS BARTHOLINVS notas atque emendationes suas in COEL. AVRELIANVM incendio amisit, id vero omnino dolendum.

x) Non intelligo autem stili hoc ratione, sed rerum ipsarum ibi propositarum; vnde & HENRICO STEPHANO vitio vertendum puto, quod hosce libros societate Principum artis medicae dignatus non fuerit.

y) Non autem 1529. fol. vt in LINDENIO *renouato*, non sine errore, refertur.

z) In LINDENIO *renouato* iterum erratur, quando ibi scribitur: omnes coniunctim prodierunt Venetiis apud Aldum 1547. fol. cum medicis antiquis. Neque enim in hac collectione alii, praeter quinque de morbis chronicis libros, inueniuntur.

a) Scire autem hic auerem, quamnam ad classem retulerit ille *Problemata* CASSII, THEODORI item PRISCIANI, atque GARIOPONTI opera?

§. VI.

SERENI SAMMONICI *De medicina praecepta saluberrima*, sermone ligato composita, vna cum CELSO b) aliisque scriptoribus iunctim prelo fuerunt substrata perquam crebro: eadem quoque seorsim cum amplo commentario GABR. HVMELBERGII c) Tiguri, anno 1540. 4. porro, cum ROBERTI CONSTANTINI annotationibus, Lugduni d) 1566. 8. cum GEORG. PICTORII scholiis, Basileae anno 1571, 8. in lucem sunt exposita publicam; optime autem pariter ac plenissime, a ROBERTO e) KEVCHENIO, Amstelodami, anno 1668. 8. edita, haud ita pridem etiam a IOH. BAPT. MORGAGNO f) eruditis obseruationibus illustrata. MARCELLI autem BVRDE-

GALENSIS *Liber de medicamentis* raro admodum typis est exscriptus. Postquam enim illum IANVS CORNARIVS prima vice, quanquam non adeo felici g) successu, Basileae 1536. fol. euulgauerat; post id temporis quidem Aldinae ac Stephanicae collectionibus fuit insertus, praeterea vero, quantum equidem scio, vlteriore nec recusus h) editione, nec a quoquam commentatione aliqua decoratus.

b) Ex. gr. Venetiis 1502. & 1528. 4. apud Aldum. v. FABRICII *Bibliothec. latin.* lib. III. c. 5. p. 540. sqq. & *Biblioth. latin.* vol. III. p. 80. seqq. vbi editio Veneta anni 1488. fol. ceu omnium prima allegatur.
c) Recusa est haec ipsa editio Tiguri anno 1581. 4.
d) Ad modum Lugdunensis huius editionis, adornatus est SERENVS SAMMONICVS Patauii anno 1722. 8. impressus: quo de videantur noua litteraria anni 1724. p. 639.
e) Et haec quoque Amstelodami 1706. iterata vice in lucem prodiit.
f) In Epistolis suis, de quibus iam ad §. 1. not. d) quaedam monui.
g) Vide IOHANNIS RHODII emendationes & notas ad SCRIBONIVM LARGVM, pag. 158.
h) IOHANNES enim RHODIVS nouam, quam adornare volnit, editionem ad vltimam non perduxit limam.

§. VII.

THEOD. PRISCIANVS, alias quoque dictus, quamuis erronee i), Q. OCTAV. HORATIANVS, pertinet, non minus ac COEL. AVRELIANVS, ad ordinem medicorum methodicorum k). *Quatuor* huius l) *libri rerum medicarum*, sub nomine OCTAV. HORATIANI, integri quidem, sed audacibus admodum m) correctionibus & interpolamentis deturpati, ab HERMANNO *Comite a* NEVENAR, vna cum ALBVCASAE scriptis chirurgicis, Argentorati, anno 1532. fol. luci publicae sunt expositi; eodem etiam tempore a SIGISM. GELENIO, verum autoris sui, THEOD. PRISCIANI, prae se ferentes nomen quidem, attamen e codice manuscripto multis defectibus n) laborante, Basileae, 1532. 4. editi; omnium vero optime in collectione medicorum antiquorum latinorum Aldina publicis vsibus accommodati sunt exscripti. *Tractatum* quoque *de diaeta*, qui sub THEODORI nomine Argentorati

torati anno 1533. & 1544. vna cum aliis ſcriptoribus non nullis, in folio fuit impreſſus, quique ab ANDREA etiam RIVINO collectioni ipſius veterum quorundam medicorum eſt adſociatus, huic ipſi THEOD. PRISCIANO vindicandum eſſe, id REINESIVS o) iam probatum dedit.

i) Vid. REINESII *Variar. lectionum.* lib. III. cap. 17. p. 643.

k) Vid. CLERICI *Hiſtor. medic.* p. 496. ſeq.

l) Quorum primus de euporiſtis, ſecundus de acutis & chronicis morbis; tertius de paſſionibus & curationibus mulierum; quartus denique idemque vltimus liber de phyſica ſcientia, agunt.

m) Vid. REINESIVM c. l. vbi leguntur ſequentia: ſcatet haec editio audaciſſimis deprauationibus recenſitoris non nimium continentis & imparati.

n) Neque enim ſolum totus hic liber quartus deeſt; ſed tribus praeterea capitibus liber primus, ſex vero ſecundus ſunt truncati: obſeruante iam FABRICIO *Bibliothec. lat.* vol. III. p. 877. Quaenam de cetero monenda circa hanc editionem exiſtimauerit REINESIVS, ea legi poſſunt in *Variis* ipſius *lectionibus* a pag. 508. ad 527.

o) Variar. lection. pag. 510.

§. VIII.

Reliqui latini medici, qui memoratos hactenus ſunt ſecuti, quales ſunt CONSTANT. AFRICANVS, GARIOPONTVS p), IOH. AEGIDIVS, SIM. IANVENSIS, MATTH. SYLVATICVS, VALESCVS DE TARANTA, pluresque alii, non eſt, quod me morentur; quum non ſint autores claſſici, ſed pro meris rhapſodiſtis, immo eorum aliqui pro manifeſtis plagiariis, ſint habendi. Quum tamen illam intra periodum, in qua ita nominati latino-barbari, inde ab vndecimo vsque ad quintum decimum floruere ſaeculum, duo ſcripta, *Schola* nempe *Salernitana*, & illa paucis cognita q) *Artiſella*, ſiue *Articella*, ad eum venerationis ac pretii gradum adſcenderint, vt ceu claſſica paſſim locorum conſiderarentur ac ſuſpicerentur ſcripta: de priore ſcripto hoc ſaltem memorabo, *Scholam* iſtam, quam vocant *Salernitanam* continere verſibus adſtricta *Praecepta conſeruandae ſanitatis ſaluberrima*, quae a IOHANNE DE MEDIOLANO, ſub

ſub finem ſaeculi vndecimi, autoritate vniuerſi collegii Salernitani, fuere conſcripta, ſucceſſu temporum multis additamentis aucta, ſaepiſſime r) excuſa typis; optime autem ac pleniſſime a RENATO MOREAV Lutetiae Pariſ. 1625. 8. publicata; quamuis editio illa, quam ZACH. SYLVIVS curauit, maximum, quod creberrime repetita eiusdem impreſſio teſtatur, applauſum fuerit adſecuta s). De *Articella* autem, quae aliud nihil fuit niſi collectio quarundam particularum ex HIPPOCRATE, GALENO, THEOPHILO, PHILARETO, IOANNITIO &c. decerptarum ac in latinum ſermonem transfuſarum, commodior dicendi ſe mihi offeret occaſio capite ſeptimo, vbi collectiones medicas praecipui momenti ſum recenſiturus.

p) Huius *Libri octo de morborum cauſſis, accidentibus & curationibus*, qui initio hac ſignati rubrica: *Paſſionarius* GALENI *de aegritudinibus a capite ad pedes*, ſcribendi genere, quale barbarorum ſolet eſſe, Lugduni, 1516. & 1526. 4. prodierant, Baſileae deinceps anno 1531. 4. & 1536. 8. recuſi ſunt. Omnes tamen editiones iſtae valde a ſe inuicem diſſidere perhibentur. *Libros*, GALENO *falſo vendicatos, de dynamidiis*, etiam GARIOPONTVM *huncce habere autorem*, REINESIVS *Variar. lection.* lib. III. cap. 12. pag. 528. demonſtrauit. Ipſe quoque ego part. XIV. hiſtoriae *Stollianae bibliothecae* (kurze Nachrichten von den Büchern in der Stolliſchen Bibliothec) p. 474. non fine veritatis ſpecie oſtendi, ESCVLAPII *librum de morborum, infirmitatum, paſſionumque corporis humani cauſſis, deſcriptionibus & cura*, qui in impreſſis Argentorati anno 1533. & 1544. fol. collectionibus medicis reperitur, nihil eſſe aliud praeterquam epitomen e practicis GARIOPONTI libris concinnatam, atque vel ab ipſo, vel ab alio aliquo Salernitano medico conſcriptam.

q) Hoc vel inde apparet, inter alia, quod vir in librorum notitia haud vulgariter verſatus verique polyhiſtor nominis, FABRICIVS, de hoc ipſo libro, neque in *Bibliotheca latina*, neque in *Bibliotheca latina mediae & infimae latinitatis*, vel verbulum fecit, vllamue vel minimam eiusdem iniecit mentionem; quum tamen de *Schola Salernitana* diuerſa monere voluerit.

r) Videatur *Bibliothec. Riuin.* p. 413. ſeq. & FABRICII *Bibliothec. lat.* p. 871. ſeq. vt & *Bibliothecae lat.* vol. III. p. 882. ſeq.

s) Prodiit Roterodami, 1649. 12. 1657. 12. 1667. 12. Hagae comitum 1683. 12. Ratisbonae 1711. 12.

CAP.

CAP. II. SECT. III.

DE
MEDICIS INTER ARABES PRAECIPVIS.

CONTENTA:

De Aarone, Ioannitio & Iano Damasceno §. 2. *De Serapione* §. 3. *Rhaze* §. 4. *Haly-abbate* §. 5. *Auicenna* §. 6. *Auenzoar & Auerrhoë* §. 7. *Mesue* §. 8. *Albucasa, seu, Alsabarauio* §. 9. *De Mose Maimonide* §. 10.

§. I.

Quum de scriptis medicorum arabum, in quantum illa Europaeis innotuere a), in patria ipsorum arabum lingua paucissima b) omnino litterarum monumentis sint consignata typisque expressa; maxima contra eorundem pars ex versionibus latinis, iisque vt plurimum parum docte parumque fideliter adornatis, luci sint exposita publicae; praeterque RHAZEN, AVICENNAM & MESVEN c), pauci commentariis sint illustrati: non opus mihi hic erit, vt in graecis medicis recensendis quidem factum fuit, de diuersis editionibus differere; quonium nullae, saltim oppido paucae aut pure arabicae aut arabico-latinae editiones exstant, sed pene omnes latinae solum prodiere. Nec erit adeo, quod commentatores in hoc genus scriptorum me diu morentur; quum hi tantum non omnes sint in numero latino-barbarorum, quorum praeterea opera non paris vbique vel pretii vel momenti aestimanda est, quique denique in solos ferme modo nominatos tres medicos explicandos sua contulerunt consilia atque industriam suam.

a) De plerisque enim illorum nos nihil omnino cognitum habere, testatur CONRINGIVS in *Introduct. in artem medicam*, cap. III. §. 21. pag. 57.

b) Huc

b) Huc pertinent opera AVICENNAE, quae partim integra & vniuersa, partim singula, arabice in lucem prodierunt.

c) Quasi triumuiratum quendam gerunt hi tres arabes, qui tantae temporibus illis, quibus latino-barbari floruerunt medici, fuerunt autoritatis, vt ferme illorum quisque peculiari commentario eosdem honorare, vel potius onerare voluerit.

§. II.

Quod si igitur, instituti mei memor, de praecipuis tantum scriptoribus eorundemque impressis operibus, pauca quaedam notanda in medium proferre velim: minime mihi vel AARONIS *Pandectis medicinalibus*, multo etiam minus HONAIN, siue IOANNITII *Isagogae* d) *in artem paruam Galeni*, vel momento immorandum fore video. Namque prioris illius libros quantum attinet, habentur illi vel inter deperditos, vel in codicum manuscriptorum scriniis hodienum haerent occulti. Posterioris vero huius schediasmation, duabus vix plagulis integris constans, chartis perituris annumerandum est & ad salsamentarios ablegandum, quia nihil bonae frugis habet. A IANO itaque DAMASCENO initium mihi erit faciendum, cuius, quae supersunt, scripta, a GERH. CARMONENSI ex arabico in latinum translata idioma, ab ALBANO autem TORINO passim correcta & illustrata, Basileae 1529. e) folio, & 1543. f) folio, iunctim impressa, sub titulo: IANI DAMASCENI *Therapeuticae methodi, hoc est, curandi artis, libri VII.* sunt diuulgata. Pulcherrimi vero eiusdem, omniumque lectione dignissimi aphorismi medici iam diu ante g) separatim fuerant in lucem prolati. Hunc de cetero IANVM DAMASCENVM *vnum atque eundem esse cum seniore* MESVE *Syro*, cuius scripta pro iam pridem deperditis fuerunt habita h), id IOH. GOTHOFREDVS HAHNIVS *in epistola ad* IOH. ALBERTVM FABRICIVM, *De veris* MESVAE *Syri scriptis non deperditis, sed sub* IANI DAMASCENI *nomine conseruatis*, quae ipsius Briegae anno 1733. in 4. impressis *Antiquitatibus variolarum nunc primum e graecis erutis*, annexa est, euincere studuit.

d) Ist-

d) Isthoc schediasma, quantum equidem memini, separatim prelo nunquam fuit subiectum, omnibus contra *Articellae* editionibus vna insertum. Duabus constat partibus, quarum priore de naturalibus & non naturalibus; in posteriore autem de rebus contra naturam; ieiuna quaedam dogmata seu praecepta proponuntur.

e) Vide FABRICII *Bibliothecam mediae & infimae latinitatis*, lib. VII. pag. 115.

f) Vide LINDEN. *renouat.* p. 504.

g) Bononiae nempe, anno 1489. 4. de reliquis vero editionibus, vid. cap. VII. sect. I §. 3.

h) Vid. FREINDII *Histor. medicinae* part. II. p. 61. seq. vbi opinatur, e conscriptis ab illo libris triginta septem, tractatum adhuc superstitem de purgantibus, huic MESVAE non citra fundamentum posse tribui.

§. III.

SERAPIONIS *Opus practicum*, quod sub nomine *Breuiarii*, initio a GERH. CARMONENSI, postea vero ab ANDREA ALPAGO, ex Arabico in latinum sermonem transfusum, deinde, ex versione prioris, aliquoties i) Venetiis, optima autem forma ac conditione, iuxta ALPAGI translationem, in typographeo Iuntarum k) expressum lucem salutauit, si IOHANNI l) FREINDIO credimus, partim valde confusum maleque ordinatum, partim & multis defectibus laborans opus audit. Huius autor maximam partem sua ex AETIO & PAVLLO AEGINETA hausisse, horumque adeo scrinia compilasse creditur; immo & ALEXANDRI TRALLIANI, qui alioquin Arabibus non adeo notus fuit, quandoque vitula arasse putatus est. Num de cetero breuiarium isthoc sit omnium arabica lingua scriptorum librorum medicorum m) primus? id vero aliis diiudicandum relinquo. Hoc loco addidisse sufficiet hocce vnicum, *Tractatum de simplicibus medicinis*, ab ABRAHAMO IVDAEO & SIMEONE IANVENSI in latinum sermonem conuersum, &, sub nomine SERAPIONIS, Breuiario huius in omnibus pene editionibus adiectum n), pro spurio & supposititio haberi o); quippe qui longe iuniorem agnoscat autorem.

i) Ex-

i) Exempli caussa, 1479. fol. 1497. f. & 1503. eiusdem formae, quarum prior editio sequentem prae se fert inscriptionem: IOHANNIS, *Filii* SERAPIONIS *Opera, seu, Breuiarium de arabico in latinum translatum*, A GERHARDO CREMONENSI, & *Liber aggregatus in medicinis simplicibus ex translatione* SIMONIS IANVENSIS, *interprete* ABRAHAMO IVDAEO *Tortuosiensi.* Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 221.

k) Venet. 1530. & 1550. fol. rubrica notatum isthac: IOHANNIS, *Filii* SERAPIONIS, *Practica, per* ANDREAM ALPAGVM *in latinum conuersa. Eiusdem, de simplicium medicamentorum temperamentis commentaria*, ABRAHAMO IVDAEO & SIMONE IANVENSI *interpretibus, nunc castigata, singulis eorum capitibus Dioscoridis ac Galeni locis in margine notatis.*

l) Historiae medicinae part. II. p. 63. seqq.

m) Ita coniectat D. FREINDIVS c. l. p. 65. Eius enim haec est opinio, MESVEN, qui paullo ante SERAPIONEM vixerit, libros suos, pari ratione ac AARON suos Pandectas, lingua syriaca, doctis eo tempore vsitata, consignasse.

n) Attamen & OTTO BRVNFELSIVS eundem, vna cum aliis ad materiam medicam spectantibus tractatibus, Argentorati 1531. fol. edendum curauit: qua de collectione legenda, quae infra cap. VII. sect. II. §. 3. dicentur.

o) Vid. FREINDIVS c. l. p. 67. nec non CONRINGII *Introduct. in art. med.* cap. III. §. 23. pag. 98.

§. IV.

Inter RHAZIS, quae superant, scripta illud, quod inscripsit *Continens*, quodque initio p) per HIERONYMVM SVRIANVM, postea vero per HIERONYMVM SALIVM, seu DE SALIIS emendatius q) editum fuit, maximum & amplissimum est opus, sed in quo magna regnat confusio r). Quamuis enim in illo quandam veluti syllogen omnium ad medicam artem spectantium rerum, ex praestantissimis quibusque autoribus, sistere, & plenissimum veluti quoddam medicinae systema exhibere cogitauerit; omnia tamen, citra vllum ordinem, nullaque vsus methodica ratione, ita corrasit, vt id, quod intenderat, minime sit adsecutus. Referendum adeo hoc opus, quantum quantum est, ad classem locorum potius communium, seu, Miscellaneorum medicorum; quam accuratis systematibus accensendum. Interea eiusdem s) *Libri*

Libri decem t) *ad* ALMANSOREM, quia meliori hi sunt compositi ordine, etiamsi & ipsi quoque e scriptis graecorum medicorum, maximam sui partem u) mutuo sint sumti, maiorem ipsi pepererunt gloriam famamque; quemadmodum etiam per multa saecula in nonum eius librum lectiones omnes academicae instituebantur: vnde & idem prope solus ex omnibus RHAZIS libris diuersis w) commentariis certatim quasi illustratus fuit. Reliquos magni huius medici tractatus quod attinet, qui, vna cum modo dictis ad ALMANSOREM libris X. titulum prae se ferentes: *Opera parua;* Lugduni Gallorum anno 1510. 8. iunctim impressa; optima autem plenissimaque forma, inscripti: ABVBETRI RHAZAE *Opera medica exquisitiora* x) *per* GERHARDVM TOLETANVM, ANDR. VESALIVM & ALBANVM TORINVM *Latinitate donata, ac ad vetustum codicem collata & restaurata*, Basileae anno 1544. fol. luci sunt expositi publicae: id vnum solum monendum duxi, *Libros sex* y) *aphorismorum*, vna cum *Libro de morbis* z) *infantum*, maxime notatu dignos esse habendos; libellum autem *de pestilentia*, ex GEORGII VALLAE versione separatim Basileae, 1529. 8. diuulgatum esse.

p) Brixiae, 1486. fol. reg.

q) RHASIS, *filii* ZACHARIAE, *Helchavy, hoc est, Liber continens artem medicinae, & dicta praedecessorum in hac facultate commendatorum, per* HIERONYMVM SALIVM *erroribus purgatus & ornatus.* Venet. 1506. 1515. fol. reg. volum. II. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 221. *Bibliothec. Thuan.* part. II. p. 140. sequ.

r) FREIND *Histoire de la medecine*, part. II. p. 69. seqq.

s) CONRINGIO, in *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 22. decem hos libros ad ALMANSOREM pro suppositititiis habenti, FREINDIVS c. l. pag. 74. non vult adsentiri; etiamsi ipse quoque fateri cogatur, verum esse, quod HALY-ABBAS, recensens & diiudicans scripta RHAZIS, nullam omnino horum fecerit mentionem.

t) Quorum *primus liber de anatome; secundus de significationibus temperaturarum; tertius de alimentis & simplicibus; quartus de sanitatis tuendae ratione; quintus de morbis cutis & cosmeticis; sextus de victu peregrinantium; septimus de chirurgia; octauus de venenis; nonus de curatione omnium partium; decimus denique de febribus* agunt.

 u) FREIND.

u) FREIND. *Histoir. de la medecin.* p. 77. seqq. RHAZIN autem diuersas res antea incognitas simul notas fecisse, de medicamentis chemicis primum locutum, historiam ignis persici, venae medinensis, spinae ventosae primum descripsisse recte, idem D. FREINDIVS cordate & sincere fassus est.

w) Sic verbi gratia, saeculo XIV. PETRVS TVSSIGNANVS; saeculo XV. IOHANNES MATTHAEVS DE GRADIBVS, GALEATIVS DE S. SOPHIA, IOHANNES HERCVLANVS, MARCVS OATINARIA, SILLANVS DE NIGRIS, & GERALDVS DE SOLO; saeculo vero XVI. LEONHARDVS IACCHINVS, ANDREAS VESALIVS & IOH. BAPTISTA MONTANVS prae reliquis, peculiaribus in practicum hunc RHAZIS librum conscriptis commentariis inclarescere studuerunt. Quid? quod GVERNERVS ROLFINCIVS sua aetate adhuc, in hac Ienensi academia, publicas praelectiones in eundem instituit, easque vltimas.

x) Inuenimus in isthac editione sequentia monumenta: *De arte medendi compendiosam introductionem; libros X. ad Almansorem; diuisionum librum I. de Antidotis in lib. diuisionum librum I. de affectibus iuncturarum librum I. de morbis infantum, librum I. Aphorismorum libros VI. Antidotarium; de praeseruatione ab aegritudine lapidis, librum I. de sectionibus, cauteriis & ventosis, librum I. de facultatibus partium animalium librum I.*

y) Lib. I. *de prognosticis*; II. *de experimentis*; III. *de casibus*, qui ipsi RHAZAE acciderunt; IV. *de diaetis, mediciniis & cibariis*; V. *de verbis* HIPPOCRATIS; & VI. *de scientiis, sine quibus rectus medicus esse non potest.* Ex horum librorum primo atque tertio & ex positis ibi aphorismis coniectatu non est difficile, quanta fuerit RHAZIS dexteritas, & quanta diuinandi vi in prognosi morborum is polluerit.

§. V.

RHAZI quum non magis, ac omnibus eum antegressis suae gentis medicis, feliciter cessisset consilium systematis medici adornandi: HALY-ABBAS putauit sibi relictam hanc gloriam, vt huic defectui mederetur, & eiusmodi desiderio faceret satis; idque se praestitisse credidit, edito suo, quod vocat, *Almaleci*, hoc est, *Opere regio*, quod ferme aeque spissum volumen conficit ac *Continens* RHAZIS. Et hoc ipsum opus, postquam STEPH. ANTIOCHENVS illud anno circiter 1127. ex arabico in romanum sermonem transtulerat, sub hocce titulo: HALY-ABBATIS

BATIS *Regalis dispositionis theoricae libri decem, & practicae libri decem*, Venetiis, anno 1492. forma folii dicta, excusum typis, Lugduni vero anno 1523. 4. recusum fuit. Tantis istud a FREINDIO a) euehitur laudibus, vt censeat, praeferendum idem esse, ob seruatum ordinem accuratum, & ob sermonis pariter ac rerum perspicuitatem, omnibus reliquis systematibus medicis, quotquot eorum ab arabicis vnquam medicis composita prodierint. Illis vero idem vir doctus album minime adiicit calculum b), qui ISAACVM ISRAELITAM pro vero huius operis autore venditant, quique huius *Pantechnon* cum illius *Almaleci* confundentes, vnum eundemque vtrumque esse rentur librum.

a) Histoir. de la medec. part. II. p. 119. seq.

b) Ibid. p. 58. seq.

§. VI.

Maioris longe momenti esse visa sunt AVICENNAE ad medicam spectantia artem c) scripta; maxime vero tanti aestimatus *Canon* d) illius, quem dicit. Certe CONRINGIVS e) hunc ei defert honorem, quod primus fuerit, qui aptum systema medicum confecerit; quod tamen iudicium ratum habere eidemque subscribere IOH. FREINDIVS f) voluit minime. Vtut sit, hoc certum, canonem istum modo memoratum g) in eo ceteris omnibus palmam praeripuisse, quod Romae anno 1593. in folio, ex typographeo Mediceo, mere arabicis characteribus exscriptus prodierit; secundus autem eiusdem canonis liber a PETRO KIRSTENIO arabice & latine, vna cum eiusdem adnotationibus, Wratislauiae, anno 1609. fol. separatim editus; totus praeterea canon multis h) commentariis & illustratus & ornatus fuerit. Latinas editiones monumentorum Auicennaeorum quantum attinet; haec ipsa e versione latina, a GERHARDO CARMONENSI primum adornata, ab ANDREA dein ALPAGO i) & BENEDI-

CTO RINIO multis partibus emendata, aliquoties k) iunctim impressa; optime vero apud Iuntas Venetiis, anno 1595. & 1608. fol. cum obseruationibus IOH. COSTAEI & IOH. PAVLLI MONGII luci publicae sunt l) exposita. Eorum tamen non nulla quoque singula prelis exierunt. Sic, exempli caussa, canon m), secundum GERH. CARMONENSIS; primus *) eiusdem canonis liber, secundum ANDR. GRATIOLI; porro primus iterum vnaque secundus liber n) iuxta VOPISCI FORTVNATI PLEMPII; Canticum o) denique, iuxta ANT. DEVSINGII versiones, seorsim quodque lucem salutarunt.

c) Huc referri solet *Canon*, qui plenioris systematis medici instar habere creditur; porro *Canticum*, quod Compendium medicinae, siue, epitomen Institutionum medicarum complectitur; *Tractatus de medicinis cordialibus*; *Libellus de remouendis nocumentis, quae accidunt in regimine sanitatis, ex errore vsus rerum non naturalium*; denique aposspasmation *de Syrupo acetoso*. Reliqua scripta aut huc non pertinent, aut pro subiectitiis habentur.

d) Canon enim iste, vna cum nono libro RHAZIS, de quo supra retulimus, per aliquot saeculorum seriem, in academiis, fundamenti loco praelectionibus instituendis substratus fuit. Quid? quod Salerni, candidati laureae doctoralis, quique summos in arte medica honores ambiebant, ex primo canonis libro fuerint examinandi, priusquam honoribus illis digni haberentur.

e) In Introduct. in art. medic. cap. III. §. 23. pag. 99. vbi haec leguntur: Quum itaque AVICENNA tanto ingenio, tanta philosophiae cognitione, tanta denique peritia artis instructus esset; rem hactenus graecis ipsis intentatam aggressus est, integram artem medicam in vnum systema redigere conatus. Quanquam enim non negaueris, multa in illo opere canonis occurrere, quae correctionem mereantur, fatendum tamen est, esse opus admiratione dignum.

f) Histoire de la medecin, part. II. p. 117. seqq.

g) Constat ille quinque libris: quorum *primus de rebus vniuersalibus scientiae medicae; secundus de medicinis simplicibus; tertius de aegritudinibus particularibus, quae fiunt in membris hominis, a capite vsque ad pedes, manifestis & occultis; quartus de aegritudinibus particularibus, quae quum accidunt, non sunt vni membro propriae; &, de decoratione; quintus* tandem *de componendis medicinis*, tractant.

h) Ita, exempli gratia, e saeculo XIV. DINVS & THOMAS DE GARBO, praecipue autem GENTILIS DE FVLGINEO; e

sae-

saeculo XV. IOH. HERCVLANVS, IACOBVS FOROLIVIENSIS, IACOBVS DE PARTIBVS & NICOLAVS NICOLVS; e XVI. saeculo PET. ANTON. RVSTICVS, ANTONIVS MARIA BETTVS, ODDVS ODDVS, IOH. BAPTISTA MONTANVS, IOHANNES COSTAEVS, IOHANNES PAVLLVS MONGIVS, BERNHARDINVS PATERNVS; & e XVII. PETRVS KIRSTENIVS, & VOPISCVS FORTVNATVS PLEMPIVS, in censum illorum veniunt, qui vel vniuersum canonem, vel vnum alterumue eius librum, vel libri etiam sectionem aliquam explicare sunt conati.

i) Non autem solum ALPAGVS versionem GERHARDI CARMONENSIS ad limam reuocauit atque correxit; sed libellum quoque de remouendis nocumentis in regimine sanitatis, vna cum schediasmate de syrupo acetoso, ex arabico singulatim transtulit: adiecit praeterea etiam lexicon quoddam, in quo terminos technicos arabicos, AVICENNAE vsitatos, dilucidat.

k) Venetiis, 1544. & 1555. fol. vt & Basileae, anno 1556. fol. Posterioris editionis titulus ita habet: AVICENNAE *Liber canonis, de medicinis cordialibus, & cantica; iam olim quidem a* GERHARDO CARMONENSI *ex arabico sermone in latinum conuersa, postea vero ab* ANDREA ALPAGO *infinitis pene correctionibus, ad veterum exemplarium arabicorum fidem, in margine factis, locupletissimoque nominum arabicorum ab ipso interpretatorum indice decorata; nunc autem demum a* BENEDICTO RINIO *eruditissimis accuratissimisque lucubrationibus illustrata. His accesserunt* AVICENNAE *libellus de remouendis nocumentis, quae accidunt in regimine sanitatis. Eiusdem tractatus de syrupo acetoso, ab eodem* ALPAGO *ex arabico in latinum sermonem translati.* Basileae per Ioannes Heruagios, 1556. fol.

l) Lego tamen in IOH. GEORG. SCHENCKII *Bibliotheca medica* p. 81. seq. ipsum editionem Venetam, quae anno 1564. fol. ex Vincentii Valgrisii typographeo prodiit, reliquis praetulisse omnibus. Postrema autem, in textu a me memorata, videtur SCHENCKIO tum incognita fuisse, quae isthac insignis rubrica prodiit: AVICENNAE *Opera, ex* GERHARDI CARMONENSIS *versione &* ANDREAE ALPAGI *castigatione, cum annotationibus* IOHANNIS COSTAEI & IOH. PAVLLI MONGII. *Accessit vita* AVICENNAE *ex* SORSANO, *arabe, a* NICOL. MASSA *latine scripta, additis quibusdam figuris, librorum canonis oeconomiis, nec non tabulis isagogicis in vniuersam medicinam* IOANNITII, *per* FABIVM PAVLLINVM. Venet. 1608. f.

m) ABOHALI ABIVSCENI *Liber canonis de medicina, translatus a* GERHARDO CREMONENSI *in Toleto ab arabico in latinum.* Editio antiquissima, sine mentione loci & anni, fol. regal. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 220.

*) AVICENNAE *Liber primus de vniuersalibus medicae scientiae praeceptis*, ANDREA GRATIOLO *interprete. Adiectis eiusdem interpretis scholiis.* Venet. 1580. 4.
n) Louanii, anno 1658. fol.
o) *Canticum* AVICENNAE *de medicina, seu, breue, perspicuum & concinne digestum institutionum medicarum compendium, cui adiecti aphorismi medici* IOHANNIS MESVAEI, *Damasceni. Ex arabico latine reddidit* ANTON. DEVSINGIVS. Groeningae, anno 1649. 12.

§. VII.

Quemadmodum AVENZOAR, ex diuturna praxi sua, multorumque annorum p) experientia, diuersa obseruare potuit, quae aliis medicis abscondita mansere: ita &, in opere suo practico, *Theisir* q) nominato, obseruationum medicarum a se annotatarum, aeque ac RHAZES, multa memoratu dignissima r) specimina reliquit. Quamuis itaque laudatum opus, ob vtile argumentum, iam dudum accuratiore versione dignum fuerit; pessime tamen factum est, quod vel ipsarum illarum tam misere tamque barbarice versarum editionum exemplum rarissime aliquod s) inueniri potest; quum tamen quater illud, nempe Venetiis anno 1496. 1497. & 1514. in folio, vt & Lugduni, anno 1531. 8. fuerit prelo subditum. *Tractatus eius de simplicibus medicamentis*, quem olim IOH. GEORG. SCHENCKIVS diuulgandi consilium t) ceperat, latet adhuc manuscriptus in scriniis. *Liber* autem *de decoratione* iam pridem est inter deperdita, vt testatur ANTONIVS in *Bibliotheca Hispan. vet.* tom. II. p. 234. De AVERRHOE, qui maiorem sibi philosophicis, quam medicis, scriptis acquisiuit famam, hoc vnum tantum obseruare lubet, librum eius, quem vocauit, *Colliget*, quemque CONRINGIVS u) vt optimum compendium medicinae laudauit, non minus rarum esse, ac AVENZOARIS librum *Theisir* w) vocatum; quia tractatus eius ad rem medicam spectantes x) non facile y) separatim editi, sed plerumque operibus eius philosophicis iunctim z) impressis, sunt adnexi.

p) Vid.

p) Vid. CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. II. §. 6. p. 42. Vixit AVENZOAR annos 130. & a vigesimo quinto medicinam facere coepit. Vnde hoc saltim liquet, multa eum in praxi obseruasse, adeoque ab experientia egregie fuisse instructum, ita, vt maximum empiricum haud iniuria dixeris.

q) ABHOMERON AVENZOAR *Liber Theisir dahalmodana vahaltabir: cuius est interpretatio, rectificatio medicationis & regiminis.* Venet. apud Octau. Scotum, 1496. fol. 1497. fol. per OTINVM PAPIENSEM *de Luna.*

r) FREIND *Histoir. de la medec.* part. II. pag. 130 seqq. vbi narrat, AVENZOAREM ope praxeos suae primum obseruasse abscessum mediastini, abscessum pericardii, & relaxationem oesophagi; immo, non solum signa horum ante ipsum nondum descriptorum morborum, sed & rationem ac modum iisdem medendi eum monstrasse. Vbi vel hoc maxime prae reliquis memorabile, eum aduersus morbum vltimo loco nominatum clysteres nutrientes haud vulgariter commendasse.

s) Vid. CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 24. p. 99. Opus eius practicum, cui *Theisir* titulus, dignum est lectu, vtut barbare sit versum, & raro haberi possit. Constat autem tribus libris, quorum *primus de morbis capitis & thoracis*, *secundus de morbis abdominis, cutaneis, affectibusque externis; tertius* denique *de febribus* agit.

t) Vid. Bibliothec. medic. p. 4.

u) c. l. p. 100. Conscripsit AVERRHOES doctissimum opus, quo vniuersam artem singulari laude in compendium redegit, titulo arabico *Colliget*, quam vocem perperam & inepte vulgo collectanea interpretantur; vtpote quum tantum absit, vt liber ille collectanea contineat, vt optimo ordine eaque methodo & elegantia artem comprehendat, vt omnes similes conatus superauerit. Haec CONRINGIVS. Videtur autem hoc elogium adscribendum esse nimiae existimationi, qua magnus iste vir in ARISTOTELEM ferebatur. De cetero, BERTRVTIVM commentarium in secundum & quintum librum huius operis *Auerrhoeani* manuscriptum reliquisse, apparet ex SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 77.

w) Cui contigerit vnius alicuius editionum libri *Theisir* in paragrapho memoratarum fieri compotem, eidem in eo fauebit quoque fortuna, quod simul AVERRHOIS librum, *Colliget* dictum, nanciscetur. Vterque enim in nominatis editionibus iunctim impressus deprehenditur.

x) Praeter septem enim illos libros operis, *Colliget* inscripti, *commentarium* quoque *in* AVICENNAE *Cantica, tractatum de venenis, & de medicamentis simplicibus* conscripsit. Operis autem *Colliget* haec est oeconomia, vt agatur *Libro* I. *de anatome*; II. *de sanitate*

omnium membrorum, & eorum operationibus; III. *de speciebus & caussis aegritudinum;* IV. *de signis sanitatis & aegritudinis;* V. *de medicinis & cibis;* VI. *de conseruatione sanitatis;* & VII. *de medicatione aegritudinum.*

y) Tractatus tamen eius *De venenis & theriaca*, Lugduni Gall. 1517. 4. in lucem est editus. Similiter IOH. BRVYERINVS tres sectiones, seu potius, librum II. VI. & VII. operis *Colliget* transtulit, hosque sequenti notatos titulo: AVERRHOIS *Collectaneorum de re medica sectiones tres, de sanitatis functionibus, de sanitate tuenda, &, de morbis curandis,* Lugduni anno 1537. 4. edendos curauit.

z) Prodierunt Venet. 1552. fol. 1575. 8. 1562. Vid. ANTONII *Bibliothec. Hispan. vet.* tom. II. p. 243. sqq.

§. VIII.

Vtrum opera MESVAE nomen praeferentia quae adhuc a) supersunt, vni eius nominis viro eidemque, an duobus diuersis, sint tribuenda? de eo certant etiamnunc docti, nec, qui dirimat litem, inuentus est iudex. Sufficiat hoc loco, scire, *Libros tres de re medica*, a IAC. SYLVIO ex arabico in latinum transfusos esse sermonem; eamque versionem Lutetiae Parisior. anno 1542. fol. excusam, & frequentius deinceps recusam fuisse b). Quantum autem ad vniuersa MESVAE opera attinet, quae, ex versione partim antiquiore cuiusdam anonymi, partim IAC. SYLVII recentiore, diuulgata fuerunt; haec, vna cum obseruationibus IOH. MANARDI, IAC. SYLVII, ANDR. MARINI, vt & multis cum additamentis c) aliorum quorundam medicorum, Venetiis anno 1561. fol. iunctim habentur impressa, ibidemque aliquoties d) prelo repetita deinceps fuere. Optime autem & plenissime eadem in vrbe, ex Iuntarum typographeo sunt emissa, sequenti cum inscriptione: IOAN. MESVAE *Opera, cum* MVNDINI, HONESTI, MANARDI & SYLVII *Obseruationibus. Accedunt plantarum in libr. Simplicium descriptarum imagines,* & IOH. COSTAEI *Annotationes, cum volumine supplementorum in* MESVEN. *Editio ab innumeris mendis & erroribus expurgata. Venet. ap. Iuntas,* 1602. fol.

Quum

Quum igitur obseruationes commentatorum pene omnes ipsis operibus MESVES fuerint adiectae; vnus forsitan erit IOHANNES DE NABASQVES, cuius *Theoremata in* MESVES *librum primum de purgantibus simplicibus*, separatim Caesaraugustae anno 1550. folio prodierint.

a) In hunc censum referendi, *De medicamentorum purgantium delectu, castigatione & vsu, libri duo, quorum priorem, canones vniuersales in aphorismos digestos; posteriorem, de simplicibus pharmacis purgantibus,* vocant. *Grabadin,* hoc est, *compendii secretorum medicamentorum libri duo, quorum prior, antidotarium, posterior de appropriatis,* vulgo inscribitur.

b) Paris. 1543. f. 1547. f. 1561. 8. Lugdun. 1548. 8.

c) Horum recensionem dabimus cap. VII. sect. II. §. 13.

d) Ex. gr. 1575. fol. 1581. fol. 1589. fol. 1623. fol.

§. IX.

ALBVCASA, qui cum ALSAHARAVIO & BVLCASI vnus idemque e), diuerso tantum gaudens nomine, est habendus, pertinet quidem ad postremam aetatem autorum arabicorum principum; ob singularem tamen, quam ratione semiologiae f) atque chirurgiae g) probauit, dexteritatem ac sollertiam, praestantissimis maximeque idoneis gentis suae medicis accenseri meretur. Opus huius medicum, *Al-Tasrif* appellatum, quod in XXXII. tractatus distributum, a PAVLLO RICIO & SIGISM. GRIMMIO, gerens titulum: ALSAHARAVII *Liber theoricae nec non practicae*, Augustae Vindelicorum, anno 1519. fol. luci fuit expositum litterariae, ob sui raritatem, iam dudum de nouo edi meruisset. Hactenus tamen non nisi particulas quasdam eiusdem recusas vidimus, easque alienum profitentes nomen. Quare monendi hic sunt nobis lectores, ALBVCASAE *Libros* h) *tres chirurgicorum*, seu, methodum i) medendi, praecipue quae ad chirurgiam requiruntur, libris III. exponentem, qui a GERH. CARMONENSI

translati sunt; & BVLCASIS *Librum de praeparatione medicinarum simplicium*, qui sub titulo: *Liber* SERVITORIS, a SIM. IANVENSI translatus, operibus MESVAE adsociatus fuit, minime pro scriptis aliorum medicorum habendos, sed pro tractatibus separatis & pro membris operis maioris ALSAHARAVII, *Al-Tasrif* vocati, agnoscendos esse, autorique suo vero tribuendos. *Eius* ad *Diaeteticam pertinentes libri*, aeque ac *Dictionarium medicum* ab eodem consignatum, inter deperdita k) numerantur monumenta.

e) Vide SCHENCKII *Bibliothec. medic.* pag. 32. & FREINDII *Histoire de la medecin.* part. II. pag. 200. seqq. qui vero nullam omnino SCHENCKII inicit memoriam, sed rem ita refert, ac si ipsi sibi detectionem huius rei acceptam ferre deberent eruditi.

f) Vid. BARCHVSEN *De medicinae origine & progressu dissert.* XVII. p. 304. ALSAHARAVIVS vnus eminet inter omnes arabes, in tradenda signorum scientia.

g) Vid. SEVERINI *medicin. efficac.* lib. I. part. I. cap. 2. Primus prodeat ALBVCASIS, quo non exstat in hac natione clarior aut maior, sed primas in chirurgia omnium consensu tenet. D. FREINDIVS autem c. l. sequentia ipsius merita celebrat: primum quidem, quod vnus arabum sit, qui de operationibus chirurgicis separatim egerit; deinde, quod primus sit, qui instrumenta chirurgica, additis eorundem figuris, descripserit; & denique quod doctrinam de lithotomia in feminino sexu instituenda accurate proposuerit, & fundamenta veluti iecerit illius methodi, quam iunioribus temporibus a fratre IACOBO (*Frere* IAQVES) inuentam D. RAVIVS excoluerit emendaueritque.

h) Isthac rubrica insigniti Argentorati anno 1532. fol. impressi prodiere. v. cap. VII. sect. I. §. 5.

i) Ita inscripti Basileae anno 1541. fol. prela reliquerunt. Error adeoque est, quando in *Bibliothec. Thuan.* part II. pag. 141. annus 1543. legitur. Pauciora illa capita de morbis mulierum, quae in *Collectione Gynaeciorum Spachiana* p. 442. seqq. ALBVCASAE nomen praeferentia inueniuntur, e libro secundo huius methodi medendi sunt mutuo sumta. Reliquorum medicorum opera, Basileensi huic editioni vna adiecta, quod attinet, horum index infra cap. VII. sect. II. §. 15. potest euolui.

k) Vid. SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 32.

§. X.

§. X.

Finem praesenti capiti imponat, agmen recensitorum in eodem medicorum clausurus, celeberrimus ille Iudaeus, MOSES MAIMONIDES. Etsi enim, vt modo dictum, gente Iudaeus is fuerit; commode tamen omnino, quum ad rem medicam spectantia eius opera lingua arabica sint conscripta, referri huc poterit. *Commentarii* huius *in aphorismos* HIPPOCRATIS, *secundum doctrinam* GALENI, viginti quinque constantes libris, & maximi a CONRINGIO l) aestimati, nunquam, quantum equidem scio, separati & soli fuerunt impressi, sed vna cum aphorismis IANI DAMASCENI atque RHASIS, Bononiae anno 1489. 4. excusi, insecuto vero tempore Venetiis ac Basileae denuo m) sunt recusi. *Tractatus* autem *de regimine sanitatis*, non Augustae solum Vindelicorum, anno 1518. 4. seorsim prelo exiit, verum consiliis etiam medicis IOH. MATTHAEI, de GRADI, in vtraque eorum editione, & quae Venetiis bis, anno nempe 1514. & 1521. fol. & quae Lugduni anno 1535. fol. prodiit, adsociatus fuit. Est adeo, quod mireris, GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM, in *Additamentis ad Conringii Introduct. in art. medic.* cap. XIII. §. 7. §. 422. ne verbulo quidem diuulgati huius operis meminisse, sed de eo tanquam de nondum impresso, sed manuscripto saltem codice loquutum fuisse.

l) In introduct. in art. medic. cap. III. §. 24. p. 100. Eodem hoc saeculo XII. vixit MOSES MAIMONIDES, Cordubensis Iudaeus ille, qui, SCALIGERI iudicio, primus inter suos nugari desiit; cuius aphorismos ex operibus GALENI ingenio longe felicissimo collectos habemus.

m) Vide Cap. VII. sect. I. §. 3.

CAP.

CAP. III.

DE NOVATORIBVS, REFORMATORIBVS, CONCILIATORIBVS ET SCEPTICIS MEDICIS.

§. I.

Qualia fuere fata reliquarum eruditionis partium, vt scilicet, dilatatis earundem terminis, diuersi ingenii homines litterati exorirentur, quorum alii, innouandarum rerum cupidi, quibusque vetera sordebant, omnismodi nouas sententias inuehebant; alii contra antiqua dogmata defendebant; rursus alii vetusta saltem cum nouis conciliare, alii denique omnia omnino, vetera aeque ac recentia, suspecta reddere studebant: talia quoque experta est ars medica. Neque enim huic quoque defuere eiusmodi cultores ac sectatores, qui varia opinionum diuortia & sententiarum dissidia inuehendo fundamenta quasi & statum artis concusserunt locoque mouerunt suo. Incunabula haec maximam partem habuere a medicis graecis, a quibus ad alias deinceps propagata fuere nationes; donec nouissimis hisce temporibus, etsi cum aliqua immutatione, & sub alia veluti forma, denuo sunt resuscitata.

§. II.

Vt igitur, in recensendis, partim bonae, partim deterioris notae scriptis, ad hoc argumentum spectantibus, ordine procedamus; dispescemus caput, quod iam exordimur, in tres sectiones: quarum *prima* agemus de nouatoribus & reformatoribus; *secunda* de conciliatoribus; & *tertia* tandem de scepticis medicis; versaturi ita circa materiam substratam, vt maxime necessaria tantum, quaeque potissimum trahunt momentum, qua fieri poterit verborum angustia, in medium simus allaturi; seruata vbique accurata temporum ratione.

CAP.

CAP. III. SECT. I.

DE NOVATORIBVS ET REFORMATORIBVS MEDICIS.

CONTENTA:

De nouatoribus in arte salutari graecanicis §. *1.* *De nouatoribus saeculi XV. & XVI.* §. *2. 3.* *De nouatoribus saeculi XVII. non celebribus* §. *4. 5.* *De nouatoribus seculi XVII. celebrioribus* §. *6 -- 9.* *De nouatoribus saeculi XVIII.* §. *10. 11.*

§. I.

Etsi temporibus antiquioribus aeque ac sequioribus, cum graecos inter, tum inter latinos, multa ingenia alacria & excitatiora sint inuenta, quae, partim bona, partim mala intentione, adeoque diuerso vtrinque consilio, ab *Hippocraticis* dogmatibus secessionem fecerunt, varias in arte salutari, cum CHRYSIPPO CNIDIO, CLEOPHANTO, ERASISTRATO, HEROPHILO, PHILINO COO, ASCLEPIADE, THEMISONE, THESSALO TRALLIANO, ATHENAEO ATTALO, AGATHINO, ARCHIGENE, CRINA MASSILIENSI, VETTIO VALENTE &c. innouationes inuexerunt, diuersis adeo distractionibus ac peculiaribus, iisque partim clarioribus, partim obscurioribus, sectis ansam praebentia: minime tamen, omnibus hisce nouatoribus atque reformatoribus, quum scripta illorum pridem iam perierint, quae hac in caussa ediderant, immorari, consultum mihi videtur. De arabibus contra medicis id tantum in genere monebo, ipsos, coniungendo ex vna parte cum medicina chemiam, astrologiam & vromantiam, ex altera vero, anatomen & chirurgiam negligendo, non in theoria solum atque praxi, omnino multiplices reuolutiones ac immutationes peperisse a); sed fundamenta etiam arabicae,

cae, quae dicitur, sectae strauisse atque posuisse; data eo ipso insequentium temporum latino-barbaris medicis, qui initio omnes erant de monachorum ordine, occasione praecipua, infelicissimo conatu separandi saeculo duodecimo Chirurgiam atque pharmaciam a medicina; quippe quae separatio ex hoc tempore maiora indies cepit incrementa.

a) Dixi hac de re pluribus in *Compendio historiae medicae* p. 154. seqq. & 170. seq.

§. II.

Quum igitur, renascentibus bonis litteris, disciplinisque, quibus ab humanitate nomen est, restitutis, monumenta antiquissimorum graeciae medicorum, per quosdam b) eruditionis fama longe celebratissimos viros, ab obliuione vindicata, & medicina dogmatica HIPPOCRATIS atque GALENI, pristino suo splendori reddita esset: fiebat hinc, vt non nulli c) quidem partes *Arabum* ad breue tempus sequi pergerent adhuc, alii contra hypotheses d) *Iatro-mathematicorum* e), *pneumaticorum* f) & *methodicorum* g) in scenam reuocarent; alii denique noua plane systemata construerent, adeoque peculiarium sectarum, quanquam omnes ac singuli *Dogmatici* audire vellent, natalibus ansam porrigerent. Posteriorum horum scripta h) paucis, nunc fert animus, recensere.

b) Ex Italis huc pertinet, HERMOLAVS BARBARVS, NICOL. LEONICENVS, & IOH. MANARDVS; e Gallis, PETR. BRISSOTVS, IAC. SYLVIVS, & GVILIEL. COPVS; ex Anglis, THOM. LINACER & IOHANNES CAIVS; e Germanis, IOH. GVINTERIVS ANDERNACVS, IANVS CORNARIVS, LEONHARDVS FVCHSIVS; & ex Hispanis denique FRANCISCVS VALLESIVS.

c) Ex horum numero, inter Gallos quidem, SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, IOH. BRVYERINVS, SEBAST. MONTVVS, atque HIERON. MONTVVS; inter Italos autem, PETR. BAYRVS, IOHANNES DE VIGO, LEONELLVS VICTORIVS, & ANDREAS THVRINVS, prae ceteris inclaruerunt.

d) Non obstante, quod hae ipsae a IOHANNE PICO *Mirandulano* in *libris* XII. *Disputationum contra astrologos*, iam concussae, earumque

rumque fundamenta impelli coepta essent. Suntque omnino hi libri, ob praestantiam suam, noua eaque peculiari editione perquam digni; quoniam opera vniuersa IOHANNIS PICI talis praeda sunt, quae raro in casses multorum incidit, etiamsi illa, teste IOH. ALB. FABRICIO in *Bibliotheca latina mediae & infimae latinitatis* Lib. IX. pag. 336. Venetiis 1498. folio, Argentorati 1504. fol. Basileae 1557. 1573. 1601. fol. & Mirandolae 1596. fol. iunctim fuerint edita.

e) Ita ex. gr. in Italia, HIERONYMVS DE MANFREDIS, & PETRVS MAYNARDVS; in Germania, GEORG. COLLIMITIVS, CASP. PEVCERVS, IAC. SCHULLIVS, WOLFFIVS GEVSSIVS, IOH. HASFVRTVS, ISRAEL HIEBNER, MICHAEL CRVGENERVS, multique praeterea alii, sectae huic *Iatro-mathematicae*, pro viribus quisque suis, suppetias ferre studuerunt restituendae.

f) Vid. BARCHVSENII *Differt. de medicinae origine & progressu*, p. 236. seqq. & 450. vbi THOMAM CAMPANELLAM, IOH. MAYOWIVM, & SEBAST. WIRDIGIVM inter restauratores factionis *Pneumaticorum* retulit. Nec potest negari, horum vltimum, *Noua* sua *medicina spirituum*, Hamburgi, 1673. & 1688. in 12. edita, aeque ac IOHANNEM MAYOWIVM *Tractatu* suo *de sale nitro & spiritu nitro - aereo*, qui operibus eius medico-physicis, Hagae comit. 1681. 8. iunctim impressis, insertus fuit, multum quidem strepitus fecisse, parum tamen applausus consecutos fuisse.

g) Hanc in sese suscepit operam primus PROSPER ALPINVS: quippe qui in opere suo *de Medicina methodica*, quod Patauii, anno 1611. fol. excusum, Lugduni vero Batauorum, anno 1719. 4. recusum est, sectam modo dictam feruentissimo studio defendere eamque sartam tectam reddere conatus est. Vtut igitur CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. II. §. 8. p. 43. suo tempore scripserit: Vnus inter recentiores, PROSPER ALPINVS, magni nominis vir, grande opus in defensionem huius sectae composuit; sed lusit operam, nec inuenit temere, qui applauderent: CONRINGII tamen post aetatem, aliam longe faciem haec controuersia induit. *Methodici* enim, caussam illorum adeo fortiter adeoque feliciter agente GEORGIO BAGLIVO, penes *mechanicos*, qui vocantur, medicos maximam omnino adsecuti sunt autoritatem.

h) De nexu autem dogmatum illorum agendi hic non est locus nec tempus: neque enim hoc argumentum ad bibliothecam medicam, sed ad historiam potius artis medicae litterariam, spectat.

§. III.

Quod si iam, instituti mei memor, rem ipsam adgredi, & de praecipuis tantum atque famosioribus i) noua-

nouatoribus, eorundemque ſcriptis, ea, quae maxime neceſſaria erunt, proferre velim: primas ſibi, e ſaeculo quidem decimo ſexto, iure veluti ſuo, vindicabit prae omnibus k) aliis, famoſus ille PARACELSVS. Scripta huius quae ad medicam artem ſpectant, quaeque confuſe admodum, nec decoro ordine ſeruato l) conſignata ſunt, valde praeterea, ob fictos ab ipſo terminos technicos infinitos, obſcura, pene m) vniuerſa poſt mortem demum ipſius, a ſectatoribus eius n), partim ſingula o), partim coniuncta p), impreſſa, modo germanice q), modo, ex diuerſis diuerſorum verſionibus, latine r), edita; optima vero pariter ac plenisſima s) forma Geneuae, anno 1658. fol. tribus t) tenuibus tomis conſtantia, ita vt vno volumine ſpiſſo compingi queant, prodierunt in lucem publicam; idque cum praefationibus u) FRIDERICI BITISKII, praemiſſa illis ſequenti rubrica: AVREOLI PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI BOMBAST AB HOHENHEIM, *medici & philoſophi celeberrimi, chemicorumque principis, opera omnia medico-chemico-chirurgica, tribus voluminibus comprehenſa. Editio nouisſima & emendatisſima, ad germanica & latina exemplaria accuratisſime collata: variis tractatibus & opuſculis ſumma hinc inde diligentia conquiſitis, vt in voluminis primi praefatione indicatur, locupletata, indicibusque exactisſimis inſtructa.* Geneuae, 1658. fol. Sicuti igitur autor in his ſectae, quo nomine deinceps dicta fuit, *Hermeticae, Paracelſicae*, ſeu *chemicae* fundamenta iecit: ita notandum, hypotheſes eius multum quidem adſenſus, nec minus tamen contradictionis, pro diuerſitate iudicantium, inueniſſe. Vehementisſime illae a THOMA ERASTO w), ſolidisſime contra ab HERM. x) CONRINGIO fuerunt impugnatae; ab OLAO viciſsim y) BORRICHIO maxima veritatis ſpecie propugnatae.

i) Ea ipſa de cauſſa RAYMVNDI LVLLI nullam iniicere volui mentionem; quoniam reformatio eius non tam diſciplinas ipſas, quam methodum ac modum docendarum illarum reſpicit. Ceterum

rum de eo quae notari merentur, optime consignauit NICOLAVS ANTONIVS in *Bibliotheca Hispana vet.* tom. II. p. 81. seqq.

k) Etiamsi enim & IOHANNES FERNELIVS & IOHANNES ARGENTERIVS, diuersis in partibus, ab antiquioribus discesserint; peculiarem tamen sectam neuter horum condidit.

l) PETRVS tamen SEVERINVS confusa & intricata eius dogmata primus extricare & in iusti ordinis seriem eadem redigere adgressus est: de quo *Eius Idea medicinae philosophicae, fundamenta continens totius doctrinae Paracelsicae, Hippocraticae & Galenicae,* Basileae, anno 1571. 4. luci exposita publicae; optima vero conditione Roterodami, anno 1668. eadem forma sub prelum reuocata, & vna cum commentario GVIL. DAVIDSONII edita, legi meretur.

m) Operibus tamen posthumis minime accensenda est *Chirurgia magna;* siquidem haec, GESNERO & ADAMO testibus, ab ipso PARACELSO, Vlmae 1536 fol. fuit diuulgata. Vnde apparet, errauisse MORHOFIVM, qui *Polyhist.* tom II. lib. I. cap. 15. §. 16 refert, PARACELSO viuo, nihil scriptorum eius typis fuisse exscriptum; quum tamen is, annotante eodem GESNERO in *Bibliotheca vniuersali* p. 614. etiam *Commentationem* quandam *de cometa anno 1531. viso,* eo ipso anno diuulgauerit.

n) Ex. gr. ab ADAMO A' BODENSTEIN, MICH. TOXITE, GERHARDO DORNEO, SAM. ARCHITECTO, GEORGIO IOACHIMO RHAETICO, IOH. HVSERO, FRID. BITISKIO, &c.

o) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 107.

p) Prima collectio operum *Paracelsicorum* IOH. HVSERO est accepta ferenda, cuius quippe opera, Basileae 1589. 4. & Argentorati 1616. fol. ea fuit publicata. Ostendit tamen CONRINGIVS in *Medicina hermetica,* lib. II. cap. I. p. 177. hancce editionem ab autographis PARACELSI, qualia ea a BODENSTEINIO, DORNEO, TOXITE aliisque singula fuerant edita, in quam plurimis discedere, atque ab iisdem differre.

q) Sic exempli caussa, *Tres libri de tabe metallica, seu de morbis metallurgorum (Berg-Sucht, Berg-Kranckheiten)* prima vice Dillingae, anno 1567. 4. *Tredecim libri paragraphorum,* Basileae, 1571. 4. & *Archidoxa,* quae appellat, itidem Basileae, 1570. 4. germanico idiomate, in lucem prodierunt; quanquam postremo loco nominata, obseruante catalogo vniuersal. *Willerian.* germ. p. 268. Monachii quoque anno 1570. 4. Coloniae Agrippinae, 1570. 4. & Argentorati eodem anno forma octopertita, adeoque vno anno quater, diuersis locis impressa dicuntur.

r) Titulus est: PARACELSI *Operum medico-chymicorum, siue paradoxorum tomi duodecim.* Francof. 1603. 4. Index scriptorum vnoquoque tomo contentorum, quae in quatuor volumina hic diuisa sunt, in LINDENIO *renouato* p. 101. seqq. potest euolui.

s) BITISKIVS tamen non nullos PARACELSI nomen mentitos, & ab ipso pro spuriis habitos, tractatus plane reiecit reprobauitque.

t) *Continentur tomo I. opera medica; tomo II. opera chemica & philosophica; tomo* denique *III. chirurgica.*

u) BITISKIVM in his praefationibus PARACELSVM, qua vitam, qua scripta eius, partim defendere, partim excusare voluisse, manifestum est. Ast credo equidem, fore non paucos, quibus adhibita ab eo, ad tegendam illius nuditatem, ficulnea folia non paruum risum sint excitatura, inprimis quando autor ebriosorum inter Germanos patrocinium in se suscipere non est veritus, scribens hunc in modum: Ebrietatem PARACELSI omnes improbant, & conniuisse sibi nimium in poculis & inter cantharos taxant. *Gentis hoc, non viri, vitiolum est,* a TACITI saeculo ad nostrum vsque non interrupto filo deuolutum, sinceritati forte germanae coaeuum, & nescio an aliquo consanguinitatis vinculo iunctum.

w) In *Disputationibus de noua medicina* PHIL. PARACELSI: quarum pars I. II. III. Basileae, anno 1572. pars IV. autem ibidem 1573. 4. in lucem prodierunt.

x) Vide eius *Libros II. de hermetica medicina, quorum primus agit de medicina, pariterque de omni sapientia veterum Aegyptiorum: Altero non tantum Paracelsi, sed etiam chemicorum, Paracelsi laudatorum aliorumque, potissimum quidem medicina omnis, simul vero & reliqua vniuersa doctrina examinatur.* Helmstad. 1669. 4.

y) In *Hermetis, Aegyptiorum & Chemicorum sapientia*, ab HERM. CONRINGII *Animaduersionibus vindicata,* Hafniae, 1674. 4. qua de re iam supra cap. I. sect. II. §. 19. ex instituto autem in *Compendio historiae medicae* p. 88. seqq. dictum.

§. IV.

Saeculo septimo decimo Nouatorum numerus haud latenter accreuit: quorum non nulli parum, alii vero plus approbationis, compluresue sectatores sunt nacti. Ad classem priorem, me quidem iudice, referendi ROBERTVS FLVDD, seu, A FLVCTIBVS, THOMAS CAMPANELLA, IOH. MARCVS MARCI, CONRADVS VICTOR SCHNEIDERVS, THOMAS WILLISIVS, IOH. MAYOWIVS & CORNELIVS BONTEKOE; ad posteriorem contra SANCTORIVS SANCTORIVS, IOH. BAPTISTA HELMONTIVS, OTTO TACHENIVS, FRANCISCVS DE LE BOE SYLVIVS, AVGVSTVS HAVPTMANNVS & HENRICVS REGIVS. De ROBERTI FLVDDII dogmatibus paradoxis, quorum vnum, idque

que praecipuis connumerandum, eſt eius Pathologia z) daemoniaca, conſuli poteſt ipſius *Philoſophia* a) *Moſaica*, *Hiſtoria vtriusque* b) *mundi praeternaturalis*, maxime autem *Medicina* c) eius *catholica*, ſeu, *Myſticum artis medicandi ſacrarium*, vbi ex ipſius calamo hauriri poſſunt ea, quae curioſus lector ſcire hac de re deſiderat. Quoniam autem huius viri ſcripta ſunt de numero rariorum ac pretioſiorum; contenti interim ii, quibus eorum copia non poteſt fieri, debebunt eſſe illis, quae BARCHVSENIVS, in *Diſſertationibus de medicinae origine & progreſſu*, a pagina 454. ad paginam 476. inde excerpſit. De THOM. CAMPANELLAE ſingularibus d) opinionibus, quas ex parte in *Libris quatuor de ſenſu* e) *rerum & magia*, ex inſtituto autem in *Libris ſeptem medicinalium* f) *iuxta propria principia*, expoſuit, idem BARCHVSENIVS in *Diſſertationibus* modo allegatis *de medic. origine & progreſſu*, pag. 432. ſeqq. ita egit, vt praecipua earum capita recenſeat. De nouo contra ſyſtemate, quod IOH. MARCVS MARCI A KRONLAND, in ſua *Idea idearum* g) *operatricium*, & in *Philoſophia veteri reſtituta* h), *partibus quinque comprehenſa*, condere voluit, IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS in *Hiſtoria litteraria germanorum*, tom. vlt. p. 613. ſeqq. ſuccinctam exhibuit delineationem.

z) Vide STOLLII *Hiſtoriam medicinae*, p. 531. Sciendum autem, iſthanc a vetuſtisſimis Aegyptiorum medicis primum in ſcenam productam, a ROBERTO autem FLVDDIO renouatam & ad ſupremum culmen euectam hypotheſin, plerisque doctorum plane ceu omni fundamento deſtitutam, immo tantum non ridiculam & abſonam a ratione, viſam fuiſſe. Et forſitan, praeter vnum IOHANNEM SOPHRONIVM KOZAKIVM, nemo facile inuentus fuerit, aut pauci oppido, qui fabulae huic Romanae pneumatopathologicae fidem habere voluerit.

a) Goudae apud Petrum Rammazenium 1638. f. & Amſtelodami ap. Ianſſonium 1640. f. c. fig. aen.

b) Francofurti 1621. f. typis Eraſmi Kempferi, c. fig. aen.

c) Conſtat haec duobus tomis, quorum prior anno 1629. poſterior autem 1631. vterque forma quam folii dicunt, Francofurti eſt im-

impressus. Indicem tractatuum illis comprehensorum exhibet LINDENIVS *renouat.* p. 941. seq.

d) Huc pertinet, exempli caussa, quod omnibus rebus sensum tribuerit; febrim non pro morbo, sed pro remedio potius aduersus morbos habuerit, &c.

e) Francofurti 1620. 4. & auctiores Lutet. Par. 1637. 4.

f) Lugduni, anno 1635. 4.

g) *Siue hypotyposi & detectione illius occultae virtutis, quae semina foecundat, & ex iisdem corpora organica producit.* Pragae, 1635. 4. Francofurti, 1676. 4.

h) Pragae, 1662. 4. & Francof. & Lipf. 1676. 4.

§. V.

CONRADVS VICTOR SCHNEIDERVS, non *Libro* tantum *de morbis* i) *capitis soporosis*, sed multo magis etiam *Libris quinque* k) *de catarrhis*, nec non *Libro de catarrhis specialissimo* l), in quibus plerorumque morborum fontes atque caussas e catarrhis deriuare, multasque praeterea alias nouaturientes opiniones defendere conatus est, strepitum quendam edidit, qui tamen parum successus habuit moxque iterum euanuit. THOMAE WILLISII peculiaria dogmata, quae in eius tractatibus, *De* m) *fermentatione, de febribus* n), *de anima* o) *brutorum, de pathologia* p) *cerebri*, hic illic dispersa inueniuntur ac disseminata, ab eodem BARCHVSENIO in *Dissertationibus de medicinae origine & progressu*, pag. 488. seqq. neruosa synopsi contracta exhibentur. IOH. MAYOWIVS, in *Tractatu de sale nitro & spiritu nitro-aëreo*, qui operibus eius medico-physicis Hagae comitum, anno 1681. 8. diuulgatis adiectus est, multa quidem innouare studuit, nouaque principia excogitauit; sed raros is nactus est sectatores. Nouaturientes autem & maximam sui partem q) paradoxae hypotheses, quas CORNEL. BONTEKOE *Fundamentis* r) *medicinae* a se editis inspersit, quasque etiam *Tractatui* compendioso s) *de humana vita, valetudine, morbo & morte* inseruit, in laudata paullo ante IAC. FRID. REIMMANNI *Historia litteraria germanorum*, tom. vlt. p. 636. seqq. paucis indicantur; solidissime autem eaedem

eaedem a FRIDERICO HOFMANNO, in *Exercitatione acroamatica de acidi & viſcidi, pro ſtabiliendis omnium morborum cauſſis, & alcali fluidi, pro iisdem debellandis, inſufficientia.* Francofurti, 1689. 8. fuerunt refutatae.

i) Wittebergae, 1669. 4.
k) *Liber primus de catarrhis, quo agitur de ſpeciebus catarrhorum, & de oſſe cuneiformi, per quod catarrhi decurrere finguntur.* Witteb. 1660. 4. *Liber ſecundus de catarrhis, quo Galenici catarrhorum meatus perſpicue falſi conuincuntur.* Ibid. eod. anno, ead. forma. *Liber de catarrhis tertius, quo noui catarrhorum meatus demonſtrantur.* Wittebergae, 1661. 4. *Liber de catarrhis quartus, quo generalis catarrhorum curatio ad nouitia dogmata & inuenta paratur.* Ibid. eod. ead. *Liber quintus de ſpeciebus catarrhorum & catarrhoſorum diaeta.* Witteb. 1662. 4.
l) Wittebergae, 1674. 4.
m) Londini, 1662. 8. Lugduni Batau. 1680. 8. de reliquis editionibus vid. LINDEN. *renou.* p. 1025.
n) Hocce ſchediaſma antecedenti de fermentatione ſemper fuit adnexum.
o) Londini, 1672. 4. Amſtelod. 1674. 12.
p) Oxonii, 1667. 4. Amſtelodam. 1668. 12.
q) Primaria eius hypotheſis videtur omnino eſſe haec: quod cauſſas morborum in genere ex acido & viſcido, vel vno verbo, e ſcorbuto, quem vocant, deriuandas voluit & adſeruit.
r) Amſtelodam. 1688. 8. Eſt vero iſthaec tantum translatio quaedam latina, qualis & germanica altera, quae Bremae 1691. 8. prodiit: ipſe enim BONTEKOEVS libros ſuos lingua ſibi patria, bataua nempe, conſignauit.
s) Germanice verſus editus eſt hic liber Budiſſae, anno 1692. 8. titulo: *Abhandelung vom menſchlichen Leben, Geſundheit, Kranckheit vnd Tode.*

§. VI.

Num SANCTORIVS SANCTORIVS NICOLAI t) CVSANI *Dialogo de experimentis ſtaticis*, ad conſtruendum nouitium ſuum u) ſyſtema, ſit excitatus, indeque anſam w) eiusdem condendi arripuerit? id quidem eſt x) de quo dubitatur adhuc. Hoc vero dubio caret, inuentam ab ipſo *Artem de medicina ſtatica, aphoriſmorum ſectionibus ſeptem* y) *comprehenſam*, quae Venetiis, anno 1614. 12. luci expoſita publicae prodiit, crebrius z) recuſam, in exteras quoque lin-

guas translatam a), autori multum existimationis b) ac gloriae peperisse, tractatumque hunc a GEORGIO c) BAGLIVIO, & HERM. d) BOERHAAVIO, optimis ac vtilissimis libris medicis fuisse adnumeratum. IOHANNEM BAPT. VAN HELMONT, qui, aeque e) ac PARACELSVS, per contemtum veterum famam aucupari studuit, in operibus a se relictis, a filio autem eius Amstelodami f) iunctim editis, saepius g) deinceps recusis, optima vero & plenissima conditione, cura MICHAEL. BERNH. VALENTINI, Francofurti, anno 1707. forma quadripartita prelo protrusis, a CHRISTIANO denique KNORRIO A ROSENROTH in germanicum transfusis sermonem, fundamenta nouitiae h) cuiusdam sectae iecisse, plurimos etiam nactum fuisse adseclas constat. Fuit autem hic in destruendo, quam in exstruendo i) felicior: vnde & factum est, vt paradoxa eius dogmata, quae maximam partem ex ignorantia scientiae anatomicae originem trahebant suam, iam dudum euiluerint k) pristinumque splendorem amiserint.

t) De vita & scriptis docti huius purpurati patris euolui poterit IOH. ALB. FABRICII *Bibliotheca mediae & infimae latinitatis*, lib. III, pag. 1238. seqq.

u) Huius systematis monumentum primarium in eo potissimum consistit, quod autor sanitatis atque morbi hominum fontem in statu naturali & praeternaturali transspirationis insensibilis inuenisse sibi visus est, primusque ostendit, quae regulae sint obseruandae iis, qui tuto hac in re procedere cupiunt.

w) Ea videtur esse coniectura GEOR. PASCHII, in *Inuentis nouantiquis* capite VI. pagina 442. sequ.

x) Ipse certe SANCTORIVS de medicina sua statica, quam triginta annorum experientia factisque experimentis emeditatus sit, his verbis, in ipso praefationis limine, testatur: Nouum, inquiens, atque inauditum est in medicina, posse quenquam ad exactam perspirationis insensibilis ponderationem peruenire: nec quisquam philosophorum, nec medicorum vnquam hanc medicae facultatis particulam aggredi ausus est. Ego vero primus periculum feci, & artem ratione & triginta annorum experientia ad perfectionem deduxi.

y) Istarum sectionum *Prima agit de ponderatione insensibilis perspirationis; secunda de aëre & aquis; tertia de cibo & potu; quarta de*

de somno & vigilia; quinta de exercitio & quiete; sexta de venere; septima denique de animi affectibus.

z) Vid. LINDEN. *renou.* p. 959. seq. vbi octo recensentur editiones, quibus addere cogor tres Batauo - Lugdunenses, annorum 1703. 1713. & 1727. 12. quae singulae sociatos sibi habent commentarios MARTINI LISTERI.

a) Ita ex gr. IOH. TIMMIVS Versionem germanicam, Bremae, 1736. 8. gallicam BRETONIVS, (*Mr.* LE BRETON) Lutet. Paris. 1735. 8. luci exposuere publicae. De translatione anglicana, quae Londini, 1678. 12. & 1712. 8. cum annotationibus IOHANNIS QVINCY prodiit, conferatur DOVGLASII *Bibliograph. anatomic.* p. 205.

b) HIPPOLYTI enim OBICII *Statica-mastix, siue, staticae medicinae demolitio;* quae plerisque editionibus operis *Sanctoriani* adiecta comparet, parum famae eius detrimenti attulit.

c) Prax. medic. lib. I. cap. VII. §. 7. Doctissimus SANCTORIVS aureo suo, quamuis exiguo, de medicina statica libello, communi hominum vtilitati magis prospexit, quam mille autores mille voluminibus. Idem, in canonibus de medicina solidorum ad rectum statices vsum, maiori etiam encomio SANCTORII hocce inuentum ornat: Statice, inquiens, SANCTORII, & circulatio sanguinis *Harueiana* sunt duo poli, quibus vniuersa regitur verae medicinae moles, hisce inuentis restituta & confirmata: reliqua potius illam exornant, quam augent. Quid? quod in adnexo sub finem citatorum canonum epilogo legum medicarum, legitur haec sententia quasi dictatoria a BAGLIVIO pronunciata: Qui secus faxint, nec in theorice, *Sanctoriani* sint & *Harueiani*, ad leges mechanicas solidi & liquidi; in practice *Hippocratici* & *Duretiani*: blaterones habentor, doctorum coetibus excluduntor, erroribusque suis perpetuo torquentor! Satis quidem pro imperio!

d) Vid. Eius methodum discendi medicinam. p. 406.

e) In eo etiam similem PARACELSO sese praestitit, quod vniuersam medicinam multis absurdis nihilque plane significantibus terminis inundauit & obruit. Vnde IOH. GOTHOFR. BERGERVS in *Physiolog. medic.* p. 286. seq. optimo iure de ipso scripsit: inprimis autem eo errore implicita fuerunt lepida PARACELSI, SEVERINI & HELMONTII ingenia, quibus ista philosophandi ratio id desiderare videbatur, vt res nihili vocibus, nihil sonantibus, impedirent, quo imperito vulgo illuderent & singularis cuiusdam doctrinae opinionem sibi conciliarent. *Quo quidem id effecerunt, vt magno labore nihil egisse videantur.*

f) 1648. & 1652. 4. cum titulo: *Ortus medicinae, id est, initia physicae inaudita. Progressus medicinae nouus, in morborum vltionem, ad vitam longam, autore* IOH. BAPT. VON HELMONT; *edente autoris filio,* FRANCISCO MERCVRIO VAN HELMONT.

g) Venet. 1651. fol. Lugdun. Batau. 1667. fol. & Francofurt. 1682. 4. quarum editionum quaeque sequens antecedente emendatior iactatur. Vid. LINDEN, *renou.* p. 528. seqq. quo loco etiam consignatio, seu, elenchus omnium in editione Francofurtana obuiorum tractatuum habetur.

h) Hypotheses eius a IOH. CONR. BARCHVSENIO in *Dissertationibus de medicinae origine & progressu*, pag. 412. seqq. prolixe sunt recensitae, a GVNTHERO autem CHRISTOPH. SCHELHAMMERO in *Additament. ad Conringii introductionem in art. medic.* p. 70. seqq. sine omni partium studio examinatae.

i) Vide BARTHOL. DE MOOR *Orat. de hypothesibus medic.* p. 12. vbi sequentia leguntur: HELMONTIVS acriter inuectus est in Humoristas & catarrhi deliramenta. Verum non sufficit alios erroris conuicisse, nisi diligenter caueas, ne merito eodem crimine condemneris. Non sufficit errores detexisse, nisi eos corrigas. Non sufficit, noua excogitare nomina, ad quorum explicationem Delio natatore opus est: oportet veras rerum caussas dilucide ob oculos ponere. Quid sibi vult Archeus Faber? Quid sibi vult Gas aquae? Quid sibi Blas Meteoron? Quid Duelech? Quid morbi archeales? Quid meteorum animalium? *Nugari illud est in re seria.*

k) Iam enim superiori saeculo IOHANNES KVNCKELIVS in *Laboratorio chymico* part. III. cap. 37. iconem animi HELMONTII egregie delineauit, scribens de illo, fuisse eum ambitiosum moribus, hypocritam in conspectu hominum, promissis quidem diuitem, at rebus egenum.

§. VII.

Noultia inter dogmata, quae OTTO TACHENIVS in *Claue* l) *antiquissimae Hippocraticae medicinae*, praesertim autem in *Tractatu de morborum* m) *principe*, in scenam prouocauit, est etiam pathologia n), quae dicitur, salsa, cuius vestigia sibi HIPPOCRATEM o) monstrasse retur. Idque citra dubium dogmatum eius primariorum vnum *). Etsi autem hypothesis isthaec eruditorum p) non nullis arriserit, iisque non parum probata fuerit; IOHANNES tamen q) BOHNIVS, aeque ac GEORG. ERNEST. STAHLIVS r) lubricitatem & infirmitatem systematis istius nimis manifeste detexerunt. Commentum nouum FRANCISCI DE LE BOE SYLVII, qui commentitio suo triumuiratu humorum, (proprii cerebri pallade,) & oriunda hinc efferuescentia naturali & praeternaturali,

rali, ſtatum hominis valentem & morbidum explicare tentauit, in eius operibus s) medicis iunctim editis prolixius, longe autem conciſius in BARCHVSENII *Diſſertationibus de medicinae origine & progreſſu* p. 482. ſeqq. legi poteſt. Vbi equidem id tantum monendum duxi, hos nouaturientis ingenii abortus initio quidem, id quod fieri ſueuit, multum adprobationis inueniſſe t), inſecuto autem tempore, quum LVDOVICVS u) LE VASSEVR, & IOH. NICOL. w) PECHLINVS demonſtraſſent, quam parum ſolidi his ineſſet, maximam ſui partem obliuione ſenſim fuiſſe conſepultos.

l) Francofurti anno 1669. & 1673. 12.

m) *In quo plerorumque grauium ac ſonticorum praeter naturam affectuum dilucida enodatio & hermetica, id eſt, vera & ſolida eorundem curatio proponitur.* Osnabrugi 1678. 12. vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 330. Erroneum ergo eſt, quando in LINDEN. *renouat.* p. 862. annus ponitur 1679. ſimulque refertur, tractatum iſthunc TACHENII *Hippocrati chymico*, Brunouici 1668. 12. typis exſcripto, eſſe annexum.

n) Cuius ſubſidio fontem morborum corporis humani in Acido eiusque cum Alcali fermentatione ſe inueniſſe credidit.

o) *De priſca medicina*, vbi ſequentia leguntur verba: In homine namque ineſt & amarum & ſalſum; & dulce & acidum; & acerbum & inſipidum, aliaque ſexcenta, quae pro copia & viribus varias habent facultates. Accidit autem HIPPOCRATI, quoad hunc & alia plura loca ſcriptorum eius, idem quod MOSI in ſua creationis hiſtoria, ſub cuius inuolucro ac veluti tegmine & latibulo etiam CARTESIVS quidam *Moſaizans* aſylum ſibi ſuum inueniſſe videtur.

*) Horum ſingulorum compendioſum conſpectum exhibet BARCHVSENIVS in *Diſſertationibus de medicinae origine & progr.* pag. 477. ſeqq.

p) Horum de numero eſt DAVID VAN DER BECKE; inprimis vero BERNHARDVS SWALWIVS, in *Tractatu* ſuo *de alcali & acido*, qui Amſtelodami 1670. 12. vt & Francofurti (non autem Ienae, quod erronee dicit LINDENIVS *renou.* p. 131.) 1677. 12. fuit impreſſus; & recentisſimis temporibus, IOSEPH. POMPEIVS SACCO.

q) In *Epiſtola* ad IOELEM LANGELOTTVM, de *alcali & acidi inſufficientia, pro principiorum ſeu elementorum corporum naturalium munere gerendo*; quae Lipſiae 1675. 8. in lucem prodiit, deinceps autem *Eiusdem circulo anatomico-phyſiologico* adiuncta fuit.

r) In *Programmate de pathologia falsa.* Vide GOETZII *recenf. scriptorum Stahlianorum*, & ad eius mentem differentium. p. 36. feq.

s) Amftelodami 1679. 4. & Traiecti ad Rhenum 1695. 4. quarum editionum pofterior eft auctior. Peculiares autem fibi hypothefes fuas, maximam partem in decade difputationum medicarum, quae fingulae Ienae anno 1674. 12. & quidem plenisfime, prolo exierunt, venditare ftuduit.

t) Prae reliquis REGNERVS DE GRAAF, in *Tractatu* fuo, *anatomico-medico*, *de fucci pancreatici natura & vfu*, Lugduni batauor. anno 1671. 8 feparatim impreffo, opiniones Syluianas latius diffeminare eft conatus.

u) In *Epiftola de Syluiano humore triumuirali*, ad PETRVM AVGVST. ROMPFIVM, Lugdun. 1663. 12. & in *Syluio refutato.* Lutet. Parif. 1673. 12.

w) Scripfit ifte, & in SYLVIVM, & in eius hyperafpiften, GRAAFIVM, vehementem Satyram, in qua inuenta horum duumuirorum medicorum chemica, anatomica & pathologica, mordacisfimo fcribendi genere perftrinxit. Ornata ea eft fequenti elogio: IANI LEONICENI *Veronenfis metamorphofis Aefculapii & Apollinis Pancreatici.* Gratianopoli 1672. 8. & auctior Lugd. bat. 1673. 8.

§. VIII.

AVGVSTVS HAVPTMANNVS promiffo x) quidem ab ipfo libro, *De viua mortis imagine*, vltimam non imponere potuit limam; interim fingulares tamen fuas opiniones ac meditationes de pathologia animata z), ex qua cauffam omnium morborum in putredine animata, feu, in vermiculis, inueniffe fibi vifus eft; immo ipfam quoque mortem pro fubftantia aliqua viua venditare voluit, in duabus epiftolis, quarum vna b) ad PETRVM IOHANNEM FABRVM, altera vero ad ATHANASIVM c) KIRCHERVM data fuit, vtraque autem autoris germanico tractatui, quem de *Thermis Wolckenfteinianis* d) edidit, inferta deprehenditur e), adeo ad viuum adeoque floride expresfit; vt non ATHANASIVS f) folum KIRCHERVS, fed multi g) etiam alii eruditione pollentes viri, pathologiam ifthanc animatam, ceu ingeniofum, obferuationumque microfcopicarum ope magis etiam demonftrandum, inuentum, probauerint; PAVLLVS contra h) AMMANNVS dentata

tata admodum critica illud ipsum diiudicarit. De HENRICO REGIO quod moneam amplius non habeo, praeter hoc vnum, fuisse eum primum k), qui in suis *Fundamentis medicinae* i), ex principiis mechanicis artem medicam explicauerit, adeoque fundamenta ita dictae sectae dogmatico-mechanicae posuerit, cuius placitis ad hunc vsque diem multi medici adsentiuntur, etsi inter se ipsos variis diuisi sint sententiis l). ECCARDI e contrario LEICHNERI *Schediasmata de principiis medicis, siue, de apodictica scholarum medicarum emendatione*, Erfordiae anno 1664. 12. in lucem emissa paucos adstipulatores inuenerunt.

x) Vide eius epistolas ad FABRVM & KIRCHERVM, vt &, quem vocat, thesaurum thermarum Wolckensteinianarum, librum germanico sermone scriptum, pag. 189. (*Wolckensteinischer Bad- vnd Wasser-Schaz.*)

z) HENR. LOHALMVM MEYERVM in *Bibliographia physico-medica*, p. 161. seq. Pathologiam daemoniacam cum animata confudisse, & errore haud paruo retulisse, AVG. HAVPTMANNVM principiis pathologicis *Fluddianis* fuisse addictum, id iam in *Historia medicinae litteraria Stolliana*, pag. 534. obseruatum.

a) Vid. eius *Epistol:* ad P. I. FABRVM, in qua sequentia leguntur: Exclusa itaque per corruptionem omnium hominum & animalium mors naturalis, omnium minutissima & ferme inuisibilis, vt in tractatu ipso patebit, est bestiola, atque infensissimus vermiculus &c. Prolixius quoque disserit de *reali mortis entitate*, quam ipse ita adpellat in edito germanice *Thermarum Wolckensteinianarum thesauro*, a pag. 185. ad p. 189. vbi, cum e ratione tum e scriptura sacra adlatis ratiociniis, probare eandem adnititur; quo loco hanc simul souet opinionem, eo modo maiore cum reuerentia ac religione de Christo Saluatore adseri posse, eum non nudorum accidentium caussa mortuum fuisse, sed *entia realia*, vt loquitur autor, superata a se vicisse, & de illis triumphum egisse publica pompa eadem ducens captiua, clamando iugiter: *Vbi nunc tuus, o mors, stimulus?*

b) AVG. HAVPTMANNI *Epistola praeliminaris tractatui de viua mortis imagine mox edendo sacrata, & Dn.* D. PETRO IOHANNI FABRO *officiosa mente consecrata.* Francofurti 1650. 8.

c) Haec epistola separatim non fuit impressa.

d) Lipsiae anno 1657. 8.

e) Vbi prior epistola a pag. 159. ad p. 181. ad P. I. FABRVM; posterior autem ad ATHAN. KIRCHERVM inde a pag. 190. vsque ad pag. 205. inserta legitur.

f) Pa-

f) Patescit id ex epistola responsoria ATHAN. KIRCHERI, quae itidem in thesauro eius thermarum Wolckensteinianarum p. 247. seqq. exhibetur legenda. In ista celeberrimus hic Ioiolitarum socius inter alia scribit ita; Ego tuae de viua mortis imagine sententiae non subscribo tantum, sed, ceu veram & genuinam, pro aris & focis, vt dici solet, defendendam suscipio.

g) Vid. FVRSTENAVII *Desiderata medica*, pag. 143. „Serio magis egisse illos arbitramur, qui cum A. HAVPTMANNO, A. KIRCHERO, C. LANGIO, A. LEEVWENHOEKIO, A. Q. RIVINO, C. F. PAVLLINI, N. ANDRY aliisque pathologiam fere totam voluere esse animatam; vel qui hodienum eandem fouent sententiam, videlicet, & pestem, & luem veneream, & vlcera, & variolas, & morbos fere omnes ab animata putredine produci.„ Mirari ergo subit, quo pacto fieri potuerit, vt versatissimus ille in re litteraria IAC. FRID. REIMMANNVS in *Histor. litterar. germanor.* tam famosum omitteret nouatorem; quanquam & CONRINGIVS, aeque ac SCHELHAMMERVS, in *Introduct. in artem medic.* nec non BARCHVSENIVS in *Differt. de medic. origine & progressu*, ne verbulo quidem eiusdem meminerint.

h) In Paraenesi ad discentes lib. II. part. II. cap. 14. vbi sequentia scribit: Sicut autem haec pathologia animata, mediante microscopio, reuera demonstrabilis est, & multorum morborum, nos adhuc latentium, caussas manifestare potest, praesertim vero acutissimorum dolorum, adeoque hinc in praxi medica magni facienda: sic ex aduerso omnes morbos a vermibus deriuare, vel ex hoc capite mortem ipsam vermem appellare, & potissimum scripturae locis abuti: Tod! wo ist dein Stachel? *Verminosi profecto iudicii est indicium.*

i) Vltraiecti 1647. 1657. 1664. & 1668. 4. harum editionum optima est quae postrema.

k) Vide REIMMANNI *Histor. litterar. germanorum*, tom. vlt. pag. 593. seqq. vbi de docto hoc viro ex instituto egit, probans simul, eum primum ex medicis fuisse CARTESII discipulum, primum martyrem, primum transfugam, immo, si non nullis fides habenda, primum quoque plagiarium.

l) Vid. BARCHVSENIVS *Differt. de medicinae origine & progressu*, vbi differt. XXIV. de medicina mechanicorum prolixe egit. Impraesentiarum sufficiat monuisse, systemata multorum mechanicorum cum dogmatibus methodicorum veterum aptissime conciliari, saltim conferri, posse.

§. IX.

Omnibus tamen hactenus memoratis nouatoribus, qui saeculo decimo septimo tantum famae ad- qui-

quisiuerunt, palmam haud ambigue praeripuisse creditur GVILIELMVS HARVEVS, dum in *Exercitatione* sua de *motu cordis & sanguinis in animalibus*, quae Francofurti anno 1628. 4. lucem salutauit m), tanti res momenti ab ipso primo descripta n) fuit, quae insecuto tempore penitus reformandae arti medicae vniuersae exoptatissimam & auspicatissimam dedit occasionem. Etsi enim propositae ibi doctrinae, de circulatione sanguinis, initio vehementissime contradiceretur o), adeo, vt acre bellum litterarium p) in eandem cooriretur; ipse tamen Harueus hisce concertationibus nunquam se immiscuit, sed veluti spectator pugnae, cui ansam dederat, ab aliis q) ita defensus fuit, vt, praeter FRIDER. r) SCHILLINGIVM, HOMOBONVM s) PISONEM, IOH. LVDOVICVM t) HANNEMANNVM & POLYCARPVM u) LYSERVM, recentioribus temporibus nemo, quantum equidem memini, vlterius in arenam prodierit, qui dictam modo doctrinam publicis scriptis vel impugnandam vel sollicitandam saltim sibi sumserit.

m) De tractatus huius sequioribus crebroque repetitis editionibus consuli possunt, vel LINDENIVS *renouatus* p. 378. seq. vel IAC. DOVGLASII *Bibliographia anatomica* p. 203. Harum tamen optima forsitan non sine iure habeatur ea, quae Roterodami anno 1661. 12. & 1671. 12. prodiit, quae simul & plenissima. Inserta quoque haec ipsa exercitatio fuit operibus ADRIANI SPIGELII, Amstelodami 1645. fol. diuulgatis, vt & CLERICI atque MANGETI *Bibliothecae anatomicae*; idque ob sui praestantiam.

n) Non affirmo, eum primum inuenisse hanc doctrinam, sed tantum, primum eum fuisse, qui peculiari scripto ex instituto hac de re egerit. Neque enim me fugit, dari multos, qui ferre nequeunt, si quis dicat, HARVEVM pro autore circulationis sanguinis habendum esse: quippe quem honorem diuersis aliis eruditis, quorum indicem GEORG. HENR. BEHRIVS in *Physiologia medica* p. 294. seqq. consignauit, potius delatum maluerunt; idque partim cum, partim sine aliqua veritatis specie. Ex omnibus interim allegatis ibi autoribus, nemo mihi quidem clarius mentem suam hac super re explicuisse videtur, quam ANDREAS CAESALPINVS *De Plantis* lib. I. cap. II. In animalibus, inquiens, videmus alimentum *per venas duci ad cor*, tanquam ad officinam caloris insiti, &, adepta inibi vltima perfectione, *per arterias in vniuersum corpus distribui*, agente spiritu, qui ex eodem alimento in corde gignitur.

o) Ex.

o) Ex. gr. a IAC. PRIMEROSIO, AEMIL. PARISANO, ECCARD. LEICHNERO, CASP. HOFFMANNO, inprimis autem a VOPISCO FORTVNATO PLEMPIO; quorum tamen vltimus postea & ipse defensorem HARVEI se praestitit.

p) Vide STOLLII *Historiam medicinae litterariam*, p. 450. seqq.

q) Exempli caussa, a GEORG. ENTIO, IOH. WALAEO, HENR. REGIO, THOMA BARTHOLINO, tandem & ab ipso V. F. PLEMPIO.

r) In *Differt. qua celebris quaestionis anatomicae de circulatione sanguinis, negatiuam proponit sententiam.* Basil. 1678. 4.

s) In *vltione antiquitatis aduersus circulatores*, cuius scripti refutatio in MANGETI *Theatro anatomico* tom. II. pag. 223. seqq. legi potest.

t) In *Differt. de motu cordis*, Kiliae Holsat. 1706. 4.

u) Vid. *Icon. omnis generis doctrinae*, p. 179. vbi haec leguntur: Alio tempore euincam, verum sanguinis circulum a veteribus non fuisse ignoratum, eumque, quem hodie fingunt, esse mere imaginarium. Verum ista, aeque ac alia, promissa huius paradoxophili, vna cum ipso sunt sepulta dudum.

§. X.

E praesenti, quod iam currit, saeculo decimo octauo, GEORG. ERNEST. STAHLIVS, IOHANNES WOODWARDVS, PHILIPP. HECQVETVS, & ALEXANDER LE FRANÇOIS, prae reliquis, in hac classe quendam merebuntur locum. Horum primus, qui, tanquam fundator nouae cuiusdam, ab ipso vocatae, sectae, satis clarum adsecutus est nomen, in *Theoria* sua *medica* w) *vera*, nec non in diuersis aliis scriptis, systematis sui strauit fundamenta, cuius nexum IAC. FRIDR. REIMMANNVS in *Historia litteraria germanorum* tom. vlt. pag. 642. seqq. admodum concise, IOHANNES vero CONRADVS BARCHVSENIVS in *Differt. de medicinae origine & progressu* pag. 571. seqq. paullo latius exhibuit. Quemadmodum autem iste & sanum & aegrotum hominis statum praecipue ex eiusdem anima deriuare, non exclusis tamen omnino caussis materialibus, studuit: ita factum est inde, vt haec & reliquae eius hypotheses haud vulgarem inuenirent applausum x); etiamsi

ſi nec contradictionibus omnino caruerint *). IOHANNES WOODWARDVS, qui edita *Naturali* ſua *hiſtoria* y) *telluris*, iam ante largam inter phyſicos litigandi ſementem fecerat, haud minorem deinceps in turba medicorum excitauit ſtrepitum, dum, edito libro ſermone Anglicano ſcripto, & titulum gerente: *State of Phyſick, and of the* z) *Diſcaſes*, nouum ſyſtema medicum condere, &, prouti ſpeculationibus mentis ſuae aptum credebat, originem omnium morborum in ſalibus bilioſis, e ſtomacho per totum corpus diſtributis, inueſtigare & ceu inuentum ibi venditare aliis voluit: cuius nouitia dogmata a non nullus quidem probata, ab aliis autem, praeſertim a IOHANNE a) QVINCY refutata fuerunt.

w) GEORG. ERN. STAHLII *Theoria medica vera, phyſiologiam & pathologiam, tanquam doctrinae medicae partes vere contemplatiuas, e naturae & artis veris fundamentis, intaminata ratione & inconcuſſa experientia ſiſtens.* Halae 1708. 4.

x) Praecipuis eius adſeclis adnumerandi erunt MICHAEL ALBERTI, IOH. SIMON BAVERMÜLLER, IOH. SAMVEL CARL, FRIDRIC. CHRIST. RICHTERVS, CHRISTIANVS WEISBACHIVS, IOH. DAN. GOHLIVS, IOH. IVNCKERVS, ANDR. OTTOM. GOELICKIVS, IOH. STORCHIVS, ſeu, HVLDERICVS PELARGVS. De reliquis IOH. CHRISTOPH. GOEZIVS, de G. E. STAHLII *aliorumque ad eius mentem differentium ſcriptis*, quod ſchediaſma Noribergae 1726. 4. impreſſum eſt, poteſt euolui.

*) Ita recentisſime LAVRENTIVS HEISTERVS in *Diſſertatione de medicinae mechanicae praeſtantia*, quae praemiſſa eſt *Eiusdem compendio medicinae practicae*, Amſtelodami 1743. 8. edito, omnia *Stahlianorum* fundamenta vno quaſi ictu conquaſſare eſt conatus.

y) Prodibat iſthaec initio Londini anno 1695. 8. idque ſermone anglicano; poſtea vero in latinam transfuſa linguam longe auctior exibat ibid. anno 1714. 8. Vide Noua litteraria anni 1715. pag. 28. ſeq.

z) Londini 1718. 8. Vid. Noua litteraria anni 1719. pag. 765. ſeqq. Translatus vero hic etiam liber fuit in latinam linguam, praeterensque ſequentem inſcriptionem: IOHANNIS WOODWARDI *Medicinae & morborum ſtatus cum aetiologia incrementi eorum in his temporibus &c. Ex anglico idiomate in latin. transtulit.* IOH.

IAC.

IAC. SCHEVCHZER. Tigur. 8. emissus in lucem publicam. Vid. *Bibliothec. Riuin.* p. 442.

a) *An examination of* D. WOODWARD *State of Physick and Discases. By* IOHN QVINCY. M. D. Lond. 1719. 8.

§. XI.

Duo illi medici Gallici, PHILIPPVS HECQVETVS, & ALEXANDER LE FRANÇOIS, non tam e Nouatorum, quam e Reformatorum artis medicae sunt numero. *Prioris* exstat *liber de purganda medicina a curarum sordibus*, qui, sine adiecto autoris nomine, Lutetiae Paris. 1714. 12. exiit, praemissa praefatione prolixiore, de tolerandis medicinae nouis libris, eorumque vtilitate aut damno. Eum in genere scopum sibi autor hic habet praefixum, vt exhortetur medicos, vt vlteriora sua conamina solidorum potius, quam fluidorum imposterum systemati emeditando impendere velint. *Posteriorem* vero quantum attinet, nempe ALEX. LE FRANÇOIS, edidit is gallica lingua, non solum cogitationes criticas de medicina [*Reflexions critiques sur la medecine*] b) sed & prima lineamenta medicinae reformandae [*Proiect de* c) *reformation de la medecine*] qui vterque d) liber tanta perspicuitate, tamque decoro ordine conscriptus, tam consentaneis rationi cogitationibus, admonitionibus & consiliis refertus est, paucis, tam concinne elucubratus, vt vtriusque lectio attenta omnibus medicinae studiosis satis commendari nequeat. Dolendum hoc solum, quod index rerum huic vtrique adeo vtili tractatui desit.

b) Constant hae duobus tomis, quorum prior anno 1714. posterior autem 1715. Lutetiae Parisiorum in 8. prodiit.

c) A Paris 1716. 8.

d) Contenta vtriusque inueniet lector in STOLLII *Historia medicinae litteraria* p. 320. seqq. vbi omnium capitum lemmata sunt recensita. Referunt etiam noua litteraria anni 1721. p. 63. Altorfii, nouam translationem germanicam huius opusculi vtriusque qui curaret, fuisse non neminem inuentum; at non innotuit mihi, an ad finem eadem sit perducta & edita.

CAP.

CAP. III. SECT. II.

DE CONCILIATORIBVS MEDICIS.

CONTENTA:

De Petro Aponense, §. *1.* *De conciliatoribus medicis saeculi XVI.* §. *2. 3.* *De conciliatoribus saeculi XVII.* §. *4. 5.* *De conciliatoribus saeculi XVIII.* §. *6.*

§. I.

Syncretismus, quemadmodum theologorum nunquam probatus est calculo, ita nec medicorum filiis eo vsque placuit, vt praerogatiua aliqua gauderet penes eosdem: nec credo equidem CHRISTIANVM GODOFREDVM STENZELIVM, qui nuper admodum peculiari, in academia Leucoreensi habita, dissertatione, eius & vtilitatem & necessitatem probare annisus fuit, multis id quod vult persuasurum esse. Vtrum, tempora remotiora quantum attinet, e veteribus AGATHINVS, an vero, iuxta alios, LEONIDES a) primus fuerit, qui eiusmodi conciliandi sectas medicorum consiliis animum intenderit? incertum habetur. Certius est, inde a saeculo quarto decimo, plures de vniendis eorum, qui artem salutarem profitentur, factionibus sollicitos fuisse. Horum non nulli inter graecos & arabas, alii inter galenicos & chemicos, amicum foedus componere studuere; plerisque tamen in vanum laborantibus, &, quod tritum dicit prouerbium, cum opera oleum perdentibus. Primus fortasse isque simul antiquissimus syncretistarum medicorum, quorum adhuc supersunt scripta irenica, fuerit PETRVS DE ABANO, seu, PETRVS APONENSIS, cuius *Conciliator ducentarum & decem differentiarum philosophorum, ac praecipue medicorum;* qui liber magni olim factus, multoties etiam b) typis exscriptus, hodie vero perquam rarus c) & tantum non plane ignotus factus est, pri-

mum fundamentum ad componendas, quae isthac aetate gliscebant, lites, iacturus fuit: circa quem tamen, quae moneret, varia habuisse sibi visus est SYMPHORIANVS CHAMPERIVS in *Cribrationibus* suis, non nullis conciliatoris editionibus adiectis; ANTONIVS contra LVDOVICVS, & IOH. MANARDVS, errores & lapsus eius sigillatim notare voluerunt. Potissima denique monumenta ex hoc opere GREGORIVS HORSTIVS excerpsit, quae sequenti inscriptione insignita: GREGORII HORSTII *Conciliatoris enucleati*, seu, *differentiarum philosophicarum & medicarum* PETRI APONENSIS *in compendium redactarum pars I. & II.* Giessae anno 1614. d) 4. & 1621. 8. prelo exierunt; verum hoc ipsum quoque compendium rarior est auis.

a) Vide CLERICI *Historiam medicin.* p. 502.

b) Vide FABRICII *Bibliothecam mediae & infimae latinitatis* lib. XV. p. 716. vbi haec leguntur: Prodiit Venet. 1471. 1483. f. Papiae 1490. f. Basileae 1535. f. & cum eius libello de venenis & eorum remediis, Venet. 1496. f. 1504. 1520. 1548. 1555. 1565. 1590. Omisisse autem FABRICIVM Venetarum conciliatoris editionum priorum vnam, nempe eam, quae a. 1476. f. diuulgata fuit, apparet ex *Bibliothec. Riuinian.* p. 206.

c) Vid. CONRINGII *Introduct. in art. medic.* P. II. p. 114. vbi in IOHANNIS ANTONIDAE LINDENII *manuductione ad medicinam*, sequentia leguntur verba: APONI Conciliator commendabilis est, & vtilis, prae reliquis, sed parum obuius. HORSTIVS dedit enucleatum, quo vtere, donec recudatur. Qui faxit, tergat primum & purum illi latinitatis nitorem conciliet. Votum autem *Lindenianum* itthoc qui impleret, ad hunc vsque diem, inuentus est nemo.

d) In LINDEN. *renouat.* p. 361. vt & apud FABRICIVM c. l. annus quidem notatur 1615. ego vero plus credere volui *Bibliothecae Riuinian.* p. 207.

§. II.

Ab aetate inde PETRI DE ABANO longum pene temporis spatium fuit praeterlapsum, quo nullus medicorum simili labore vlterius distringi voluit. Decimo autem sexto saeculo reuoluebatur veluti haec periodus, exsistentibus diuersis, qui coeptum a

PE-

PETRO APONENSI conamen ac inſtitutum, pro virili quisque ſua, promouere atque continuare adgrediebantur. Hoc loco, prae reliquis, editis a NICOL. MONARDE, GILBERTO LIMBVRGIO, ſeu, PHILARETO, IOHANNE BACCANELLO, IACOBO PELETARIO, NICOLAO RORARIO, IOHANNE COSTAEO, & denique a IOH. ALB. WIMPINAEO, monumentis locus quidam eſt concedendus. Horum primus litem vehementem a PETRO BRISSOTO tum temporis e) excitatam, in libro, quem inſcribebat: *Concordia* f) *inter graecos & arabes de ſecanda vena in pleuritide;* quantum in ſe erat componere, attamen in vanum, eſt conatus. GILBERTVS contra LIMBVRGIVS, ſeu, PHILARETVS, adeo arctis cancellis includi nolebat, ſed in *Conciliatione* g) AVICENNAE *cum* HIPPOCRATE & GALENO, omnem mouebat lapidem, quo multis etiam aliis & disſidiis & controuerſiis vna opera mederetur. Et ſane, quum hoc veluti fundamenti loco poſuiſſet, vt hiſtoriam morborum, cum a graecis, tum ab arabibus medicis conſignatam, ſollicita ſemper & attenta mente & conſideraret & accurate inter ſe compararet, factum inde, vt in non nullis feliciter h) res illi cederet.

e) Quum enim Arabes, horumque veſtigiis inſiſtentes latino - barbari, aduerſus febres inflammatorias, potisſimum vero aduerſus pleuritidem, non lateris affecti, quod graecis vſitatum fuerat, ſed oppoſiti potius lateris, venam incidendam ſuaderent; PETRVS contra BRISSOTVS ſub initium ſaeculi decimi ſexti, graecanicam rationem reſtitutam, arabicum vero curandi modum, cui per octo ſaeculorum continuam ſeriem adſueti erant medici, penitus abrogatum vellet: tam acris inter illius aetatis medicos cooriebatur inde tumultuatio ac concertatio, vt bonus ille BRISSOTVS, diu ceu pesſimus haereticus exagitatus, tandem, relicto patrio ſolo, Luſitaniam exſul petere cogeretur. Quo de videri poteſt BARCHVSENIVS in *Diſſert. de medicinae origine & progreſſu.* pag. 192. ſequ. vel legi potius de conflictu meretur RENAT. MOREAV *in Vita* PETRI BRISSOTI.

f) Prodibat hoc opuſculum initio Seuillae 1539. 4. poſtea autem idem, vna cum aliis huius autoris tractatibus: *De roſa & partibus eius; de roſis perſicis, ſeu, alexandrinis; de malis citriis, aurantiis ac limoniis*, auctius eſt Antwerpiae, anno 1564. 8. recuſum.

 Erra-

Errauit ideo RENATVS MOREAV, in *Lib. de missione sanguinis in pleuritide*, habens posteriorem hanc editionem pro priore, dum ibi p. 68. scripsit: Sic orbe toto diuisis in partes & factiones medicis, ecce! in Hispania NICOLAVS MONARDES circa annum 1565. quasi foecialis alter sacerdos, de foedere inter graecos & arabes sanciendo cogitat. Emittit ergo in lucem de secanda vena in pleuritide inter graecos & arabas concordiam.

g) Lugduni anno 1541. 4.

h) Vide IOHANNIS GOTHOFR. HAHNII *Antiquitates variolarum nunc primum e graecis erutas*, qui in praemissa his praefatione sequentibus verbis vtitur: Nihil aeque mihi profuit, quam ille quondam a GILBERTO LIMBVRGENSI commendatus labor, conferendi arabes cum graecis, ad quem discipulos suos manuduxit, modum & ordinem consignans, quibus Auicennam cum graecis conciliare possint.

§. III.

IOHANNIS BACCANELLI, seu, BACCHANELLI, *De consensu medicorum in curandis morbis, libri quatuor. Eiusdem, de consensu medicorum in cognoscendis simplicibus, liber*, qui optime Lutetiae 1554. 12. vna impressi, deinceps vero alibi i) quoque recusi sunt, nimis concise sunt elaborati, quam, vt promissam in rubro materiam pro dignitate sua k) exhauserint. In IACOBI PELETARII *Sectionibus II. de Conciliatione locorum Galeni*, quae Lutetiae Paris. 1560. 4. apud Andr. Wechelum nitidissime sunt impressae, diuersa ἐναντιοφανῆ Galenica, seu loca Galeni, quae secum inuicem pugnare videntur, conciliantur. NICOLAI tamen RORARII *Contradictiones, dubia & paradoxa in libros* HIPPOCRATIS, CELSI, GALENI, AETII, AEGINETAE, AVICENNAE, *cum eorundem conciliationibus*, quae Venetiis anno 1566. 8. & auctiores ibidem anno 1572. 8. l) in conspectum orbis litterarii prodierunt, amplioris omnino sunt ambitus, maiorisque vtilitatis. Parem, si non maiorem quoque, merentur laudem IOHANNIS COSTAEI *Annotationes in Canonem* AVICENNAE, *cum nouis obseruationibus, quibus principum philosophorum ac medicorum dissensus atque consensus indicantur.* Venetiis anno 1595. f. Qualem autem sese IOH. ALBERT. WIMPINAEVS, in *Ex-*

Excursionibus defensiuis de concordia Hippocraticorum & Paracelsistarum; cum appendice, quid medico sit faciendum, praestiterit, quid rerum gesserit? id vero illis definiendum relinquere cogor, qui librum istum legerunt. Ceterum prodiit is Monachii, anno 1569. forma octopertita.

i) Venet. 1555. 8. Lugduni 1558. & 1572. in 16. In IOH. IAC. FRISII *Bibliotheca* pag. 404. Venetae quoque editionis, anni 1552. fit mentio; qua forma autem? non additur.

k) Longe certe melius IOH. BAVHINVS, in *Historia vniuersali* sua, de qua inferius dicendi mihi dabitur occasio, consensum & dissensum circa plantas, adde &, accuratius, annotauit.

l) Videatur *Bibliotheca Riuinian.* p. 207.

§. IV.

Ex illis, qui saeculo septimo decimo conciliandorum diuersorum rem medicam spectantium dogmatum sibi ipsi facessiuerunt negotium, in theatrum quodammodo produci mererentur HENRICVS *) PETRAEVS, HORATIVS m) LVMBISANVS, & MATTHIAS n) NALDIVS: verum enimuero immorari hisce vix consultum mihi videtur, certissime persuaso, inter omnes hactenus enumeratos conciliatores medicos nullum exstitisse, qui cunctorum ita in sese conuerteret ora, vt DANIEL SENNERTVS. Iste enim inter concertantes suae aetatis medicos, inter factiones nempe Galenicorum & Chemicorum dissidentes, eiusmodi pacem facere allaborauit, vt inde noua quaedam secta, quam dogmatico-hermeticae insignitam a reliquisque distinctam voluerunt nomine, originem & natales traheret suos. Eius hac de caussa euulgatus liber, *De chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis consensu & dissensu*, qui Wittebergae anno 1629. 4. optime o) impressus prodiit, initio quidem plures ipsi aduersarios quam fautores peperit, inprimisque IOHANNEM p) FREITAGIVM excitauit, vt nimis acerbe minusque decore q) in ipsum, arreptis armis, inueheretur: nihilo tamen minus pacifica eius atque salutaria consilia ab aliis placide atque be-

neuole audiebantur. Id saltem obtinebat SENNERTUS, vt ex eo tempore germanicorum medicorum plerique consilium inter sese caperent, Galenica & chemica medicamenta in *Praxi* sua combinandi. Quid? quod eo tandem res deueniebat, vt chemica principia ab ipsa quoque *Theoria* medica ciuitate donarentur, &, in explicando tum secundae tum aduersae valetudinis humani corporis statu, in subsidium vocarentur & adhiberentur. LVDOVICI KEPLERI *Methodus conciliandarum sectarum in medicina discrepantium*, parum probata eruditis fuisse videtur; neque enim praeter sectionem eius primam, Regiomonti anno 1648. fol. prelo emissam, quidquam vlterius in lucem publicam est prolatum.

*) HENRICI PETRAEI *Contradictiones apparentes quatuor, in quibus praecipue vtriusque medicinae, dogmaticae nempe & hermeticae, hypotheses & rationes recensentur, excutiuntur & conciliantur.* Marpurg. 1610. 4.

m) HORATII LVMBISANI, seu LYMBISANI, *Conciliationes & decisiones medicae, super finitiones actionis deprauatae, diminutae, morbi & symptomatum, excretorum & retentorum* ANTONII SANTORELLI. Neapoli anno 1629. 4.

n) Archiater hic Papalis emisit opus sequenti notatum rubrica: MATTHIAE NALDII *Pamphilia, seu, mundi vniuersi amicitia, vbi dissidentes philosophorum opiniones conciliantur, & parantur ex re medica amicitiae.* Senis, anno 1647. 4. Quum autem hunc ipsum librum oculis vsurpare nondum vnquam licuerit mihi; nec, cuius notae sit, dicere habeo.

o) Prodibat omnium primo Witebergae 1619. 8. ibidem vero anno 1629. 4. & quidem auctior, in lucem exponebatur publicam; tum Francofurti 1655. 4. recudebatur; nec minus etiam operibus medicis SENNERTI, Venetiis, Lutetiae Parisiorum atque Lugduni publicatis, inserebatur.

p) IOANNIS FREITAGII *Detectio & solida refutatio nouae sectae Sennerto-Paracelsicae recens in philosophiam & medicinam introductae. Qua antiquae veritatis oracula, & Aristotelicae ac Galenicae doctrinae fundamenta conuellere & stirpitus eruderare moliuntur nouatores.* Amstelodami 1636. 8. & 1637. 8. in cuius posterioris editionis inscriptione haec leguntur: *Editio noua, in qua, quae in priori omissa & non suis locis posita, restituta sunt, innumerique errores emendati.*

q) Iste enim vir, zelo impotenti commotus, eo insaniae progrediebatur, vt non dubitaret SENNERTVM, cum propter innouationem hanc, tum vel inprimis propter *Librum de origine animarum*, ab ipso editum, haereseos, immo blasphemiae crimine notare.

§. V.

Vergente saeculo modo dicto decimo septimo & ad exitum properante, PAVLLVS AMMANNVS in lucem proferebat commentationem sequentem: *Irenicum Numae Pompilii cum Hippocrate, quo veterum medicorum & philosophorum hypotheses, in corpus iuris ciuilis pariter ac canonici hactenus transsumtae, a praeconceptis opinionibus vindicantur, mediatore* D. P. A. *Opus ICtis pariter atque medicis vtile; vtpote in quo quaestiones propositae ex ipsis legum textibus & variis responsis facultatis medicae Lipsiensis illustrantur.* Francofurti & Lipsiae 1689. 8. Vix autem videtur, autori huius opusculi, qui ceteroquin inter scepticos medicos non vltimi est subsellii, in consessu quoque & ordine conciliatorum locus aliquis concedendus; quippe qui eam potissimum sibi hic praefixam habuit metam, vt erroneas medicorum veterum opiniones, vt & philosophorum, quas in corpore iuris ciuilis & canonici sequuti sunt ICti antiquiores, viuido & satyrico scribendi genere, omnium risui exponeret. Num idem, in *Discursu praeliminari de syncretismo medico*, quem *medicinae* r) *criticae* ab se editae praemisit, magis serio rem hanc egerit? id equidem aliis diiudicandum relinquo.

r) Constat ea centuria vna casuum medico-legalium, ab AMMANNO ipso germanica lingua conscripta, a CHRISTIANO autem FRANCISCO PAVLLINI ciuitate Romana donata: de qua ego tomo huius bibliothecae secundo plura dicam.

§. VI.

Denique & voluens iam saeculum decimum octauum non tulit omnino nullos, qui id sibi datum crediderunt, vt paci inter dissidentes adeo medicos

reparandae manum admouerent. Sic ELIAS CAMERARIVS, GEORGIVS DANIEL COSCHWITZIVS & IOHANNES ANDREAS FISCHERVS, vires in hac alea ingenii sui partim opere ipso periclitati sunt, partim periclitari voluerunt. Primum horum quantum concernit, impertiit is orbi litterato sequentem librum: ELIAE CAMERARII *Medicinae conciliatricis conamina & primae lineae. Praemittuntur de optima medicinam docendi discendique ratione meditationes. Accessere meditationes modestae in medicinam corporis Tschirnhausianam.* Francofurti 1714. 4. Pauci autem fuere, qui pacis haec studiosa beneuolaque consilia boni consulerent s), adsensuque suo ea probarent; licet addita his critica in medicinam corporis aequiori iudicio reciperetur t). GEORG. DAN. COSCHWITZIVS in libro suo, quem inscripsit: *Organismus & mechanismus in homine viuo obuius & stabilitus*, quique Lipsiae 1725. 4. est impressus, inter Stahlianos & mechanicos medicos amicitiam conciliare studuit, vtut ipse Stahlianarum partium studiosior. IOHANNES denique ANDR. FISCHERVS tentatam & a se promissam u) medicinam conciliatricem ad vltimam perducere limam omnino non potuit.

s) Videantur noua litteraria anni 1716. pag. 429. seq. vbi quidam iudicasse referuntur, autorem opinionibus medicorum, quas conciliaturus fuerat, veluti vim intulisse.

t) Vid. Eadem nou. litt. anni 1718. pag. 662.

u) Confer *Eius Iliadem in nuce, seu, medicinam synopticam, medicinae conciliatrici subsecuturae praemissam.* Erfurti anni 1716. 4. Iam vero decimo demum tertio post anno, quam praedictam dissertationem emiserat, est mortuus; nihil quidquam autem innotuit, quod probet, promissis illum suis implendis non defuisse. In indice certe scriptorum eius, quem exhibet MOTSCHMANNI *Erfordia litterata* volum. I. p. 169. seqq. nihil omnino, quod huc spectaret inuestigare potui. Dissertatio enim eius, anno 1728. emissa, *De discrepantibus sententiis medicorum, potissimum praesentis sacculi*, nihil cum isthac conciliatione habet negotii.

CAP.

CAP. III. SECT. III.

DE SCEPTICIS MEDICIS.

CONTENTA:

De Scepticis medicis antiquioribus §. *1.* *De Dionysio Aegeo* §. *2.* *De Scepticis saeculi XV. XVI. & XVII.* §. *3 - - 6.* *De Scepticis recentissimis* §. *7. 8.*

§. I.

Etiamsi famae & meritis AVRELII CORNELII CELSI minime derogaturus esset, qui illum adsereret choragum & veluti antesignanum fuisse ita dictorum scepticorum medicorum; idque partim, quia nulli sectae ex professo nomen suum dedit; partim autem & vel inprimis, quia in libris suis haud vno a) loco, de medicina tanquam de arte coniecturali locutus est: ex historia tamen abunde probari potest, medicos, quos vocarunt scepticos, quique fuerunt surculus quidam empiricorum, saeculo demum secundo brachia sua exserere coepisse. DIOGENES enim LAERTIVS sub finem libri noni de vitis philosophorum expressis verbis refert, MENODOTVM NICOMEDIENSEM ea aetate vt & THEODAM LAODICENVM, nec non HERODOTVM TARSENSEM, SEXTVM b) porro EMPIRICVM, & SATVRNINVM denique CYTHENATEM, partes scepticorum c) fuisse amplexos.

a) Ex. gr. In praefatione libri primi scribit: Est enim haec ars coniecturalis, neque respondet ei plerumque non solum coniectura, sed etiam experientia. Sic lib. II. cap. 6. circa finem haec habet: coniecturalem artem esse medicinam, rationemque coniecturae talem esse, vt, cum saepius aliquando responderit, interdum tamen fallat. Et lib. VI. cap. 12. leguntur sequentia: adeo in medicina, etiam vbi perpetuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est id, quod consequi conuenit.

b) Celeber hic philosophus vulgo quidem in medicorum empiricorum referri solet numerum; sed non deest caussa, cur suspecta videatur haec opinio, quum ipse SEXTVS *Empiricus, Pyrrhon. hy-*

 pothes.

pothef. lib. I. cap. 34. teftetur, fieri non poffe, vt Scepticus Empiricis adfenfum praebeat, fed multo magis methodicis. Maiore tamen certitudine hac ipfa de re adferere aliquid valeremus, fi *Commentaria medica* huius autoris exftarent hodienum.

c) Erroneum adeo eft, quod BARCHVSENIVS *De medicinae origine & progreffu differt.* X. §. 4. fcripfit: Tranfiiffe illos ad dogmaticos.

§. II.

Quemadmodum autem omnes hi modo dicti medici, de fcepticifmo, qui vocatur, medico, quantum quidem conftat, peculiaribus fcriptis non egerunt, eorumque ad medicam artem fpectantia monumenta maximam partem iam dudum interiere, quod fatum inprimis multiplicia MENODOTI fcripta funt experta; ita non erit, cur diutius me illi morentur, fed fufficiet, breuiter tantum obferuaffe, DIONYSIVM AEGEVM procul dubio videri primum fuiffe, qui peculiarem, eumque centum capitibus conftantem, librum, *De medicina fceptica*, compofuerit. Quum vero infecuta aetate hic ipfe etiam liber euanuerit, ita, vt praeter fummaria centum illorum, quibus conftitit, capitum, quae PHOTIVS in *Bibliotheca* d) fua excerpta inde feruauit, nihil amplius reftet, ideo nec de indole pretioue Dionyfiani huius operis certi e) quicquam afferri in medium poteft.

d) Cod. CLXXXV. p. 419. feqq. & Cod. CCXI. p. 539. feqq.

e) Praeter ea, quae PHOTIVS loco pofterius citato, fequentibus verbis, ex latina verfione ANDREAE SCHOTTI, refert: lecta DIONYSII AEGEI *Dictyaca*, quae infcribuntur. Libellus erat centum abfolutus capitibus, quorum quinquaginta fuam fingula fententiam adferebant, totidem vero fuam antea adftructam hypothefin euertere conabantur, ita, vt fua cuique adfertioni refutatio ftatim opponeretur. Ipfa porro elocutio neque admodum exornatur, neque tamen fine venuftate negligitur, praefertim, quum non ad oftentationem aliquam, fed ad difputationem potius opus hoc comparatum fit a fuo autore, cui tenue dicendi genus & cognatarum rerum feries curae fuit. Vtilis autem liber iis eft, qui in dialecticis exercentur.

§. III.

Quum igitur medici fceptici, dogmaticis, feu, Galenicis, nimium quantum pomoeria fua dilatantibus,

tibus, & veluti vbique locorum dominantibus, adeo supprimerentur, vt per aliquot saecula, illis obstantibus, emergere plane non valerent; accidit sub exordia renascentium disciplinarum & artium liberalium, vt sensim eluctarentur iterum animosque recolligerent. Postquam enim NICOLAVS CVSANVS, cum in libris tribus, *De docta ignorantia*, tum praecipue in duobus libris, *De coniecturis* f) *scholasticorum*, vltra vulgarem sortem sapere sibi visorum, oculos glaucomate liberauerat; nec non FRANCISCVS PICVS *Mirandulanus* ex Italis, FRANC. SANCHEZ e Lusitanis, FRANCISCVS porro MOTHAEVS VAYERIVS e Gallis, praecipue vero HENRIC. CORNEL. AGRIPPA, ex Germanis, Pyrrhonismi caussam magnis viribus egerant, eiusque patrocinium in se susceperant; fiebat inde, vt in philosophicis non amplius subsisteretur scientiis, sed sceptica quoque principia a non nullis medicinae applicarentur, immo a quibusdam peculiaribus etiam scriptis, vtut paucis illis, proponerentur. De horum notatu maxime dignis nunc breuiter mihi erit dicendum.

f) In quibus omnem humanam veri positiuam assertionem meram esse coniecturam ostendit. Vtrumque autem opusculum, ni fallor, separatim non fuit impressum; quaerendum adeo in vniuersis operibus NICOLAI CVSANI, quae, I. A. FABRICIO in *Bibliotheca mediae & infimae latinitatis*, lib. III. p. 1239. teste, Lutetiae Paris. 1513. fol. Noribergae anno 1514. fol. optima autem plenissimaque conditione Basileae 1565. fol. prodiisse dicuntur: prout & FABRICIVS c. l. elenchum omnium in postrema editione obuenientium scriptorum recenset. Quod autem ad allegatam editionem Parisinam attinet, videtur sphalma typographicum subrepsisse. Namque non solum in CONRADI GESNERI *Bibliotheca vniuersali* p. 519. sed etiam in IOHANNIS IAC. FRISII *Bibliotheca* p. 623. lego, opera NICOLAI CVSANI impressa sunt Parisiis 1514. fol. apud Ascensium.

§. IV.

Principem locum non possum non concedere modo memorato HENRICO CORNELIO AGRIPPAE, cuius non minore eruditione g) quam industria conscriptus *Liber de incertitudine & vanitate omnium scien-*

ſcientiarum & artium, tantum vbiuis locorum ſtrepitum excitauit h). Etſi enim omnibus ac ſingulis artibus atque ſcientiis veluti bellum indixiſſe viſus fuerit; inprimis tamen artis medicae, ſeu illorum potius i), qui inepte eandem tractant, vitia atque defectus, multis k) in capitibus, adeo manifeſte detexit; vt vnum hoc tantum ſit dolendum, quod zeli ſui feruore ſaepius eo vsque ſe abripi paſſus ſit, vt diuerſos ipſis diſciplinis tribueret naeuos, qui potiori iure illis, qui his operantur atque iisdem vacant, fuerant adſcribendi. De hoc igitur opuſculo, quod crebrius ſeparatim prelis exiit l), in exteras m) quoque translatum linguas, nec minus operibus autoris, Lugduni n) iunctim impreſsis, inſertum fuit, notandum, primas & antiquisſimas o) pro optimis, ſimul vero & rarisſimis, haberi editionibus; quum e contrario ſequiores p) editiones, vtpote mirum in modum caſtratae, pro vilisſimis ſint aeſtimandae. Id quod ex inſtituto probauit IOH. GEORGIVS SCHELHORNIVS in *Amoenitatibus litterariis*, tom. II. pag. 513. ſeqq.

g) Vid. SCHELHORN. c. l. p. 514. Inter omnia AGRIPPAE ſcripta hoc praeſtantisſimum eſt, & caput effert, exquiſita eruditione & grauisſimis contra illius aetatis errores atque vitia teſtimoniis refertum.

h) Multa & varia, eaque tum bona, tum mala, hoc de libello iudicia a diuerſis eſſe lata, notum eſt. Interim vix crediderim, lectorem a partium ſtudio liberum, calculum iis eſſe additurum candidum, quae HIERON. HIRNHAIMIVS in *Typho generis humani*, & quidem in praefatione ad lectorem, hac de re ſcripſit: dignus AGRIPPAE liber de vanitate ſcientiarum, in quem ingeniorum omnium ſcientiis excultorum acies & aculei ſtringantur, *dignus tenebris, dignus infernali, cum probroſis autoris ſui manibus, addici Vulcano.* Longe certe moderatius & veritati etiam conuenientius iudicium de eodem lego in *Catalogo bibliothecae theologicae Reimmannianae*, p. 1117. ſeq. Multa ſunt omnino in hoc opuſculo atro carbone notanda, inepta, obſcoena, periculoſa, temeraria, & ſcepticiſmum non obſcure redolentia, quaedam etiam infanda prorſus, & tenebris inuoluenda potius, quam in lucem protrahenda, vt cap. LXIII. de arte meretricia, & LXIV. de arte lenonia. Verum & multa praeclara, & egregia & lectu digna, hiſtorica, philoſophica, theo-

theologica, medica. Et ancipites valde sumus, an vllus vnquam vitia eruditorum acutius perspexerit, & plenius descripserit, & pudenda ecclesiae romanae maiori cum parrhesia detexerit, & manifestauerit, vtut in gremio eiusdem fuerit natus, educatus & mortuus.

i) Si credendum fuerit autori, profecto is minime animum carpendi huc attulit. Ita enim ipse in praefatione ad lectorem: „Scire te volo, me non odio, non ambitione, non dolo, non errore inductum haec scripsisse, nec me sacrilega cupiditas, nec improbatae mentis arrogantia ad hoc impegit; sed caussa omnium cum iustissima tum verissima, quod videlicet videam multos humanis disciplinis scientiisque vsque adeo insolescere, vt sacrarum litterarum eloquia & canonicas spiritus sancti scripturas (quia carent ornamentis verborum, viribus syllogismorum, affectatisque suadelis, & peregrina philosophorum eruditione: sed simpliciter in operatione virtutis & nuda fide firmatae sunt) idcirco tanquam rusticas & idioticas, non modo despiciant & aspernentur, sed & velut contemtu quodam insuper insectentur. „ Sed equidem existimo, AGRIPPAE idem accidisse, quod olim DIOGENI, qui PLATONIS fastum maiori fastu calcabat.

k) Speciatim cap. 82. de medicina in genere; cap. 83. de medicina operatrice; cap 84. de pharmacopolia; cap. 88. de diaetaria &c.

l) Ex. gr. Coloniae 1531. 8. vid. GESNERI *Bibliothec. vniuersal.* p. 308. deinde anno 1532. 8. sine indicio loci. Vid. SCHELHORNII *Amoenit. litterar.* tom. II. p. 518. Porro anno 1536. 8. quae & ipsa, nullo impressionis loco nominato, exiit in lucem. vid. iterum SCHELHORN. c. l. p. 520. Et ipse ego ad manus habeo editionem, sine mentione loci & anni exscriptam typis, formae octopertitae, quae, praeter imaginem AGRIPPAE, sequenti ornata est inscriptione: HENR. CORN. AGRIPPAE *ab Nettesheym de incertitudine & vanitate scientiarum declamatio inuectiua, denuo ab autore recognita, & marginalibus annotationibus aucta.* Est adeo, quod mireris, huius ipsius opusculi, toties & tam diuersis editionum vicibus diuulgati, non nisi vnam illam anni 1531. 8. editionem allegari, tum in CONRADI GESNERI *Bibliotheca vniuersali*, tum & in IOH. IAC. FRISII *Bibliotheca* p. 326. quae, sequentem in fronte gerens titulum, lucem publicam salutauit: *De incertitudine & vanitate scientiarum declamatio inuectiua, vel cynica, qua docetur, nusquam certi quicquam perpetui & diuini, nisi in solidis Dei eloquiis atque eminentia verbi dei latere.* Coloniae 1531. 8. ap. Eucharium Agrippinatem.

m) Ex. gr. in gallicam, vid. *Colomesii* opera p. 740. vbi haec leguntur: La declamation d' Agrippa a été traduite en françois par LOVIS TOVRQVET *Lyonnois.* Porro in germanicam: qua de versione SCHELHORNIVS c. l. p. 518. scribit: Librum Agrippae

1713.

1713. in germanicum quoque sermonem, sed inepte, translatum esse.

n) In *Catalogo bibliothecae theologicae Reimmannianae* p. 1107. quidem scribitur: AGRIPPAE *Opera duabus vicibus Lugduni* impressa sunt eadem forma; sed non eodem modo: alteram enim editionem, addit in sequentibus autor, eamque compluribus castratam locis, prodiisse anno 1600. 8. alteram vero ibidem in 8. attamen nulla anni facta mentione, euulgatam, & hanc ipsam posteriorem editionem, de cuius contentis euoluenda est *Historia bibliothecae Fabricianae*, part. VI. pag. 270. seqq. esse aliquatenus pleniorem illa priore, quia in ea *Apologia aduersus theologistas Louanienses* inueniatur, quae in illa desiderabatur. Verum enim vero, operà AGRIPPAE pluribus vicibus Lugduni in 8. iunctim edita fuisse, deprehendi. Saltim IOH. IAC. FRISIVS in *Bibliotheca* p. 326. diserte scribit: Omnia AGRIPPAE opera, quaecunque hactenus in lucem prodierunt, vel inueniri potuerunt, in duos tomos concinne digesta sunt Lugduni 1580. 8. Quid? quod in *Bibliotheca Menckeniana* edit. prim. p. 583. & edit. sec. p. 815. editio Lugdunensis operum AGRIPPAE longe antiquior, anni nempe 1531. 8. volum. II. sit indicata, qui codex vere rarioribus libris est annumerandus.

o) Hae iam not. l) sunt recensitae.

p) Ex. gr. Lugdunensis anni 1624. 12. vide *Bibliothec. theol. Reimmannian.* p. 1117. Francofurtensis, vel potius Stetinensis 1714. 12. vid. SCHELHORN. *Amoenitat. litterar.* tom. II. pag. 519.

§. V.

Post AGRIPPAE aetatem, fuerunt quidem non nulli, qui peculiaribus libris id agerent, vt Pyrrhonismo vlterius stabiliendo manus porrigerent auxiliatrices, pro suis quisque viribus; immorari autem his nolo, quia labor illorum ad philosophicas tantum pertinuit scientias. Acutissimi igitur ingenii librum q) FRANCISCI SANCHEZ, *Quod nihil scitur*, qui Lugduni 1581. 4. excusus lucem r) vidit, postea aliquoties s) & alibi recusus, nec non a DANIELE HARTNACCIO, vtut parum benigna minerua t), refutatus fuit, paucis tantum velut in transitu tangam: breuem quoque saltim *Dialogorum scepticorum* FRANCISCI MOTHAEI VAYERII mentionem iniecturus, qui antea u) sub nomine HORATII TVBERONIS in scenam prodierant, Francofurti anno 1716. 12.

vel

vel potius w) Lutetiae Parisiorum gallice x) recusi, & de quibus in Republica litteraria (*Republyk der Geleerden*) iudicium admodum aequum fertur y). Quem iuuat, de libro paullo rariori HIERONYMI HIRNHAIMII, quem inscriptum, *De typho generis humani*, Pragae 1676. 4. diuulgauit z), plura & notabiliora nosse, is *Obseruationes selectas Halenses*, tom. VII. pag. 206. seqq. vbi recensetur, adeat euoluendas. Ad IOSEPHI autem GLANVILLII *Scepsin scientificam aduersus vanitates dogmaticorum*, quantum attinet, quae Londini anno 1665. 4. anglicano sermone conscripta in lucem litterariam exiit; MORHOFIVS a) iam pridem ostendit, quem scopum sibi in eadem praefixum autor intenderit. Idem vir doctus, de ROBERTI BOYLII *) *Chymista sceptico*, mentem suam aperuit, in Polyhistoris sui tomo II. lib. II. part. I. cap. 16. item part. II. cap. 13.

q) Vid. MORHOFII *Polyhist.* tom. II. lib. I. cap. 6. §. 3. pag. 31. Libellus est, inquit ille, exiguus, sed qui in compendium traxit pleraque scepticorum argumenta, argute satis & neruose. Non putarem tamen, adeo serio rem suam egisse *Franciscum* nostrum, eumque potius scriptionis suae habuisse finem, vt exagitaret scholasticos, eorumque philosophiam, ostenderetque nihilo nos certiores fieri ex eorum scriptis, & longe incertiores esse, quam dudum. Multa sane in eo scripta sunt arguta & sana, quanquam non omnia probem.

r) Vid. *Bibliothec. Thuan.* part. II. p. 6.

s) Ex. gr. Francofurti 1618. 8. Roterodami 1649. 12. in qua editione habentur simul reliqua eius opuscula philosophica; nec non Stetini 1665. 12. vbi textui substrata est refutatio *Hartnacciana*, ad modum annotationum veluti.

t) Vide *Catalogum bibliothecae theologicae Reimmannianae*, p. 1116. HARTNACCIVS vtinam caussam dogmaticorum tam bene defendisset, quam SANCHEZIVS scepticorum malam. Sed autoritatibus pugnat praecipue, & petitionibus principii, & fallacibus consequentiis. Tum disertus est in iis, vbi oratore non est opus, & in iis, quae actorem desiderant (vt p. 103. 135. 201. 223.), magis mutus, quam piscis. Ac tandem vniuersam dogmaticorum caussam ita tuetur, vt, si ex eius argumentis ferendum sit iudicium, scepticis omnino prae dogmaticis palma sit deferenda.

u) Vide Noua litteraria anni 1718. p. 742. vbi refertur, eos iam anno 1671. 12. Monte Hannoniae, vt titulus quidem iactet, verius autem in Batauia, alicubi esse impressos.

w) Hoc quoque in allegatis modo Nouis litterariis c. l. adseritur.

x) *Cinq dialogues faits à l'imitation des anciens par* ORATIVS TVBERO. I. *De la philosophie sceptique.* II. *Le banquet sceptique.* III. *De la vie priuée.* IV. *Des rares & eminentes qualités des Asnes de ce tems.* V. *De la diuersité des religions.* Tom. I. à Francfort 1716. 12. *Quatre autres dialogues du même auteur, faits comme les precedens à l'imitation des anciens* par ORATIVS TVBERO. I. *De l'ignorance louable.* II. *De l'opiniatreté.* III. *De la politique.* IV. *Du mariage.* Tom. II. à Francf. 1716. 12.

y) Vide Noua litteraria anni 1719. p. 28. vbi summa iudicantium huc redit: Apparere ex ratiociniis autoris, quam periculosum sit, plus acuminis & ingenii possidere, quam sinceritatis. Neque enim dubitari posse, quin autor potuisset, modo voluisset, idem quod irrisit, defendere, & quod defendit, irridere.

z) Titulus est: *De typho generis humani, siue, scientiarum humanarum inani ac ventoso tumore, difficultate, labilitate, falsitate, iactantia, praesumtione, incommodis & periculis. Tractatus breuis, in quo etiam vera sapientia a falsa discernitur, & simplicitas mundo contemta extollitur. Idiotis in solatium, doctis in cautelam conscriptus. Autore* HIERONYMO HIRNHAIM. Pragae 1676. 4.

a) Vide eius *Polyhist.* loco cit. vbi haec habet: Scopus autoris in hoc opere est, vt monstret, quam multa sint incognita in ratione, nec vlla arte cognosci possint; illis tamen viam sternendam esse per ea, quae manifestis demonstrari possunt argumentis.

*) Libellus iste mole perquam exiguus Londini 1662. in 8. & 1671. in 4. nec non Roterodami anno 1668. in 12. separatim fuit impressus, postea autem vniuersis operibus Boylianis iunctim editis insertus.

§. VI.

Potiori longe iure locum hic ex medicis tuebuntur SAMVEL SORBERIVS, PAVLLVS AMMANNVS, LEONARDVS DE CAPVA & IOHANNES DEVAVX; qui quippe omnes ac singuli scepticismum medicum, libris peculiaribus, ad summum euehere culmen laborauerunt. Horum primus non in lucem solum emisit discursum b) scepticum, concernentem chylum & motum cordis; [*Discours sceptique sur le passage de chyle, & sur le mouuement du coeur*] verum litteris etiam ac discursibus de diuersis rebus curiosioris argumenti [*Lettres & discours sur diuerses* c) *matieres*

tieres curieuses] varia d) de incertitudine physices atque medicinae simul immiscuit. Vlterius SORBIERIO progressus est PAVLLVS AMMANNVS, dum in *Paraenesi* sua e) *ad discentes, occupata circa institutionum medicarum emendationem*, cuius occasione litem ipsi mouit ECCARDVS f) LEICHNERVS, systema veluti quoddam medicinae scepticae condere, & secundum omnes medicae artis partes membratim, liberrima g) plane ratione, demonstrare tentauit, quam parca quamque rara certitudo in hac disciplina ponat vestigia. LEONARDI CAPVANI huc pertinens opus, in quo de viribus potissimum medicaminum dubie admodum disseruit, iam supra h) est allegatum. IOHANNES autem DEVAVX tractatu, presso proprio nomine, ab ipso diuulgato: Medicus sui ipsius, siue, ars conseruandi valetudinem per instinctum, [*Le medecin* i) *de soi-même, ou l'art de se conseruer la santé par l'instinct*] tantum sibi peperit molestiarum, vt promissum librum de medicina curatiua [*Traité de la medecine curatiue*] ne magis etiam aduersus sese exacerbaret medicos, propria opera supprimere, consultum k) ipsi videretur.

b) Lugduni Bat. 1648. 12.

c) Lutetiae Paris. 1660. 4.

d) Vide NICERON *Memoires* tom. IV. p. 93, seq. Quo loco haec inter alia leguntur: Les discours sont assez curieux, & roulent sur la nature du mouuement, sur la rarefaction, sur le peu de connoissance, que nous auons des choses naturelles, sur les sources des differentes opinions, que l'on a sur vne même matiere.

e) Rudolstadii 1673. 12. & Lipsiae 1677. 12.

f) Hic enim suum *Archaeum synopticum, siue, duodecim tabulas de legibus medicae reipublicae fundamentalibus, contra* AMMANNI *Paraenesin*, Erphordiae 1674. 12. emittebat. Quem etiam librum suum, in *Epistola apologetica de principiis medicis, ad illustre medicorum in academia Lipsiensi collegium*, quae Erphordiae 1675. 12. est excusa, vlterius defendere nitebatur. AMMANNVS autem nec ipse caussae suae defuit nec diu siluit; sed opponebat illi alium a se conscriptum *Archaeum syncopticum* ECCARDI LEICHNERI *Archaeo synoptico oppositum*, 1674. 12.

g) Legatur modo praefatio, in qua disertis verbis scribit: Ratio nostra semper hallucinatur circa naturalia, circa controuersias physicas, quae

quae vt plurimum sunt & manent dubiae atque irresolubiles. Quid huc vsque tot hypothesibus de viscerum actione effectum fuit in medicina? Nihil. Dubia ponuntur pro certis, inutilia non separantur ab artis systemate, fallacia pro veris apprehenduntur. Erraretne propterea aliquis, si medicinam, rebus sic se habentibus, appellaret artem coniecturalem? Certe, meo iudicio non erraret; siquidem tota nostra cognitio, tam circa theoriam, quam praxin morborum internorum, meris & nudis nititur coniecturis & opinionibus.

h) Vid. cap. I. sect. I. §. 6.

i) Lugduni Bat. 1682. 12. Parisiis 1692. 12. Vide NICERON *Memoires* tom. XII. p. 222. Ce petit ouvrage, qui est le premier fruit de sa plume, a été reimprimé plusieurs fois, & cependant est assez rare. L'auteur s'y montre homme de reflexions & iudicieux.

k) L'auteur, iterum scribit NICERONIVS c. l. promettoit vn traité de la medecine curatiue: mais le premier ouvrage ayant déplû aux medecins, qui en effet n'y sont gueres epargnez, il resista à la tentation de les chagriner de nouveau par vn second.

§. VII.

Nec recentissimis temporibus defuere viri docti, qui in scriptis suis, expresso partim, partim presso nomine editis, in arte medica aeque ac in studiosis & cultoribus eiusdem, diuersa quae carperent, inuenisse sibi sunt visi. Tractatus ille Tusca lingua & stilo quidem satyrico attamen valde arguto conscriptus, cui titulus: *Mundus falsis medicis fascinatus, discursus V. autore D.* IOSEPHO GAZOLA, Veronensi, *opus posthumum*, [*Il mondo ingannato da falsi medici, discorsi V.* l) *del Dottor* GIVSEPPE GAZOLA, Veronese, *Opera postuma.*] quique Pragae m) 1716. 8. excusus prodiit, & deinde, ob praestantiam suam, a GREGORIO MAIANSIO in Hispanicam, ab anonymo autem interprete in gallicam n) quoque linguam est translatus, IACOBVM o) quidem PILARINVM, FANTASTIVM aliosque aduersarios est expertus vehementes; nihilo tamen minus lego in Diario litteratorum Italiae tom. XXXIII. part. II. pag. 553. seq. [*Giornale de letterati d'Italia*] SEBASTIANVM ROTARIVM, medicum Veronensem, diuersis scriptis editis, patrocinium Gazolae in se suscepisse. De duo-

duobus Anonymis, eorumque lingua anglicana diuulgatis libellis p), in quibus, more in republica litteraria minime licito nec tolerando, in medicinam pariter ac medicos plaustra probrorum conuexerunt, Noua litteraria Lipsiensia anni 1739. p. 628. seqq. & anni 1740. p. 675. poterunt euolui atque legi: Ex instituta enim citatis locis recensione facile quiuis obseruaturus est, autores dictorum libellorum famosorum fines veritatis ac modestiae nimium quantum migrasse. Quid autem praestiterit MARTINVS MARTINEZIVS in sua *Medicina sceptica*, & *filosofia sceptica*, quarum prior, testibus Nouis litterariis anni 1731. pag. 610. Mantuae Carpetanorum anno 1725. in 4. altera vero eodem loco, anno 1730. 4. & quidem Hispanico vtraque sermone conscripta, lucem viderunt? de eo, quod referam, nihil certi habeo.

l) In Discursibus hisce, seu, Dissertationibus, quinque sequentia deducta sunt argumenta: I. Scilicet, praestare, nullo, quam imperito, vti medico; II. Vnumquemque posse esse medicum sui ipsius; III. Medicinam esse artem difficilem, celeberrimasque in ea sectas, inprimis autem dogmaticos & sectatores veterum, varios fouere errores; IV. Quid faciendum, vt diu bonam & commodam conseruare possis valetudinem? V. Vtrum praestet? vti recentioribus medicis atque chemicis; an vero potius Galenicis?

m) Editio, quam vsurpo, quaeque tota nouem, haud pluribus, constat plagulis, sine mentione anni, forma duodecies diuisa, est impressa; titulus tamen & locum & bibliopolam nominat, docens, Tridenti per IOHANNEM ANTONIVM BRVNATIVM (in *Trento per* GIOV. ANTON. BRVNATI) exscriptam eam esse

n) Titulus gallicae versionis est sequens: *Préseruatif contre la Charlatanerie des faux medecins. Ouurage posthume du Docteur* IOSEPH GAZOLA; *traduit de l'italien par Mr. A. F. D. D. C.* à Leyde 1735. 8.

o) Eius liber titulum medicinae defensae praefert, scriptus itala lingua: *La medicina difesa di* GIACOMO PILARINO. In Venetia 1717. 12.

p) Prior ita anglice est inscriptus: *Physick is a Ieſt, a Whim, an Humour, a Fancy, a mere Fashion, even full as much as Dreß or Dancing.* Posterior his verbis: *The Triumph of Nature over Physick, Doctor and Apothecaries.* Vtrumque schediasmation Londini diuulgatum fuisse dicitur; in Nouis autem litterariis modo allegatis nec annus nec forma sunt annotata.

§. VIII.

Quod si denique in censum medicorum scepticorum & illos referre vellet aliquis, qui, cum THEODORO q) KERCKRINGIO, THEODORO r) ZWINGERO, MARTINO LISTERO, multisque aliis, nec tutum satis nec idoneum iudicant, medicinam methodo mathematica s) proponi; is sine praegnanti caussa scepticorum multiplicaturus esset numerum, ipsumque *Sceptici* nomen amplo nimis, minusque vsitato, sensu accepturus. Istud vero, sub finem praesentis capitis dissimulare nec debui nec volui, exstitisse inter ipsos medicos dogmaticos non paucos, & doctos & veri amantes, viros, qui non solum obuios passim in arte medica defectus atque naeuos sincere t) sunt confessi; sed &, qui peculiaribus eosdem scriptis, ad exemplum FRANCISCI BACONI DE u) VERVLAMIO, publice professi sunt & notauerunt. Ita, exempli gratia, prae aliis *) GEORGIVS HIERONYMVS WELSCHIVS, in w) *Somnio Vindiciani*, breuissimis monstrauit, quanti momenti materiae & argumenta in re medica, partim omnino nondum tacta, partim pro dignitate nondum ventilata & elaborata sint ad hunc vsque diem. IOHANNES porro HERMANNVS FÜRSTENAVIVS, in *Desideratis* x) *medicis*, lectu oppido dignissimis, per omnes artis salutaris partes y), ex instituto demonstrauit, quantum sit in rebus medicis inane!

q) In *Prooemio spicilegii anatomici.*

r) In *Dissert. de methodo docendi medicinam mathematica.* Basileae 1714. 4. vbi p. 20. sequentia leguntur verba: Quum principia artis medicae mere sint coniecturalia, non nunquam caduca, atque prorsus incerta; illud, ni fallor, euidenter concludi (hinc) poterit, medicinam nequicquam mathematica methodo pertractari posse.

s) Demonstrare hoc ipsum voluit YVO GAVKESIVS in *Dissertatione de medicina ad certitudinem mathematicam euehenda*, Amstelod. 1712. 8. Quanto autem derisui se hac ipsa sua mathematica methodo exposuerit, legi potest in IOH. BVRCH. MENCKENII *Declamationibus de Charlataneria eruditorum*, p. 155.

t) Exem-

t) Exempli caussa, THOMAS SYDENHAMIVS, GEORGIVS BAGLIVIVS, BERNHARDINVS RAMAZZINIVS, BARTHOLOMAEVS DE MOOR &c.

u) Qui in nouem suis, de augmentis scientiarum, libris primus viam muniuit, & litterarum studiosis ostendit, quantum superflui, & quantum defectuum, tum in philosophicis, tum reliquis quoque in disciplinis, ad nostram vsque aetatem, inueniatur. IACOBVM F. REIMMANNVM hoc opus nec mirari nec laudare satis potuisse, abunde testatur *Catalogus Bibliothecae Reimmannianae* tom. II. p. 488. his verbis: Opusculum aureum, gemmeum, adamantinum, quo carere nemo potest, qui rei litterariae indolem rite perspectam habere cupit.

*) Eo referendi, exempli gratia, PETRVS SALIVS DIVERSVS, in *Curationibus quorundam particularium morborum, quorum tractatio ab ordinariis practicis non habetur;* CAROLVS PISO in *Selectis obseruationibus, de praeteruisis hactenus morbis a serosa colluuie ortis;* ARNOLDVS BOOTIVS in *Obseruationibus medicis, de affectibus omissis;* IOEL LANGELOTTVS in *Epistola de quibusdam in chymia praetermissis.* Hamburgi 1672. 8. IOH. DANIEL MAIOR in *Genio errante,* seu, *Dissertatione de ingeniorum in scientiis abusu.* Kiliae 1677. 4.

w) Augustae Vindelicorum 1676. 4. Insertus etiam est Welschianus hic desideratorum medicorum elenchus, GEORGII PASCHII, *Inuentis nou-antiquis*, p. 502. seqq.

x) Lipsiae 1727. 8.

y) Constat totum opusculum nouem omnino capitibus. Horum I. occurrunt *Desiderata anatomico-physiologica;* II. *Pathologica;* III. *Semeiotica;* IV. *Practica;* V. *Desiderata in materia medica;* VI. *Physico-chemica;* VII. *Chirurgica*, & VIII. *Medico-forensia* Caput denique IX. agit de *Docta medicorum ignorantia.*

CAP. IV.

DE SCRIPTORIBVS INSTITVTIONVM COMPENDIORVMQVE MEDICINALIVM.

CONTENTA:

Instituti ratio, §. *1.* *Scriptores institutionum medicarum graeci*, §. *2.* *Arabici*, §. *3.* *Latino-barbari*, §. *4.* *Scriptores institut. medicar. saeculi XVI.* §. *5. 6.* *Scriptores saeculi XVII.* §. *7-11.* *Scriptores recentissimi*, §. *12-17.*

§. I.

Quantus quantus scriptorum huc facientium sit numerus; mihi tamen, siquidem instituti mei rationem habere voluero, praesens caput arctis admodum cancellis erit circumscribendum. Idque partim eam ob caussam, quod, quicunque ante GVILIELMI HARVEI aetatem eiusmodi in se suscepere laborem, iam dudum euiluerunt, interque obsoletos plane habentur; partim vero & quidem praecipue, quia ANDREAS OTTOMARVS GOELICKIVS in *Introductione* a) *in historiam litterariam scriptorum, qui institutiones medicinae, seu partem eius elementarem, scriptis suis illustrare cordi habuerunt*, iamdum prolixam de conatibus eruditorum plerorumque, qui circa hoc argumentum occupati fuerunt, recensionem b) ad annum vsque 1735. consignauit.

a) Praemissa est haec *Eius Introductio*, ipsius *Institutionibus medicis secundum principia mechanico-organica reformatis*, quae a. 1735. 4. Francofurti ad Viadrum exscriptae typis prodiere: quo de opere legantur Noua litteraria Lipsiens. 1735. pag. 724. sequ.

b) Constat enim haec ipsa introductio quaternionibus viginti quinque: nihilominus tamen autor morem suum, quo reliqua ab ipso emissa scripta historica elaborauit, hic quoque tenuit, vt nec locum, nec annum, nec formam impressionis recensitorum a se librorum annotauerit; tantum abest, vt, quaenam inter iteratas editiones

tiones reliquis praestet? diiudicando indicare studuerit: verum eo tantum contentus fuit, vt plenam prope plurimarum, quas recenset, institutionum medicarum epitomen lectoribus exhibeat, adiecta ex arbitrio suo censura.

§. II.

Graeci medici, non est, c) cur me hic morentur. Quae enim ex scriptis *Hippocraticis* atque *Galenicis* huc forte referri poterant; de iis iam supra capitis I. sectionis VI. §.2. vbi scriptorum vtriusque isagogicorum mentio iniecta fuit, necessaria sunt in medium allata. Quumque adeo sequentes medici practicis magis libris edendis, quam conscribendis institutionibus, operam locauerint d) suam: praeter illam, SORANI e) sub nomine euulgatam f), *Isagogen in artem medendi*, quae, ex coniectura MARSILII CAGNATI & G. I. VOSSII, a latino g) quodam medico parum considerate fuit compilata, vix alius forsitan istius argumenti liber erit, cuius hic nobis habenda sit ratio. Probatum vero a me iam alibi h), hunc ipsum, quatuor & dimidia plagulis constantem, libellum eius esse farinae, vt partim erroneis omnino, partim exigui momenti i) rebus ac principiis, nulla praeterea ordinis habita ratione consarcinatis, refertus sit; talem denique esse, vt male sibi consulturus sit, qui artis salutaris elementa ex nihili hocce schediasmatio haurire voluerit.

c) De illis mihi sermo est, quorum adhuc supersunt scripta.

d) Nisi cui placuerit huc referre ORIBASII *Synopseos medicae ad Eustathium libros* IX. aut accensere huic classi PAVLLI AEGINETAE *Libros VII. de re medica*: idque eo magis, quod posteriores hi, ex latina ALBANI TORINI versione, pridem hoc titulo: PAVLLI AEGINETAE *Medicinae totius enchiridion*, Basileae 1546. 8. editi fuerunt. De vtrisque iam cap. II. sect. I. §. 12. & 15. dicenda dixi & monenda monui.

e) Pro suppositio autem habendam esse hanc ipsam isagogen, de eo legi potest CLERICVS in *Historia medicinae*, pag. 453. seqq.

f) Non separatim editus est iste libellus, sed inuenitur in *Collectione medicorum antiquorum Toriniana & Aldina*: de quarum vtraque inferius cap. VII. sect. I. §. 4. & 8. pluribus sum dicturus.

 g) A

g) A COELIO autem AVRELIANO hoc factum esse, quae est sententia IOH. ALB. FABRICII, id vero CLERICVS l. c. concedere non vult: vtpote qui simul contra FABRICIVM demonstrauit, autorem huius isagoges nec empiricae nec methodicae accensendum esse sectae.

h) Vide *Kurze Nachrichten von den Büchern vnd deren Vrhebern in der Stollischen Bibliothec*, part. XIII. pag. 411.

i) Huc referam e. gr. quae cap. III. leguntur his verbis scripta: mercedes autem, siquidem dentur, accipiantur & non recusentur; si autem non dentur, non exigantur, quia, quantum quisque dederit, non potest vlla exaequare mercede beneficia medicinae. Haec enim praescriptio est eiusmodi, quae nec medicis nec aegrotis se probatura videatur.

§. III.

Arabicos inter, qui quidem nobis innotuere k), medicos IOANNITIVS, AVICENNA & AVERRHOES locum hic l) tueri possunt. Horum adeo primus, CONRINGII siquidem standum iudicio, admodum male, melius alter, optime denique tertius stetit. De IOANNITII *Isagoge*, *in artem paruam* GALENI, quae separatim quidem nunquam edita, multiplicibus m) autem illis editionibus *Articellae*, quam dicunt, vt & aliis n) operibus medicis, fuit inserta, iam superius cap. II. sect. III. §. 2. mentem meam explicui, annumerandam scilicet illam esse libellis nullius frugis. AVICENNAE *Canticum*, quod inter frequentissime & iunctim quidem edita o) opera perquam celebris huius viri semper comparet, seorsim etiam, ex versione latinobarbara quadam, gerens titulum: AVICENNAE *Cantica cum* AVERRHOIS *commentariis*, Venetiis p) 1484. fol. duodeuiginti constans plagulis; optime vero, ex ANT. DEVSINGII q) interpretatione, Groeningae 1649. 12. in lucem prolatum publicam, & ab AVERRHOE, in praefatione commentarii sui, omnibus reliquis introductionibus medicis praelatum, nec minus ab ANT. DEVSINGIO summis laudibus & encomiis est elatum. Quanti ex aduerso AVERRHOIS ita dictum *Colliget* ab HERMANNO CONRINGIO aestimatum, & quantis iisque non vulgaribus elogiis compendium isthoc medicinae,

nae, ob ordinem exactum, methodum atque soliditatem suam, ab eodem fuerit ornatum, id iam cap. II. sect. III. §. 7. vbi diuersas vna huius libri editiones indicaui, me annotare memini.

k) Longe plures enim huius gentis doctos viros, compendiis, introductionibus, institutionibus &c. edendis nomen sibi acquisiuisse; id quidem indubitato colligas ex verbis Auerrhois, quae leguntur in praefatione commentarii eius in Canticum AVICENNAE, ita scribentis: cum AVICENNAE canticum pluribus aliis introductionibus & summis in medicina compilatis, ordine valde conuenienti praestet, dedi operam ad commentandum librum &c.

l) Cur A. O. GOELICKIVS in *Introductione in historiam litterariam scriptorum, qui institutiones medicinae ediderunt,* p. 21. seqq. vnum solum AVICENNAM e numero Arabum in scenam produxerit, omnium horum praestantissimo scriptore, AVERRHOE, silentio praeterito, huius ego rei rationem coniectando me adsequi non posse, fateor.

m) Harum dedi elenchum cap. VII. sect. I. §. 1.

n) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 512.

o) V. LINDEN. *renouat.* p. 98. seq. collatis & iis, quae iam cap. II. sect. III. §. 6. scripsi.

p) V. GESNERI *Bibliothecam vniuersalem* p. 110.

q) Vid. Cap. II. sect. III. §. 6.

§. IV.

E latinobarbaris, qui dicuntur, medicis, qui inde a saeculo XI. ad XVI. vsque floruere, nullus fuit, qui elaborandis institutionibus medicis vacaret; nisi quis THOMAE DE GARBO *Summam* r) *medicinalem* huc retulerit: idque inde factum videtur, quod collecta hoc temporis interuallo a non nullis medicis salernitanis maximique aestimata s) *Articella*, locum veluti compendii medici, immo bibliorum quasi medicorum, tum tenuit. Exspirante autem vna cum saeculo XVto barbarie, multi admodum saeculo insecuto XVIto inuenti sunt, qui in concinnandis institutionibus compendiisque medicis studium operamque ea ratione collocarent, vt eorum non nulli *Arabum*, alii PARACELSI, plerique vero medicorum graecanicorum, & in his maxime HIPPOCRA-

TIS atque GALENI principia seu dogmata fundamenti loco ponerent.

r) De hac cap. V. §. 5. dicendi se mihi offeret occasio.
s) Vide de hac collectione cap. VII. sect. I. §. 1. & 2.

§. V.

Eorum, qui in construendis institutionibus, arabum principia, ceu regulam, respexerunt, numerus perquam est exiguus: inter quos GEORGIVS KRAVTIVS & ANDR. GRATIOLVS fere praecipui erunt. Prioris *Libellus introductorius de principiis vniuersalibus totius medicinae, tam theoricae, quam practicae, ex doctrina* AVICENNAE *aliorumque congestus, & tabulis magna ex parte explicatus*, Hagenoae 1533. fol. emissus, plagulis constat duodeuiginti t), & pridem ad cucullos salsamentariorum est relegatus. Nec multo maiori in pretio ANDR. GRATIOLI *Liber primus* AVICENNAE, *de vniuersalibus medicinae praeceptis, interpretatione & scholiis*, HIPPOCRATIS *ac* GALENI *praecipua loca commonstrantibus, illustratus*, Venetiis 1580. 4. impressus, cuius cap. II. sect. III. §. 6. iam mentionem feci, nostra aetate habetur. De compendiis autem medicis ad normam *Paracelsicam* elaboratis, hoc vnum tantum est, quod moneam, IACOBVM GOHORRI, latentem sub adsumtitio LEONIS SVAVII nomine, *Compendium* u) *philosophiae & medicinae vniuersae* THEOPHR. PARACELSI, luci exposuisse publicae: postquam PETRVS SEVERINVS, id quod iam cap. III. sect. I. §. 3. adnotaui, intricata nimis atque perplexa & huc illuc dispersa huius neoterici dogmata, in *Idea sua medicinae philosophicae*, quam inscripsit, primus in iustum ordinem seriemque cohaerentem redegerat.

t) V. GESNERI *Bibliothec. vniuersal.* p. 269. vbi sequentia leges: diuiditur autem liber iste in considerationem de rebus naturalibus, &, quae iis annectuntur, non naturalibus, contra naturam, & postremo de medicinae practicae officiis & diuersis operationibus circa dispositiones sanas, vel aegras, vel neutras.
u) Basileae anno 1568. 8.

§. VI.

§. VI.

Qui saeculo XVI. institutiones suas ad canonem principiorum elementorumque, quae graecanici adsciuerunt medici, GALENVS inprimis, delineauere, horum ingens quidem exstat multitudo w); ego vero illorum tantum, qui in sua quisque gente prae reliquis eminuerunt, mentionem, eamque concisam, iniiciam. LVDOVICI MERCATI *Institutiones medicae*, Mantuae Carpetanorum 1594. 8. diuulgatae, satis testantur de veneratione, qua GALENVM autor prosecutus fuit; nihilo tamen minus iunctim edita x) eius opera medica speratum apud exteros applausum neutiquam inuenerunt. IOHANNES contra FERNELIVS, libris suis huc spectantibus y), quos insecuto tempore IOH. RIOLANVS *senior* in compendium z) redegit, famam a) longe ampliorem est consecutus; etsi eclecticum se in iisdem gesserit. Acerrimi illius GALENI sectatoris, LEONH. FVCHSII, *Institutionum medicinae libri quinque*, qui viuo autore sexies b) fuerunt excusi, mortuo autem, Basileae tantum c) totidem vicibus recusi, omnium olim in se conuerterunt d) ora. IOH. CRATONIS *Isagogen medicinae*, Venetiis 1560. 8. in lucem emissam, & Hanouiae 1595. eadem forma prelo expeditam valde laudauit e) CONR. GESNERVS. Pari ratione IOH. HEVRNII *Institutiones medicinae*, Lugduni Batau. 1592. 8. excusae, seorsim deinceps f) recusae, & vniuersis g) demum eius operibus medicis insertae, multos quondam sui h) admiratores inuenere. IOACHIMI TARGIRI *Medicina compendiaria, in qua, propositis veterum sententiis, noua & verissima artis medicae forma ac ratio explicatur*, Lugd. Batau. 1598. 8. diuulgata, eam ob caussam vel inprimis notatu habetur digna, quod autor huius libri aeque ac FERNELIVS, libertate propria cogitandi vsus, nec coeco obsequio veteres i) est sequutus.

w) Studio itaque & data opera factum est, vt plerique huius generis scriptorum praesenti loco praeterirentur. Namque VIDI VIDII, senio-

senioris, *Institutionum medicinae libri tres*, vniuersis eius operibus praemissi, pariter ac BASSIANI LANDI *Iatrologia*, seu, *Dialogi* duo, *de vniuersae artis medicae methodo*, Venetiis 1557. 4. & Basileae 1543. 4. impressi, vt & BARTHOLOMAEI CASTELLI *Totius artis medicae compendium*, Messanae 1597. 4. editum, circa generaliora tantum versantur. FRANCISCI porro VALLERIOLAE *Fundamenta artis medicae secundum* GALENVM Lugdun. 1626. 8. OTTONIS BRVNFELSII *Epitome medicinae* Antwerp. 1540. 8. & HIERON. THRIVERII *Vniuersae medicinae breuissima methodus*, Antwerp. 1592. 8. pertinent ad scripta posthuma. IANI CORNARII *Vniuersae rei medicae epigraphe*, Basil. 1534. 4. & 1551. 8. nimis breuis est. GVALTHERI HERMANNI RYFFII *Enchiridion medicinae theoricae & practicae* autem, quod Argentorati 1542. 12 titulo admodum thrasonico superbiens, prodiit, ea solum de caussa locum hic meretur; quod autor illius, hoc aeque ac reliquis nomen eius praeferentibus libris, satis aperte prodidit, se vel cum impudentissimis plagiariis de principatu certare posse: quo de CONRADI GESNERI *Bibliotheca vniuersalis* pag. 284. seqq. euolui meretur.

x) Vid. Cap. V. §. 9.

y) Nempe physiologiae lib. VII. pathologiae lib. VII. de medendi ratione lib. VII.

z) IOH. RIOLANI *Vniuersae medicinae compendium*, Paris. 1598. 8. Recusus est insecuto tempore iste liber ab EMANVELE STVPANO sub titulo: *Artis medicinalis theoricae & practicae systema*, Basileae 1629. 8. & postea hac inscriptione: IOHANNIS RIOLANI *Enchiridion medicum Hippocratico-Fernelianum*, Lugduni 1685. 8.

a) Vide cap. V. §. 10.

b) Apparet hoc e dedicatione FVCHSII, Tubingae anno 1565. Calendis Iuniis data, vbi statim ab initio ita scribit: nihil dubito, complures fore, qui tam crebras mearum institutionum editiones [est enim haec, ni fallor, iam sexta] reprehensuri sint &c.

c) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 743. vbi simul obseruatur, nouissimam editionem Basileensem anni 1618. 8. cura & opera EMANVELIS STVPANI fuisse adornatam.

d) V. AVGERII FERRERII Epistolam ad lectorem, institutionibus Fuchsianis Basileae 1594. 8. impressis praefixam, ad cuius finem sequentia legi licet: in compendiis, isagogis, & institutionibus, sicut & in rebus aliis, delectum adhibere conuenit. Circumferuntur enim arabum & barbarorum medicorum introductiones, institutiones & summae, quae caliginem potius inducunt, quam lucem afferunt. Sed nec introductio GALENO falso inscripta satisfacit, quod paucissima artis capita attingat, atque ea fere sine methodo. Vnus LEONHARTVS FVCHSIVS, quod quaerimus, iis institutionibus praestitisse videtur; tanta fide, facilitate & diligentia, vt nihil iure desiderari possit. Haec FERRERIVS. Interim

rim FVCHSIVS, statim sub exordium suarum institutionum, vbi locum e Siracidae capite XXXVIII. encomion medicorum ac medicinae decinentem graece allegauit, errorem mentis suae prodidit, quando sequentia verba mox adiecit: maluimus autem septuaginta citare interpretationem, vtpote nobis notiorem; quem soloecismum litterarium, in hac luce litteraria hodienum viuens medicus A. O. G. merito debuisset euitare.

e) Vid. SCHENCKII, *Bibliothec. medic.* pag. 293. seq. IOHANNES CRATO *a Crafftheim*, III. Imppp. Auggg. Archiater, ἰατρὸς φιλόσοφος, adeoque, diuini HIPPOCRATIS iudicio, ἰσόθεος, quo eum elogio ZWINGERVS cohonestauit, edidit ad artem medicam isagogen per erotemata, quae vt breuissima, ita, succi plena, & doctissimo GESNERO totius artis σωματοποιήσις quaedam dicitur. Continetur eodem insuper libro epistola, qua recte GALENVM legendi rationem breuiter ostendit. LAVRENTII SCHOLZII *Aphorismorum medicinalium theoreticorum & practicorum sectiones* VIII. Francof. 1594 8. impressas, quae & ipsae institutionum medicinalium faciem gerunt, maximam sui partem e CRATONIS *Isagoge, microtechne* & reliquis eius scriptis esse congestas, breuiter hic annotare volui ac debui.

f) Hanouiae 1595. 8. Lugd. Bat. 1609. & 1666. 12.

g) Vide cap. V. §. 19.

h) Ea ipsa de caussa BALTASSAR quoque SCHVLZIVS *Synopsin vniuersae medicinae, cum ex multis medicorum libris, tum maxime ex* IOHANNIS HEVRNII *Institutionibus conformatam,* XII. *Disputationibus exhibitam, & in academia Wittenbergensi exercitio priuato euentilatam,* Lipsiae anno 1601. 8. luci exposuit publicae.

i) Excerpta e rariori hoc libro, in LINDENIO *renouato* penitus omisso, quaeri ac legi poterunt in GOELICKII *Introductione in historiam litterariam scriptorum, qui institutiones medicinae scriptis suis illustrarunt:* pag. 117. seqq.

§. VII.

Saeculo XVII. eiusque progressu, eorum, qui conscribendis institutionibus medicis operam locarent, quique GALENVM praecipue ducem sequebantur, numerus in immensum ferme excreuit. Sic statim sub auspicia eiusdem k), DVNCANVS LIDDELIVS, GILBERTVS IACCHAEVS, IVSTVS CNVTIVS, PETRVS SERVIVS, GREGORIVS HORSTIVS, *Senior,* IOH. STEPH. STROBELBERGERVS, & PETRVS LAVREMBERGIVS, eiusmodi conatibus, emergendi occasionem quaesiuerunt. DVNCANI LIDDELII *Ars medica succincte & perspicue explicata,* ter

ter l) prelum exercuit; qua fortuna quoque vsae fuerunt GILBERTI IACCHAEI *Institutiones* m) *medicae.* IVSTI CNVTII *Compendium vniuersae medicinae iuxta doctrinam Hippocratis & Galeni*, IOH. n) RHODIVS ceteris huius argumenti autoribus praetulit; attamen & PETRI SERVII o) *Institutionum, quibus tirones ad medicinam informantur, libri tres* commode adsociari iisdem poterunt. GREG. HORSTII, *senioris, Compendium institutionum medicarum*, quod initio seorsim p) fuerat expositum luci litterariae, deinceps eius iunctim editis q) operibus est insertum. E contrario, IOH. STEPH. STROBELBERGERI *Systematica vniuersae* r) *medicinae adumbratio*, pariter ac PETRI LAVREMBERGII s) *Porticus Aesculapii, seu, generalis artis medicae constitutio*, breuitate laborant, & circa generaliora saltem subsistunt.

k) Nisi, breuitati studere, consultius mihi videretur; poteram, praeter adductos, PETRI PAVLLI SIMONETAE *Compendium totius medicinae*; IOHANNIS NICOLAI *Vniuersae medicinae compendium*, Basil. 1601. 8. IACOBI LAVELLII *Compendium medicinae*, Venet. 1610. 8. IOANNIS NICOLAI STVPANI *Medicinam theoricam, ex Hippocratis & Galeni libris contractam*, Basil. 1614. 8. pluresque alios sub initia huius saeculi diuulgatos libros compendiarios, recensere.

l) Hamburgi 1607. 1628. & 1655. 8. Non autem putandum, huius ipsius LIDDELII vniuersae medicinae compendium neruosis aliquot disputationibus inclusum, quod Helmstadii 1605. 4. prodiit, cum recensito in textu libro vnum esse atque eundem.

m) Lugdun. Batau. 1624. 1631. & 1653. 12. quarum editionum vltima pro optima habenda.

n) Vide Eius *Bibliothec. medic.* p. 137. vbi & Parisinae cuiusdam editionis fit mentio; quum ea contra in LINDENIO *renouato* pag. 726. Vincentina tantum anni 1608. 8. & Patauina anni 1666. 8. citentur.

o) Romae 1638. 12.

p) Wittebergae 1609. & 1630. 8.

q) Vide Cap. V. §. 25.

r) Lipsiae 1628. 8.

s) Rostochii 1630. 4.

§. VIII.

Prae reliquis tamen, qui ineunte XVII. in quo iam haeremus, saeculo, editis ab se institutionibus medi-

medicis aliquod nomen adepti ſunt, locus hic concedendus mihi videtur eſſe DANIELI SENNERTO, VOPISCO FORTVNATO PLEMPIO, CASP. HOFMANNO, nec non IOHANNI BEVEROVICIO. DANIELIS SENNERTI *Inſtitutionum medicinae libri quinque*, ſeparatim primum t) editi, poſtea vero operibus eius vniuerſis u) adſociati, in magna olim w) exiſtimatione fuere; quum autem diffuſiores x) quibusdam viderentur, inde factum, vt non ipſe ſolum SENNERTVS *Epitomen* y) *inſtitutionum medicinae* & librorum de febribus adornaret, ſed vt & GEORG. z) MOCHINGERVS, CHRISTIAN. a) WINCKELMANNVS, & IOHANNES IOACHIMVS b) BECHERVS, ſimili labori manum admouerent, CLAVDIVS autem BONNETIVS *Epitomen inſtitutionum Sennerti, ab omni haereticae prauitatis errore & ſuſpicione* [quam quidem ipſe ſomniauit] *liberam* Auenione 1655. fol. concinnaret. VOPISCI FORTVNATI PLEMPII *Libri ſex de fundamentis* c) *medicinae*, a IOHANNE quidem ANTONIDE VAN DER LINDEN, in manuductione ad d) medicinam, omnibus iſtius aeui, huiusque argumenti, ſcriptoribus fuerunt praelati; minime autem huic ſententiae calculum adiicere album voluit GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS e). Quid? quod IACOBVS PRIMEROSIVS, in *Deſtructione fundamentorum medicinae Plempii*, Roterodami ann. 1657. 4. euulgata, quadringentos plures in iisdem inueniſſe errores ſibi viſus eſt; quam tamen criminationem GERH. BLASIVS, in *Impetu* I. PRIMEROSII in V. F. PLEMPIVM *retuſo*, Amſtelodami 1659. 4. emiſſo, refutare eſt conatus. CASP. HOFMANNI *Inſtitutionum medicarum* f) *libri VI.* Lugduni 1645. 4. impreſſi, & ab ipſo, ad exemplum DAN. SENNERTI, in epitomen redacti g), partim ob ſcribendi genus obſcurum h), partim & quidem praecipue, quia in iisdem dictaturam quaſi voluit exercere, celeberrimis i) medicis errores exprobrare, nec non circulationem, quae dicitur, ſanguinis, vna cum aliis recens

cens detectis, pertinaciter negare, multos inuenerunt aduersarios. IOHANNIS BEVEROVICII *Idea medicinae veterum*, Lugd. Batau. 1637. 8. eam saltim ob caussam memoratu habetur digna, quod autor eruditionis suae philologicae documentum volens edere, ea, quaecunque in Romanis pariter ac Graecanicis philosophis, historicis, oratoribus, poetis &c. ad medicinam pertinentia, inuenit, ad modum institutionum veluti, in ordinem redigere, adeoque ideam medicinae veterum ex non medicis natam, lectorum oculis sistere studuit.

t) Wittebergae 1620. 1644. 1667. 4.

u) Vid. Cap. V. §. 25.

w) Vid. BLOVNTII *Censur. celebriorum autor.* p. 921. quo loco, praeter alia, sequentia quoque, e PETRI LAVREMBERGII *Lauru delphica*, verba allegata leguntur: Peruolue, & nocturna diurnaque versato manu institutiones DAN. SENNERTI, in quibus prolixiori orationis serie fundamenta artis plenissime enarrantur, & longe forte solidius, quam factitatum a FVCHSIO, VALLERIOLA, RIOLANO, HEVRNIO, LIDDELIO ceterisque de genere hoc. Vnus erit iste tibi instar omnium, quem si noris, omnes noris.

x) Vid. LINDENII *Manuduct. ad medicin.* p. 113. Tentauit FVCHSIVS primum, sed leuiter, etsi plerumque nimius est in contentionibus & probris. Hunc insecuti sunt LIDDELIVS, BERTINVS, STEEGHIVS, GARDINIVS, alii, & nouissime SENNERTVS. Isti breuiores & solidi: hic fusior, immo plenior; & quid in diligentia viri tanta deest? immo, vt superstit, vereor: iis vtique, qui temporis parciores, non amant detineri disputationibus & variarum opinionum relatu.

y) Saepius haec fuit excusa, & Wittebergae tantum annis 1634. 12. 1647. 8. 1654. 12. 1664. 12. impressa. Reliquas editiones quaere in LINDEN. *renou.* p. 236.

z) GEORGII MOCHINGERI *Compendium institutionum medicarum* DANIELIS SENNERTI, *Disputationibus* XVII. *in academia Lipsiensi propositum.* Paris. 1631. 12.

a) CHRISTIANI WINCKELMANNI *Tabulae, institutionum medicinae* DAN. SENNERTI *Summam breuiter & succincte exhibentes.* Witteberg. 1636. fol.

b) IOANNIS IOACHIMI BECHERI *Aphorismi ex institutionibus medicis* SENNERTI *magna diligentia collecti.* Francof. 1663. 12.

c) Louanii 1638. 4. 1644. & 1653. fol.; quarum editionum postrema prioribus est plenior.

d) Pag.

d) Pag. 114. Sufficiet, quem sufficiam in omnium vicem, solus ille nobilis ex virtute doctrinaque, & clarissimus medendi scientia, PLEMPIVS noster, nunquam sine laude loquendus. Cuius ego vel vnos sex libros de fundamentis medicinae tot ceterorum circulo si adstituam, nae isti oppido quam iacere atque sordere incipiunt: ita velut vmbrae luminibus PLEMPII obsolescunt &c.

e) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* part. II. pag. 161. Quid dicemus de PLEMPII fundamentis medicinae, valde a LINDANO laudatis & praepositis omnibus? An par pari referemus? Neutiquam. Est ille liber perdoctus, etsi iudicium hic desidero. Nimius certe in philosophicis, eaque trahit ad artem, quae ad eam non pertinent. Contra in therapeuticis est nimis breuis & ieiunus fere. Quo in genere SENNERTVS se gessit longe prudentius; etsi in pathologicis emineat PLEMPIVS, qui recte symptomatum singularia praetermisit.

f) Quodnam ipsius hac in re fuerit consilium, id ipse enarrat in REINESII *Epistolis ad Hofmannum & Rupertum*, p. 187. Institutionum libri sex constituent opus iustum, quale SENNERTI est. In hoc duo ago. Primo propono breuiter nudam veritatem de singulis. Deinde sub examen voco septem institutionistas, & inter hos SENNERTVM, vt e foro medico euerram omnes quisquilias, discentium industriam remoraturas. Quia tamen vel sic quoque possum prolixior videri, feci quasi sceleton medicinae, imitatione SENNERTI quoque. Haec quando sint proditure, nescio.

g) Paris. 1648. 12. Francof. 1670. 12.

h) Vid. PAVLLI *Quadripartitum botanicum*, p. 148. artic. *Semperuiuum arborescens*, seu, *Sedum maius*.

i) Vid. BAIERI *Biographias professorum medicinae Altorfinorum* p. 48. seqq. vbi haec: cum aliquibus sic satis benigniter egit Hofmannus, non paucos vero animosius ac vehementius exagitauit, vt ἀληθείας, quod tantopere iactabat, studium, φιλονεικίας opprobrio exosum multis redderet. Verum hac ipsa de re plura dicendi se mihi occasio offeret infra cap. VI. sect. I. §. 6.

§. IX.

Circa medium saeculi septimi decimi, detecta & diuulgata a GVILIELMO HARVEO circulatio sanguinis, a maxima equidem medicorum europaeorum parte ciuitate veluti donabatur; nihilo tamen secius publicatae sub id tempus institutiones, etiamsi in earum frontispicio, seu titulo, diuersae innouationes iactarentur, plerumque iuxta placita graecorum, GALENI inprimis, proponebantur. Satis hoc quod di-

xi, testantur atque confirmant IOHANNIS ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Medulla medicinae, partibus IV. comprehensa*, Franequerae 1642. 12. ANTONII DEVSINGII *Synopsis medicinae vniuersalis, seu, Compendium institutionum medicarum, publicis disputationibus exhibitum*, Groningae 1649. 12. ALBERTI KYPERI *Institutiones medicae, ad hypothesin de circulari sanguinis motu compositae*, Amstelodami 1654. 4. & GERH. BLASII scripta, quotquot eorum ad hoc argumentum k) pertinent. Nec minus & reliqui quoque germanici l) medici iisdem fere institere vestigiis plerique omnes. IOH. CHRISTOPH. GEILFVSII *Institutiones* m), *medicae, historiis, obseruationibus rarioribus, secretisque multis auctae*, non exhibent n) in nigro, quod in rubro est promissum. GOTHOF. MOEBII *Epitomen* o) *institutionum medicarum ex neotericorum fundamentis adornatam*, vt & eiusdem *Synopsin* p) *epitomes institutionum cum tabulis XXXIII.* G. C. SCHELHAMMERVS q) ita diiudicauit, vt pretiosum aeque ac vile ingenue distinxerit. IOAN. THEOD. SCHENCKII *Synopsis* r) *institutionum medicinae disputatoriae veterum non minus quam recentiorum fundamentis principiisque illustrata*, maximam sui partem, aeque ac Moebii epitome, nec inficias eunte ipso autore, ex institutionibus SENNERTI est congesta. MAVRITII HOFMANNI *Synopsis institutionum medicinae*, Altorf. 1663. 8. nostra aetate haud auidius solet quaeri, quam IOAN. DAN. HORSTII *Manuductio* s) *ad medicinam*, quae posterior praeterea nimis breuis exiit. De LAZARI contra RIVERII *Institutionibus medicinae*, quae seorsim partim t), partim inter opera eius iunctim u) edita habentur, ex rei veritate scripsit A. O. GOELICKIVS in *Introductione ad historiam litterariam scriptorum, qui institutiones medicas ediderunt*, pag. 78. Semeiotices doctrinam in iisdem optime atque plenissime esse tractatam elaboratamque.

k) Refero huc *Medicinam* eius *generalem*, Amstelodami 1661. 12. excusam, quae auctior deinceps, gerens rubricam: G. BLASII *Medicina,*

dicina, vniuersa hygieines & therapeutices fundamenta exhibens, eodem loco, anno 1665. 4. recusa fuit: cui porro eiusdem autoris *Compendium institutionum medicarum, disputationibus XI. publice ventilatis absolutum,* Amstelodami 1667. 12. est addendum.

l) Exempli caussa: MELCH. SEBIZIVS, PAVLLVS de SORBAIT, PETRVS LINSING.

m) Augustae Vindelicorum 1658. 12.

n) Vid. GOELICKII *Introduct. ad histor. litterar. scriptorum med. instit.* p. 71. vbi scribit: hoc vnicum tantum monere placet, auctorem nostrum longe plus in rubro promisisse, quam in nigro praestitit. Vbi enim sunt rariores obseruationes, quas titulis pollicetur? vbi secreta? quae etiam, si lucerna Diogenis quaereres, non reperies.

o) Ienae 1663. 4.

p) Ibidem 1662. fol.

q) Vide CONRINGII *Introduct. in art. medic.* part. II. pag. 11. Nos hic MOEBIVM commendamus, etsi in pathologicis ac diaeteticis, vti & doctrina de vrinis ac pulsibus, aeque ac SENNERTVS, mole sua laboret, & oneret discentes.

r) Constat ea duabus partibus, quarum prior Ienae anno 1668. in 4. posterior autem, anno 1671. pari forma, eodemque in loco, in lucem protrusa fuit publicam.

s) Marburgi 1648. 8. & auctior Vlmae 1660. 12.

t) Lugduni 1656. 4. Hagae Comitum 1657. & 1662. in 8.

u) Vid. Cap. V. §. 22.

§. X.

Exspirante propemodum saeculo decimo septimo, maiore vsi sunt medici libertate; siquidem GEORG. FRANCVS, IACOBVS PANCRATIVS BRVNO, IACOBVS BARNERVS, MICH. ETTMÜLLERVS, FRANC. ZYPAEVS, IVSTVS VESTI, GEORG. WOLFG. WEDELIVS, IOH. HELFRICVS IÜNGKENIVS, & OLIGER IACOBAEVS, in elaborandis suis institutionibus medicis, prae reliquis eclecticos se gesserunt. GEORGII FRANCI *Institutionum medicarum synopsis,* Heidelbergae 1672. 12. edita, breuior quidem est; propter adiectam tamen simul methodum w) discendi medicinam, haud inutiliter legenda. IACOBI PANCRATII BRVNONIS *Dogmata medicinae generalia, in ordinem nouiter redacta, a rebus extraneis depurata, & ad vera, recentiorum praesertim, principia accommodata,*

data, Norimbergae 1670. 8. aeque ac *Eiusdem propylaeum medicum*, seu *Epitome, mera & vera medicinae elementi & dogmata generalia, quaestionibus & responsionibus complectens*, Altorf. 1696. 8. impressa, a IO. IAC. BAIERO x) haud vulgaribus ornata sunt encomiis. IAC. BARNERVS systemati quidem medico suo vltimam minime admouere potuit manum; interim e ceteris eius, quae reliquit, scriptis, &, qui vel maxime huc pertinet, e *Prodromo* y) *Sennerti noui*, seu, *Delineatione noui medicinae systematis*, facile iudicatu fuerit, eum a GÜNTH. CHRIST. SCHELHAMMERO z) optimo iure, virum ingenio magnum & peritia artis insignem, appellatum esse. MICH. ETTMÜLLERI e contrario *Institutiones medicae*, quae initio sub titulo: *Medicus theoria & praxi generali instructus, hoc est, fundamenta medicinae vera*, Lipsiae anno 1685. 4. exierant, sequenti tempore vniuersis eius a) operibus medicis, longe meliores pariter ac pleniores fuerunt insertae.

w) Vid. Cap. I. sect. VI. §. 8.

x) In biographiis professorum medicinae Altorfinorum p. 121. Secus omnino comparatum est cum Beati BRVNONIS dogmatibus, quae sic appellauit, generalibus medicinae, & horum perpolita epitome, cui titulum ille fecit propylaei medici. Ausim ego affirmare, quod, si quis doctrinam & methodum vtriusque operis laudatissimi bene perspexerit, vltro confessurus sit, vix quicquam exstare accuratius in hoc genere scriptum; adeo recte & ordinate disposita sunt omnia, & limites disciplinae constituti; vt, quod olim CASPAR HOFMANNVS circa institutionum medicinalium correctionem acriter inchoauerat, perfecisse *Pancratius* noster videatur.

y) Augustae Vindelicorum 1674. 4.

z) In additamentis ad Conringii introduct. cap. XI. §. 6. p. 385.

a) De his plura dicturus sum cap. V. §. 28.

§. XI.

FRANCISCI ZYPAEI *Fundamenta medicinae reformata physico-anatomica*, Bruxellis anno 1693. in 8. tertia vice, & quidem optime, b) impressa, habuerunt olim sui amatores. Nec spernenda IVSTI VESTI *Fundamenta medica*, quae primum Erfordiae c) anno

1686.

1686. 12. lucem adſpexerunt, inſecuto vero tempore, iterato prelo, auctiora prodierunt, tertia denique vice impreſſa ſequenti ornata ſunt inſcriptione: IVSTI VESTI *Inſtitutiones medicae reformatae*, *hoc eſt*, *fundamenta medica*, *olim luci publicae expoſita*, *iam vero reuiſa*, *aucta*, *in variis immutata*, *&* *in vſum ſtudioſae iuuentutis denuo edita*, Francofurti & Lipſiae 1697. 8. GEORG. WOLFG. WEDELII *Theoremata medica*, d) *ſeu*, *introductio ad medicinam*, *certis theorematibus*, *iuxta ductum inſtitutionum medicarum*, *abſoluta*, decem quidem conſtant quaternionibus tantum; ipſa tamen rei veritate teſte dici omnino poteſt, paucis multa ibi in medium prolata eſſe, quamuis magnus ille autor, pro vſitata ſibi modeſtia, in praefatione ad lectorem, opuſculum hocce, inſtitutionum-medicarum ſolum vmbram rudi penicillo delineatam, appellare voluerit. IOH. HELFR. IVNGKENII *Fundamenta medicinae modernae eclectica*, *vbi phyſices compendio praemiſſo*, *ex celeberrimis neotericis ſcriptoribus medicis*, *talis per omnes medicinae partes traditur ſelectus*, *cui ars medica*, *per varia opinionum & ſententiarum diſcrimina hactenus volutata*, *firmius nunc innititur*; quae Francofurti 1693. 8. publici iuris facta ſunt, duobus cum dimidio conſtant alphabetis, nec, quantum equidem ſcio, prela denuo ſubierunt. De OLIGERI IACOBAEI *Compendio inſtitutionum* e) *medicarum* vnum ſolum eſt, quod monere iuuat, CASPARVM ſcilicet BARTHOLINVM, in praefatione ei praefixa, ſtudioſis medicinae hunc librum maximo commendauiſſe opere.

b) Vid. *Bibliotheca Riuiniana*, p. 213. Prima autem omnium editio Bruxellis, anno, ni fallor 1683. 8. impreſſa lucem ſalutauit.

c) Vide MOTSCHMANNI *Erfordiam litteratam*, tom. I. pag. 129.

d) Ienae anno 1677. & 1692. 12.

e) Hafniae anno 1694. 8.

§. XII.

Praecipua vero & maxima, quae inſtitutionibus medicis accidit, immutatio, recentisſimis contigit temporibus. Corpuſculari enim, quae dicitur, philoſo-

losophia a CARTESIO e puluere quasi protracta, & per HENRICVM REGIVM primum f) cum arte medica coniuncta, positisque adeo dogmatico-mechanicae, ad hunc vsque diem nimium quantum probatae, medicinae fundamentis, quae immensa ferme cepit incrementa; statuque hominis, cum sano tum aegro, in diuulgatis ab eodem autore *Fundamentis medicis* g), iuxta principia mechanica in genere considerato: factum est inde, vt methodus isthaec, ad cuius ideam ac normam, iam superiori saeculo, IOANNES IACOBVS h) WALDSCHMIDIVS, STEPHANVS i) BLANCARDVS, vt & alii non nulli, medicas suas institutiones adornare conati fuerant, tantum applausum consequeretur, vt plerisque saeculi, quod iam currit, octaui decimi medicis, eandem adoptare, magis magisque perpolire atque suffulcire eandem, & tam institutiones suas, quam reliqua sua scripta medica, ex praescripto huius ipsius methodi elaborare, placuerit k) consultumque fuerit visum. Qua de re iam superius cap. III. sect. I. §. 8. dictum fuit.

f) Vid. REIMMANNI *Histor. litterar. germanor.* tom. vltim. pag. 593. seqq.

g) Vltraiecti 1647. 1657. 1664. 1668. 4. Est ergo, quod merito miremur, has, toties editas, & vel eam ipsam ob caussam, quod omnium primae fuere, quae iuxta Cartesii dogmata atque hypothesin scriptae sunt, memoratu prae reliquis dignas institutiones, ab ANDREA OTTOMARO GOELICKIO, in introduct. in histor. litterar. scriptorum institutionum medicinalium, p. 93. seqq. vbi institutiones secundum philosophiam Cartesianam conscriptas recenset, plane praeteritas esse; pagina ea contra 31, velut in transitu, solum sequentia paucula verba de hoc autore adferri: HENRICVM REGIVM fundamenta medicinae in vltraiectina academia suos docuisse.

h) Institutiones eius medicinae rationalis, quae ab ARCHIBALDO PITCARNIO diuersorum defectuum atque erratorum postuntur, seorsim, quantum equidem scio, non sunt impressae; sed vna cum operibus ipsius medicis, de quibus dicendi cap. V. §. 28. ansam arrepturus sum, iunctim fuerunt editae.

i) STEPHANI BLANCARDI *Institutiones medicae*, non operibus solum medicis ipsius, de quibus agam cap. V. §. 33. simul sunt insertae;

fertao; fed habentur eae feparatim quoque impreffae, cum hac infcriptione: S. BLANCARDI *Cartefianifche Academie, oder, Grundlehre der Arzeney-Kunft,* Lipfiae 1690. 8.

k) Ipfos vero etiam, huic fectae nomen fuum dantes, medicos diuerfiffimis a fe inuicem diuidi fententiis, in variasque factionum fcindi partes, conftat ex iis, quae leguntur apud IOH. CONR. BARCHVSEN in *Differtationibus de medicinae origine & progreffu*, differtat. XXIV. inde a pag. 500. ad p. 558.

§. XIII.

In mechanicorum, qui dicuntur, quique praefenti inprimis faeculo, editis inftitutionibus medicis nomen clarum adfecuti funt, ordine, ex Anglis quidem PETRVS PAXTON, e Scotis, ARCHIBALDVS PITCARNIVS, e Gallis vero, BELLEFONTAINE, & ANTONIVS DEIDIER, ex Italis denique LVCAS TOZZI, & IOHANNES BAPTISTA MORGAGNI, prae reliquis locum fibi vindicant. PETRI PAXTON *Manuductio phyfico-medica,* quae idiomate anglicano, Londini 1707. 8. impreffa eft, vlterius non innotuit mihi, quam, quod eam in actis eruditorum anni 1709. p. 461. fequ. recenfitam inueni. ARCHIBALDI PITCARNII *Elementa* l) *medicinae phyfico-mathematica,* Londini anno 1717. 8. nec non Hagae comitum anno 1718. 4. luci expofita publicae, fingularem plane m) autori fuo conciliauerunt exiftimationem. BELLEFONTANII librum, gallice ita infcriptum: *Medecine dogmatique & mechanique en forme d'inftitution, par Monf.* BELLEFONTAINE, Amftelodami anno 1712. 12. diuulgatum, nondum oculis vfurpaui necdum legi. De ANTONII DEIDIER *Inftitutionibus medicinae theoricae,* Lutetiae Parifior. anno 1731. 12. publicatis, & feruato accurato ordine n) confcriptis, fciendum, eas folam phyfiologiam atque pathologiam tractandam fibi fumere. LVCAE TOZZI *Medicina theoretica & practica,* in qua principia falutaris artis proponuntur, occupant tomum I. operum eius iunctim o) editorum. IOANNIS BAPTISTAE MORGAGNI *Noua inftitutionum* p) *medicarum*

idea, quam autor eruditissimus in oratione inaugurali, Pataui, aggrediens munus professoris medici in dicta academia obeundum, habita, primis lineamentis adumbrauit, est omnino eiusmodi, vt plena elaboratio institutionum medicarum, sperari ab ipso iussa, iam dudum impatienter exspectetur.

l) Constant illa duobus libris, in quorum anteriori *Theoria*, in posteriori vero *Praxis* exhibetur. Vterque liber ea ratione est dispositus, vt prior maximam sui partem vestigia premat SENNERTI; alter e contrario, isque posterior ad modum methodumque *Riuerianam* sit expressus: quo non obstante tamen a dogmatibus vtriusque huius medici saepe receditur.

m) Vide capitis V. §. 29. inferius.

n) Vide Noua litterar. anni 1732. p. 604.

o) Confer. capit. V. §. 31.

p) Pataui 1712. 4. & Lugdun. Bat. 1740. 4. Recensitum hunc tractatum in actis eruditorum, & quidem anno 1713. p. 35. seq. legere licet.

§. XIV.

Quod si iam illorum e Germanis medicorum facienda mihi foret mentio, qui nuperrimis temporibus, ad ductum principiorum mechanicorum, medicas suas institutiones conscribere studuere; haud exiguus profecto scriptorum huius generis emersurus esset numerus. Lucrandi autem & temporis & spatii caussa, eos saltem, qui pro praecipuis haberi queunt, commemorabo; suntque hi, qui mox sequuntur. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI *Medicina* q) *nouantiqua*, quae primum Francofurti ad Moenum anno 1698. 4. deinde vero eodem loco, attamen cum non nullis r) additamentis, anno 1713. 4. impressa fuit, istud, prae ceteris huius argumenti scriptis, habet praecipue & veluti singulare, quod autor sua ibi proposita dogmata, singulatim perque omnes eorum partes, testimoniis HIPPOCRATIS, ea ratione corroborare atque confirmare studuit, vt putaret s), elaboratas ac dispositas isto modo institutiones medicas, ob summam HIPPOCRATIS, qua vbique pollet, existimationem, posse penes medicos eandem

eandem propemodum autoritatem obtinere, qua Imperatoris IVSTINIANI inſtitutiones gaudere ſolent penes legum peritos. Haec ipſa vero ſpes ideo fortaſſe ad hoc vsque tempus nondum fuit impleta, quod aliae quoque ſectae, quo defendant ſuas hypotheſes, aeque ac mechanici atque chemici, refugium apud HIPPOCRATEM, vtut fruſtra t) plerumque, quaerere conſueuerint.

q) *Seu, curſus artis medicae, e fontibus Hippocratis, iuxta principia naturae mechanica, mentemque modernorum, erutus & illuſtratus, in quo, per formam inſtitutionum, generalia medicinae fundamenta, conſpectus materiae medicae ſelectioris, methodus praeſcribendi formulas, monita practica, cum potioribus artis chymicae, chirurgicae ac obſtetriciae encheireſibus, traduntur.*

r) *Accedunt miſcellanea curioſa & fructifera, de nouellarum publicarum vſu & abuſu in rebus phyſico-medicis. Diſſertatio melicomedica de pulſu, cum vrocriterio medico-politico. Triga remediorum antipodagricorum, nouiſſimorum aeque ac probatiſſimorum. Allocutiones promotoriales.*

s) Propria eius verba, in praefatione alteri editioni praemiſſa, ſunt ſequentia: Saepius ergo cogitaui, annon quis operae pretium mereretur, ſi recepta modo artis & naturae principia e fontibus ſenis noſtri deriuaret, & non tantum e libro aphoriſmorum, ſed & reliquis eius ſcriptis, methodo a IACOBO SPONIO haud infeliciter tentata, dogmata philiatris ſcitu magis neceſſaria erueret, ac in artis formam redigeret, quae viris publico bene cupientibus eo gratiora videri poterant, quo pluris aeſtimari ſolet autoritas ſenis venerandi, non ſolum ab anteceſſoribus noſtris, ſed & moderni ſaeculi archiatris & proceribus artis celebrioribus. Quin & ita fore ſperabam, vt (quae vsquedum deſiderari videntur), inſtitutionibus aliquando gaudeamus, non ratione tantum & experientia, ſed & autoritate munitis, quarum intuitu theologis aeque ac iuriſconſultis hactenus infeliciores ſumus. Illi enim ſacrum habent codicem, indeque deſumtas inſtructiones catecheticas, quibus in omnibus orthodoxiae punctis, tanquam filo quodam ariadnaeo ducuntur. Hi quoque ſuis gaudent inſtitutionibus *Iuſtinianeis*, omnis iuris nucleum & medullam inuoluentibus. Quid vero medici? Errant ſine regula vbique recepta, quum tot hic ſenſus ſint, quot capita.

t) Vide capitis III. ſect. I. §. 7.

§. XV.

Celebratiſſima illa fama, quam duo haud ita pridem viuis exemti viri, FRIDERICVS HOFFMAN-

NVS & HERMANNVS BOERHAAVIVS, inter mechanicos, quos ita dicunt medicos, optimo iure consecuti sunt, apud seros etiam posteros indelebili memoria perennabit. FRIDERICI HOFFMANNI *Fundamenta medicinae ex principiis naturae mechanicis succincte proposita*, quae initio Halae anno 1695. 8. excusa, eodemque loco, variis tamen cum immutatis tum emendatis, anno 1703. & 1707. pari forma recusa fuerunt, recentissime, anno nempe 1740. Geneuae operibus vniuersis u) magni huius medici iunctim editis in forma, quae folii dicitur, sunt inserta. HERMANNI BOERHAAVII *Institutiones medicae*, quae, ob sui praestantiam, singularem plane & minime vulgarem applausum meruere, ex eo quo primum prodiere tempore, anno scilicet 1708. 12. diuersis w) in locis crebrius prela exercuerunt. Eaedem nuper admodum, ad vsum commodiores atque vtiliores redditae sunt, quando dignus autoris sectator atque auditor, ALBERTVS HALLERVS, non solum, ex diuersis inter sese collatis manuscriptis codicibus, HERMANNI BOERHAAVII *Praelectiones* x) *academicas in proprias institutiones rei medicae* typis exscriptas diuulgare; sed propriis etiam ab ipso adiectis annotationibus, lectu oppido dignissimis, tali ratione illustrare occoepit, vt discipulus magistro ipso fere maior videatur.

u) Vide capitis V. §. 34.

w) Exempli caussa: Lutetiae Paris. 1722. 12. Lugduni Batau. 1727. 8.

x) Harum praelectionum ad hoc vsque, quo isthaec scribo, tempus, quatuor omnino volumina formae octopartitae Goettingae in lucem sunt prolata; vna cum quinto autem volumine physiologia & totus simul, id quod dolendum, Commentarius *Hallerianus*, finem accipiet. Sub finem namque praemissae quarto volumini, quod Goettingae anno 1743. 8. in auras litterarii luminis prodiit, praefationis, sequentia lego verba: Quintum volumen, quo physiologia absoluitur, anno vertente spero me expediturum, collecturus interim vota gnarorum, an sextum velint, practicas traditurum institutionum partes; sed absque meo commentario.

§. XVI.

§. XVI.

Praeter enumeratos hactenus, aliorum quoque non nullorum *) e Germanis medicorum mentio iniicienda mihi hoc loco videtur, illorum scilicet, qui in componendis institutionibus medicis suis atque diuulgandis, partim mechanicos, partim eclecticos sese gesserunt. Ad priorem classem CHRISTIANVS VATERVS, CHRIST. GODOFREDVS STENTZELIVS, LAVRENTIVS HEISTERVS, & IOHANNES FRIDERICVS SCHREIBERVS; ad posteriorem contra, ELIAS CAMERARIVS, & SERVATIVS AVGVSTINVS DE VILLERS, referri possunt. CHRISTIANI VATERI *Institutiones medicae, succinctis aphorismis comprehensae, & experimentis hodiernis physicis, mechanicis, anatomicis, & chymicis illustratae ac confirmatae,* Wittebergae anno 1722. 4. editae, ob breuem quidem atque compendiosam, ast perspicuam simul deductionem, lectu sunt omnino vtiles. CHRIST. GODOFREDI STENTZELII *Medicina theoretico-practica, aphorismis in vsum auditorum suorum comprehensa,* ac Francofurti & Lipsiae 1732. 8. emissa in lucem, in Nouis Lipsiensium litterariis dicti anni 1732. pagina 78. singulari plane encomio y) ornata legitur. LAVRENTII HEISTERI *Compendium institutionum medicinae,* Helmstadii 1736. 4. expeditum, propter adiectam methodum de studio medico optime instituendo & absoluendo, vna cum scriptoribus medicinae studioso maxime necessariis, tironibus inprimis studii medici est commendandum. IOHANNEM e contrario FRIDERICVM SCHREIBERVM quod attinet, eius *Elementorum medicinae physico-mathematicorum* tomum solum primum, Francofurti & Lipsiae anno 1731. exscriptum typis, videre hactenus mihi contigit z). ELIAE CAMERARII *Systema cautelarum medicarum circa praecognita, partesque singulas artis saluberrimae, discentium commodo, methodo eclectica concinnatum,* Francofurti ad Moenum anno 1721. 4. impressum, quod ad CHRISTIANI THOMASII exemplum

emplum exstructum est, in ipso frontispicio ac titulo satis ostendit, autorem in nullius sectae medicae verba iurasse, nec huius vel illius legibus teneri voluisse. Pari libertate SERVATIVS quoque AVGVSTINVS DE VILLERS est vsus: cuius *Libri duo institutionum medicarum, complectentes physiologiam & hygieinen, veterum placitis, legibus hydraulicis, principiis mechanicis, recentiorum inuentis, nec non solidis & demonstratiuis inde deductis ratiociniis innixi,* Louanii anno 1736. 4. sunt publicati.

*) Nisi breuitati studendum mihi foret; possem praeterea THEODORI ZWINGERI *Compendium medicinae vniuersae,* seu, *Enchiridion medicinae theoretico-practicae, ad mentem* ETTMÜLLERI, BOHNII, BOERHAAVII, HOFFMANNI, *& aliorum celebrium medicorum,* Basileae anno 1724. in 8. impressum; porro ANTONII PHILIPPI QVEITSCHII *ἰατρομαθηματογραφίαν synopticam, siue, totius corporis medicinae archetypum, cunctas disciplinas medicas, quoad classes speciesque suas supremas & subalternas omnes, tabulis medicis vniuersalibus XV. eleganti ordine, & vnico intuitu, non tantum exhibentem, sed etiam breuissime describentem,* Francofurti ad Viadrum anno 1737. fol. emissam; IOHANNIS denique MAVRITII HOFFMANNI *Sciagraphiam institutionum medicarum per quaestiones ac responsiones designatam,* quam IOH. HENR. SCHVLZIVS dignam iudicauit, quam e manuscripto excudendam, & recentissime quoque Halis Sax. 1743. 8. recudendam curaret, vna cum diuersorum aliorum autorum scriptis, allegare atque recensere: quibus tandem omnibus IOANNIS DE GORTER *Compendium medicinae,* Lugduni Batauorum anno 1731. in 4. editum, adsociandum merito fuisset.

y) Fatendum, inquiunt ore Germano, in paucis hisce quaternionibus tantum afferri boni, quantum vix ac ne vix quidem in vno aliquo amplissimorum systematum deprehenderis.

z) Recensita leguntur illa in Actis eruditorum anni 1731. & quidem mense Augusto.

§. XVII.

Ad extremum, nec illi omnino mihi praetereundi videntur, quibus elementa medicinae iuxta hypotheses *Stahlianas* efformare lubuit, quorum societati GEORGIVS PHILIPPVS NENTERVS, IOHANNES SIMON BAVERMÜLLERVS, & GEORGIVS DANIEL COSCHWIZIVS ab ANDREA OTTOMARO GOE-

GOELICKIO a) accensentur. GEO. PHILIP. NENTERI *Fundamenta medicinae theoretico-practica* Argentorati anno 1718. 4. edita, acrem b) in Bibliotheca, quae dicitur, mixta [*in der vermischten Bibliothec*] censuram subire coacta sunt. IOHANNIS SIM. BAVERMÜLLERI *Specimen theoriae medicae*, anno 1716. 8. impressum, ideo notatu est dignum, quod STAHLIVS ipse, dum in viuis esset, autori huius opusculi testimonium perhibuit c), eum esse vnum ex auditoribus suis, qui omnium optime d) hypotheses suas perceperit. De GEORG. DAN. COSCHWIZII *Organismo & mechanismo in homine viuo obuio & stabilito*, iam capite e) praecedente dixi. Quod vero MICHAELIS ALBERTI *Introductio in vniuersam medicinam, tam theoreticam, quam practicam, certis positionibus comprehensa*, quae Halae 1718. in 4. prodiit, ab A. O. GOELICKIO, in toties iam allegata introductione, penitus omissa fuerit; istud eo magis mirandum, quo liquidius constat, celeberrimum istius libri autorem praecipuis *Stahliani* nominis sectatoribus esse adnumerandum. Ne igitur similis negligentiae & ipse reus euadam, sub finem huius capitis atque paragraphi, istud adhuc monere volui, ANDR. OTTOMARI GOELICKII *Institutiones medicas, secundum principia mechanico-organica reformatas* f), quarum iam sub initium praesentis capitis mentionem me facere memini, etiam ad hancce classem g) esse referendas.

a) In *Introductione in historiam litterariam scriptorum, qui institutiones medicinae illustrarunt*, pag. 191. seqq.

b) Vide STOLLII *Historiam medicinae litterariam* pag. 379. seqq.

c) Vide *Synopsin medicinae Stahlianae*, pag. 7. D. BAVERMÜLLER, vir cum iudicio & peritia solide doctus, quamuis auditor meus non nisi per paucas septimanas fuerit, tamen ea patientia schediasmatum meorum plerorumque, adhuc Viennae degens, sensum affecutus est, vt saepe optauerim, multos reliquorum meorum auditorum illum aequis passibus sequi vel voluisse, vel valuisse.

d) Erroneum adeo est, quod GOELICKIVS *cit. introduction.* pag. 196. adseruit, D. BAVERMÜLLERVM nunquam omnino ipsum audiuisse STAHLIVM, sed scripta tantum eiusdem legisse.

e) Vide

e) Vide cap. III. sect. II. §. 6.

f) *In quibus, ostensis naeuis, resectisque superuacuis atque inutilibus aliorum speculationibus, ea tantum traduntur, quae vsui vere medico inseruiunt, perpetuumque inter theoriam & praxin nexum demonstrant.* Francofurti cis Viadrum 1735. 4.

g) CHRISTIANVM de cetero FRIDERICVM RICHTERVM primum fuisse, qui principia *Stahliana* Theoriae medicae lingua germanica vulgaret; CHRISTIANVM contra WEISSBACHIVM primum germanicam praxin medicam ad mentem STAHLII expediuisse: istud vtrumque a me in *Stolliana historia medicinae litteraria*, pagina 511. sequ. iam fuit obseruatum.

CAP. V.

DE SCRIPTORIBVS SYSTEMATVM OPERVMQVE MEDICORVM.

CONTENTA:

Instituti ratio, §. 1. *Scriptores operum medicorum latino-barbari*, §. 2 - 7. *Scriptores operum medicorum saeculi XVI. iique Hispani*, §. 8. 9. *Galli*, §. 10. 11. *Itali*, §. 12 - 16. *Germani*, §. 17 - 19. *Scriptores operum medicorum saeculi XVII. iique Hispani & Angli*, §. 20. *Galli*, §. 21. 22. *Itali*, §. 23. 24. *Germani*, §. 25 - 28. *Scriptores operum medicorum saeculi XVIII. iique Angli*, §. 29. *Itali*, §. 30 - 32. *Germani*, §. 33 - 35.

§. I.

In scenam iam productis capite secundo praestantissimis, quos tum Graecia, tum Latium, tum Arabia genuit, medicis; iisque, quae de relictis ab iisdem scriptis scitu maxime erant necessaria, prolatis in medium; addita denique obseruatione, horum vltimis, Arabibus nempe, prima systemata medica esse accepta ferenda: restat iam, vt ex sequentium temporum medicis illos succincte annotem, qui prae reliquis omnem

omnem mouerunt lapidem, vt, secundum hypotheses a) anteceſſorum ſuorum, vel peculiaria ſyſtemata conderent atque elaborarent, vel diuerſas artis medicae, tam qua theorian, quam qua praxin ſpectat, partes, idque in diuerſis ſingulatim prius editis, deinceps vero in vnum corpus coactis, typisque ſimul exaratis b), tractatibus, illuſtrarent. Horum ego celeberrimos, ordine temporum ſeruato, allegabo, optimas atque plenisſimas editiones annotabo, doctorum denique virorum lata de iisdem iudicia paucis verbis recitabo.

a) Apud latino-barbaros, a ſaeculo inde duodecimo, ad decimum vsque ſextum, arabica dogmata paſſim inualuiſſe atque praeualuiſſe; graecanicam e contrario medicinam, reſtitutis artibus ac diſciplinis, mox iterum emerſiſſe: id vero, tanquam ex hiſtoria artis medicae litteraria iam notum, praeſupponitur.

b) Eam ipſam ob cauſſam, de iſtius generis ſcriptoribus, qui de variis medicinae partibus libros a ſe compoſitos emiſerunt; quorum autem opera non iuncta ſimul ſunt publicata, nihil praeſenti in loco ſum dicturus; ſed eorundem recenſionem, ſi qua opus fuerit, alteri huius bibliothecae tomo inſerendam ſeruabo.

§. II.

Quandoquidem igitur a Salernitanae ſcholae medicis, & ab oriundis hinc ita dictis latinobarbaris, initium mihi hic faciendum eſt; hi ipſi autem, maximam partem, c) practicis ſolum, pharmaceuticis atque diaeteticis operibus componendis occupati fuerunt: paucisſimi omnino ex immenſa eorundem cohorte locum hic aliquem tueri poterunt; ſiquidem ex vndecimo ſaeculo vnicus ſaltem CONSTANTINVS AFRICANVS; e decimo tertio THADDAEVS FLORENTINVS, & BERNHARDVS GORDONIVS; e quarto decimo ARNOLDVS VILLANOVANVS & THOMAS DE GARBO; & e decimo denique quinto HVGO BENTIVS, ſeu, HVGO SENENSIS, ANTON. GVAINERIVS, IOH. MICH. SAVONAROLA, & BARTHOLOMAEVS MONTAGNANA huc referri merebuntur.

c) Moni-

e) Monitum enim est a me iam capitis II. sect. III. praecipuum horum laborem in eo versatum fuisse, vt commentarios libros conscriberent in AVICENNAM, RHAZIN, MESVEN & *Scholam*, quae dicitur, *Salernitanam*.

§. III.

CONSTANTINVM AFRICANVM primum fuisse, qui operam daret, vt medicina Arabica & Graeca, post diuturnam illam barbariem, in Italia reflorescere, eumque adeo prima fundamenta Salernitanae insecutis temporibus nimium quantum celebrandae scholae, posuisse, inficias quidem iri nequit; attamen & hoc sciendum, scripta, eius praeferentia nomen, maximam sui partem, ex peregrinis adeoque tum temporis incognitis Arabum operibus plagio d) subducta, & latinitate inculta atque incomta esse donata. Optima horum editio sequenti ornata est titulo: CONSTANTINI AFRICANI *Opera, vndique magno studio conquisita. Basileae 1536. fol. Eiusdem opera reliqua. Ibidem 1539. fol.* Exstant *tomo* I. *de morborum cognitione & curatione libri* VII. *de remediorum & aegritudinum* *) *cognitione lib.* I. *de vrinis lib.* I. *de stomachi* **) *affectionibus naturalibus & praeter naturam, liber* I. *de victus ratione variorum morborum lib.* I. *de melancholia lib.* II. *de coitu lib.* I. *de animae & spiritus discrimine lib.* I. *de incantatione, adiuratione & colli suspensione epist.* I. *de passionibus mulierum & matricis lib.* I. *de chirurgia lib.* I. *de gradibus simplicium medicamentorum lib.* I. *tomo* II. *locorum communium medicinae libri* X. *in quibus omnia, quae proprie theorices sunt, ita explicantur & tractantur, vt medicum futurum optime formare & perficere possint.* Minime vero putandum, vniuersa CONSTANTINI opera duobus hisce compacta tomis contineri: sed reliquos eius *Tractatus de humana natura, de elephantia, &, de remediorum ex animalibus materia*, partim aliorum scriptorum e) operibus adsociatos, partim & seorsim f) excusos prodiisse in lucem, sciendum est.

d) Vide *Medicinisches Gelehrten-Lexicon* p. 215. seq. quo loco docui, errasse CONRINGIVM, opinantem in *Introduct. in art. medic.*

dic. p. 128. latitasse per aliquot saecula CONSTANTINI AFRICANI plagia; detecta enim omnino illa iam fuerunt per GERHARDVM CARMONENSEM, qui, veluti FABRICIVS in *Bibliotheca mediae & infimae latinitatis* lib. VII. p. 113. seq. demonstrauit, anno 1184. aetatis 73. vita functus est.

*) Est is veluti compendium seu breuiarium quoddam praecedentium septem librorum.

**) In praefatione docet CONSTANTINVS, primum se esse, qui hac de materia ex instituto scripserit.

e) Basileae 1541. fol. qua de collectione cap. VII. sect. II. §. 15. infra legi potest.

f) Basileae 1543. fol. vid. *Bibliothec. Thuan.* part. II. p. 139. In CONRADI enim GESNERI *Bibliotheca vniuersali* p. 186. annus impressionis est omissus.

§. IV.

Inter scripta THADDAEI FLORENTINI, practici suo tempore perquam equidem celebris, sed qui suam quoque nimis caro locaret operam aegrotis, quorum pleraque g) Venetiis anno 1527. fol. iunctim impressa sunt, memoratu ideo digna sunt potissimum *Consilia medica;* quoniam autor, inter latino-barbaros, vna cum WILHELMO h) DE SALICETIS, primus i) fuit, qui in isthoc opere mentionem quandam remediorum chemicorum k) fecerit. BERNHARDI GORDONII *Lilium medicinae*, quod, vna cum reliquis l) ipsius tractatibus, saepius m) editum, plenissime n) autem Lugduni 1580. 8. diuulgatum, magni o) quondam fuit aestimatum, hodie vero non amplius pensi habetur nec quaeritur vlterius. Dubito etiam, relictas ab eodem easque manuscriptas *Commentationes de medicamentorum gradibus, de marasmo, de theriaca*, quae in *Bibliotheca Schenckiana* exstitisse perhibentur, lucem vnquam publicam esse adspecturas.

g) THADDAEI *Expositiones in arduum aphorismorum Hippocratis volumen. In diuinum prognosticorum Hippocratis librum. In praeclarum regiminis acutorum Hippocratis opus. In subtilissimum Iohannitii isagogarum libellum*, IOH. BAPT. NICOLLINI *opera in lucem emissae. Venet.* 1527. *fol.*

h) Vid. FREIND *Histoir. de la medecine* part. III. p. 53. Quemadmodum ergo hic inter Italos, ita ARNOLDVS VILLANOVANVS inter

gallicos, GILBERTVS vero ANGLICVS inter Anglicanos medicos, primi fuerunt, qui chemica in praxi adhiberent medicamenta. De medicis autem tantum mihi sermo; alioquin enim ROGERIO BACONI hunc sine dubio honorem deberi, scio.

i) CONRING. *De medicina hermetica*, lib. II. cap. 15. pag. 413.

k) V. g. De aqua destillata aduersus dysuriam, de spiritu vini &c.

l) E. c. *De indicationibus curandorum morborum; de victus ratione & pharmacorum usu in morbis acutis; de prognosticis; de vrinis & cautelis earum; de pulsibus; de conseruatione vitae humanae; de phlebotomia &c.* Iam pridem autem obseruauit I. A. FABRICIVS in *Bibliotheca mediae & infimae latinitatis* lib. II. p. 630. Quod pleraque BERNARDI opuscula, *De vrinis, de pulsibus, de febribus, de sterilitate, de conseruatione vitae humanae &c.* ex eodem *Lilio* repetita sint.

m) FABRICIVS l. c. editionem Venetam anni 1494. fol. ceu omnium primam indicauit. In eo vero errasse ipsum, testis est *Bibliotheca Riuiniana* p. 424. vbi editio Lugdunensis anni 1491. fol. allegatur: editus vero etiam praeterea est practicus iste liber, cui *Lilium medicinae* titulus, Venetiis 1498. fol. Lutetiae Parisior. 1542. 8. Lugduni 1559. 8. ibidem 1574. 8. &, quemadmodum e *Bibliothecae Meibomianae* parte III. p. 170. disco, Francofurti quoque anno 1617. 8. cura PETRI VFFENBACHII.

n) Vid. SCHENCKII *Bibliothecam medicam* p. 100.

o) Vide CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 28. p. 103. vbi haec leguntur: Longe clarius nomen obtinuit BERNARDVS DE GORDONIO, excellentissimus medicus, & per viginti annos in academia montispessulana professor, doctissimo opere *Lilii medicinae, & tractatu de conseruatione vitae humanae* clarus. Longe sequius autem iudicium de eodem lego in FREINDII *Histoire de la medecine*, part. III. pag. 73. seq. his verbis: Il nous a laissé vn ouurage assez gros, intitulé *Lilium medicinae;* car dans ce siecle, ou regnoit absolument l' affectation, tout ce qu'on ecriuoit touchant la medecine, étoit touiours ou Rose ou Lis. Cet ouurage eut vne tres grande vogue en ce tems-la. Cependant il contient à peine la moindre chose, qui mérite de l' attention.

§. V.

De ARNOLDI VILLANOVANI, cuius tanta p) quondam q) fuit existimatio atque autoritas, vita aeque ac scriptis, horumque diuersis editionibus, NICOL. ANTONIVS in *Bibliotheca Hispan. vet.* T. II. p. 74. seqq. optime atque sufficienter lectorem curiosum instruit. Opera eius ad artem medicam r) spectantia, quae Lugduni primum anno 1504. fol. deinde,

de, hoc titulo insignita: ARNOLDI DE VILLANOVA *Opera medica*, Lutetiae Paris. 1509. fol. tum, isthanc rubricam praeferentia: *Opera medica & chimica*, Venetiis 1514. fol. excusa, Lugduni quoque 1520. fol. recusa; plenissime tandem, operam impendente NICOLAO TAVRELLO Basileae 1585. folio in lucem s) emissa sunt litterariam. Contenta in illis, & quidem in tractatibus primae editioni insertis, indicauerunt CONR. GESNERVS in *Bibliotheca vniuersali*, p. 93. IOH. IAC. FRISIVS in *Bibliotheca*, pag. 82. & SCHENCKIVS in *Bibliotheca medica*, pagina 73. sequ. Elenchus autem scriptorum, vltimae eique Basileensi editioni inditorum, quaeque ordine longe alio hic, quam in prioribus editionibus, comparent, in LINDENIO *renouato*, pag. 90. seq. multo melius autem & accuratius t) in ANTONII *Biblioth. Hisp. vet.* tom. II. p. 77. seq. legi u) potest; quanquam ibi, per lapsum memoriae, TAVRELLVS, HIERONYMVS TAVRELLVS sit adpellatus. THOMAM DE GARBO quantum adtinet, non est vlterius quod moneam, quam, quod plerique eius libri, inscriptione ornati sequente: THOMAE DE GARBO *Summa medicinalis. Cui accedunt Tr. de restauratione humidi radicalis; Tr. de reductione medicinarum ad actum, cum tabula quaestionum &c.* Lugduni 1529. folio iunctim w) editi lucem adspexerint; postquam iam antea Venetiis 1521. fol. diuulgati fuerant.

p) Vid. BLOVNT. *Censur. celebrior. autor.* p. 427. seq. Iudiciis, quae ibi collecta inueniuntur, addo id, quod ANTONIVS in *Bibliothec. Hisp. vet.* tom. II. p. 75. inseruit, his verbis: Magnum philosophum atque medicum omnes omnium aetatum scriptores, qui de ARNOLDO VILLANOVANO agunt, constantissime agnoscunt; sed & magnum theologum addunt, nisi quod foedissimos quosdam errores aduersus veram theologiam & summa religionis admisit capita.

q) In STOLLII *Historia medicinae litteraria* p. 123. haec leguntur latine reddita: praxis eius & alchemiae astrologiaeque studium, magnum quondam ipsi conciliauerunt nomen, quod vero iam dudum est exstinctum. Adeo tempora mutantur, & mutantur in iisdem iudicia hominum.

r) Nonnullos autem eius, chemicos praesertim, tractatus inter manuscripta latitare hactenus, recte c. l. monuit ANTONIVS. Quod vero attinet impressa & sub eius nomine diuulgata scripta, dudum iam obseruauit in *Bibliotheca vniuersali* GESNERVS pag. 93. sequentia: quod autem non omnia praescripta opera ARNOLDI genuina sint, patet in *Tractatu de bonitate memoriae. Herbarium* quoque, constat, non esse ARNOLDI, quoniam ARNOLDVS alicubi in eo citatur.

s) ARNOLDI DE VILLANOVA *Opera medica & chemica, cum ipsius vita, &* NICOLAI TAVRELLI *In quosdam libros annotationibus. Basileae 1585. fol. apud Conr. Waldkirch.* vid. *Biblioth Riuin.* p. 124. Non penetro itaque, qua re deceptus accuratus ille alias ANTONIVS scribere potuerit in *Biblioth. Hisp. vet.* tom. II. p. 77. sequentia; sed vltimam similiter inscripiam editionem in manibus habemus, cum annotationibus ad quosdam libros HIERONYMI TAVRELLI Montbelgardiensis, in Altorphiana schola professoris medici, Basileae apud PETRVM PERNAM anno 1585. quam nunc describimus.

t) In LINDENIO enim *renouato* non tractatus tantum non nulli penitus sunt omissi, sed quorundam etiam tituli mutilati sunt. In SCHENCKII vero *Bibliotheca medica* p. 73. videtur quidem autor lectori communicare velle elenchum quendam librorum in Basileensi editione obuiorum; ast in ipso iam textu dixi, elenchum istum e GESNERO totum descriptum, & ad seriem editionis Lugdunensis prioris adornatum.

u) Sic v. g. ab ANTONIO c. l. recensentur ARNOLDI DE VILLANOVA *Regimen castra sequentium; eiusdem tabulae, quae medicum informant specialiter, quum ignoratur aegritudo. Eiusd. Quaestiones super libello de mala complexione &c.* quae omnia non allegantur in LINDENIO *renouato.* Longe quoque pleniores exhibentur plerorumque operum tituli, additis non nunquam & obseruationibus non nullis. Separatae quoque editiones ac versiones quorundam tractatuum passim adnotantur; quibus tamen singulis me immorari, non finit instituti mei ratio.

w) Vid. GESNERI *Bibliothec. vniuersal.* p. 617. vbi sequentia legi possunt: THOMAS DE GARBO patria florentinus, DINI quondam medici filius, vir in medicinis doctus, vestigiis eruditissimi patris inhaerens, edidit in sua facultate medicis non spernenda opuscula, e quibus exstat valde notabilis *Summa medicinae,* & quaedam alia.

§. VI.

HVGONIS BENTII, seu, HVGONIS SENENSIS, *Opera,* primum singulatim x), deinceps vero Venetiis 1518. fol. iunctim impressa, complectuntur *Commentarios*

tarios quosdam in HIPPOCRATIS *aphorismos*, GALENI *artem paruam*, *& aliquot partes canonis* AVICENNAE. CONRINGIO quidem iudice, y) autori huic laus eruditionis deneganda non est; ipsum vero simul magnum thrasonem egisse, & ob iactatam passim polyhistoriam, in collegio doctorum suffenorum, quos peregrina voce *Charlatanos* vocare consueuimus, locum non infimum meruisse, obseruauit IOH. ALBERTVS z) FABRICIVS. ANTONII GVAINERII *Opus practicum*, quod vna cum *Antidotario* eius aliisque non nullis libellis *De venenis*, *de balneis*, *de febribus*, Papiae 1518. 4. cum additamentis IOH. FALCONIS simul excusum, nec non Lugduni 1525. 4. recusum fuit, stilo quidem, qualis tum vigebat, barbaro-latino a) conscriptum est, de rebus tamen ibi contentis CONR. GESNERVS in *Biblioth. vniuersali* p. 58. HERM. CONRINGIVS b) in *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 28. & IOH. RHODIVS c) in *Bibliotheca medica*, admodum honorifice pronunciarunt.

x) LINDEN. *renouat.* p. 471.

y) In *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 28. vbi vir praeclarae eruditionis appellatur. Immo in GESNERI *Biblioth. vniuersali* p. 339. plus dicitur sequentibus verbis: HVGO SENENSIS, vir in saecularibus litteris eruditissimus, & diuinarum scripturarum non ignarus, philosophus clarus & medicus celeberrimus, scripsit in medicina non parui pendenda volumina. Nec tamen oblitus est cordatus ille GESNERVS, naeuos quoque huius viri ostendere, & ampullas ab illo proiectas sesquipedaliaque eiusdem verba, ex AENEAE SYLVII *Descriptione Europae* cap. 52. luculenter atque sufficienter delineare & enarrare.

z) In *Bibliotheca mediae & infimae latinitatis*, lib. VIII. pag. 879. HVGO BENTIVS, *Senensis*, philosophus & medicus insignis, qui docuit Ferrariae, vbi in concilio anno 1438. inuitatos ad coenam graecos & latinos philosophos theologosque rogauit, vt proponerent, quicquid vellent, eorum se doctrinis responsurum, ac partes siue PLATONIS, siue ARISTOTELIS defensurum. Docuit deinde Parmae, atque diem Romae obiit 1448. Exstant eius opera iunctim edita Venetiis 1518. fol. volum. 2. in quibus *Consilia medica & commentarii* in HIPPOCRATIS *aphorismos*, *artem* GALENI, atque AVICENNAM.

a) Vide GESNERI *Bibliothecam vniuersalem* p. 58. ANTONIVS GAYNERVS, siue, GVAINERIVS, artis medicinae doctor celeber-

berrimus, scripsit in ea doctrina quaedam luculenta opuscula, quibus nomen suum posteritati notum reddidit. Stilus quidem barbarus est; sed medendi ratio & medicamenta ipsa legi nequaquam indigna.

b) Pag. 103. seq. Circa finem decimi quinti saeculi vixerunt IOHANNES MICHAEL SAVONAROLA, Patauinus, ANTONIVS GVAINERIVS, *Papiensis* natione, & ANTONIVS CERMISONVS, omnes editis practicis, iisque doctissimis, libris clarissimi.

c) Pag. 141. GVAINERII praxis cautionibus & remediis praestans, praecipue simplicibus appropriata & in victu. Diligens scriptor & fertilis.

§. VII.

IOH. MICH. SAVONAROLA, quem CASPAR A REIES d) maximum arabicae factionis asseclam vocauit, varia ad rem medicam spectantia e) reliquit scripta, quorum non nulla singula f), alia vero iuncta prodierunt prelo. Ad posteriora, qualium hic census habetur, referenda sunt sequentia: I. M. SAVONAROLAE *Canonica de febribus. Summa de pulsibus. De vrinis. De egestionibus. De balneis omnibus Italiae. Tractatus sublimis de vermibus.* Venet. 1498. fol. Hos ipsos quoque libros, eodem in loco, anno 1552. fol. & 1562. itidem folio; porro Lugduni 1560 8. attamen cum additamentis CAESARIS OPTATI *De febre hectica*, nec non cum IAC. SYLVII *Commentario de omni febrium genere*, recusos esse, discimus ex MERCKLINI LINDENIO *renouato* pag. 643. BARTHOL. g) MONTAGNANAE *Selectiorum* h) *operum, in quibus eiusdem consilia, variique tractatus alii, tum proprii, tum ascititii continentur, liber vnus & alter*, qui Venetiis anno 1497. folio iunctim exiuerunt, a PETRO VFFENBACHIO Francofurti anno 1604. fol. & postea Norimbergae 1652. fol. optima nota sunt editi, a CONRADO i) GESNERO encomio ornati; *Consilia* vero eius *medica* ab HERM. k) CONRINGIO maxime commendata sunt; etsi PETRVS MONAVIVS in his, quae desideraret atque carperet l), inuenisse sibi visus fuerit.

d) In *Elysio iucundarum quaestionum campo*: quaestion. 49. pagina 610.

e) De

e) De his CONRINGIVS in *Introductione in art. medicam* cap. VII. §. 6. p. 237. ita scribit: clara sunt & multa eruditione referta practica opera IOH. MICH. SAVONAROLAE.

f) Exempli gratia: *Practica de aegritudinibus a capite vsque ad pedes; Tr. de balneis; Tr. de arte conficiendi aquam vitae simplicem & compositam, deque eius admirabili virtute ad conseruandam sanitatem, & ad diuersas humani corporis aegritudines curandas.*

g) Historicos multos patrem & filium, homonymum vtrumque, inter se confudisse, scriptaque non nulla seniori tribuisse, quae tamen cuncta sint iunioris, iam dudum obseruauit CAROLVS PATINVS in *Lyceo Patauino* p. 17. seq. Vbi simul refert, artis medicae scientiam & praxin in hac familia iam per duo saecula hereditario quasi traduce esse propagatam.

h) Continentur: *De conseruanda sanitate; de regimine transfretantium; de praeseruatione corporum debilium in aere subtili. Consilia medica 305. De balneis; de compositione medicamentorum & dosi eorundem;* ANTONII CERMISONI *Consilia medica;* FRANCISCI CABALLI *Liber de animali pastillos theriacos ingrediente.*

i) *Bibliothec. vniuers.* p. 134. MONTAGNANAM ferunt in bonis autoribus artis medicae diligentius, quam id saeculum ferebat, versatum esse, & in simplicium medicaminum eorumque virium notitia plerosque superasse.

k) *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 6. p. 237. Inter Italos primo loco collocamus BARTHOL. MONTAGNANAM, Patauinum, cuius doctissima consilia exstant.

l) Vid. CRATONIS *Consilior. & epistolar. medicinal.* lib. II. p. 410. (allego autem editionem Francofurtensem anni 1671. 8.) quo loco MONAVIVS ad LAVR. SCHOLZIVM sequentia exarat: Aegri facile terrentur, quum tantam medicamentorum copiam ob oculos positam adspiciunt, & postea nullis fere vtuntur, seque & medicum decipiunt. Hoc nomine etiam consilia MONTAGNANAE & aliorum quorundam Italorum approbare non possum, quum nimis scrupulose omnia persequantur, & in diaeta sola ordinanda multas paginas & chartas consumant.

§. VIII.

Saeculo sexto & decimo, quo vsitata huc vsque medendi ratio arabica obsolescere sensim, graecanica e contrario inualescere veluti coepit; numerus pertinentium huc medicorum luculenter accreuit. Quare partium mearum esse duco, de operibus principum, ex Hispanis, Gallis, Italis & Germanis, medicorum iunctim & vniuersim editis, succinctam hic dare enarrationem. Ex Hispanis, quibus & Lusitanos

nos tantisper accensere mihi liceat, locum hic inuenient ANDREAS A LACVNA, CHRISTOPHORVS A VEGA, PETRVS DE PERAMATO, THOMAS RODERICVS A VEIGA, & LVDOVICVS MERCATVS. Horum primi scripta nunquam quidem vna iuncta prelo exierunt; eius tamen mentionem hic facere volui ideo, quod ex diffusis GALENI operibus succincte contractum felicissimeque dispositum, a IOHANNE quoque m) RHODIO, & IACOBO n) DOVGLASIO admodum laudatum Breuiarium o) confecit, quod, inscriptum: *Epitome* GALENI *Pergameni operum in quatuor partes digesta*, crebrius p) impressum, optime Basileae 1571. fol. editum, nec non ab ipso autore peculiari *Epitome omnium rerum & sententiarum, quae annotatu dignae in commentariis* GALENI q) *in* HIPPOCRATEM *exstant*, adauctum fuit.

m) *Bibliothec. medic.* p. 139. ANDREAE LACVNAE epitome GALENI bona fide, seruatis GALENI verbis, remotisque digressionibus, digesta.

n) *Bibliograph. anatomic.* p. 65. (Editione vtor Batauo-Lugdunensi anni 1734.) vbi leguntur sequentia: Vniuersa GALENI opera in exiguum quoddam corpus, verum integrum & admodum succulentum, ea fide & diligentia contraxit, vt ex iis, quae ad artem spectant, aut quoquo modo rem medicam iuuare possunt, prolixis tantum digressionibus resectis, nihil prorsus omiserit; planeque ita adornauit, vt magna Galeni volumina euoluentibus vtilitatem haud mediocrem sit allaturum. Exemplaria porro, tam latina quam graeca, deprauata passim, instaurauit, contulit, lapsus omnes correxit, lucem locis obscuris addidit, succum omnem atque medullam elicuit, in ordinem digessit, locos denique communes vniuersos, praecipuasque sententias omnes, lucis maioris gratia, ad margines annotauit. Haec ille. Interea, vix dubito, quin, haud obstante tam liberali elogio, futurus sit, qui cogitet: Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.

o) Ne tamen quis putet, hoc Breuiarium omnia GALENI opera complexum esse. Minime vero. Monuit enim iam IOH. IAC. FRISIVS in *Bibliotheca* p. 46. GALENI opera omnia (exceptis iis, quae in HIPPOCRATEM scripta sunt a GALENO) doctissime diligentissimeque in epitomen redegit, Venetiis primum, deinde Basileae excusam. In IOHANNIS quoque GEORGII SCHENCKII *Bibliotheca medica* p. 43. leguntur sequentia: Quoniam in hac epitome GALENI commentarios in Hippocratis libros non attigit,

vt

vt etiam libellos contra LYCVM & IVLIANVM pro HIPPOCRATE scriptos, seorsim postea euulgauit epitomen omnium rerum & sententiarum, quae notatu dignae in commentariis GALENI in HIPPOCRATEM & libellis commemoratis exstant, in elenchum alphabeticum digestam: cui adiuncta aliquot GALENI enantiomata. Lugdun. 1554. 8.

p) Basileae 1551. fol. 1571. fol. Argentorat. 1609. fol. Lugduni 1553. 16. volumm. 4. Lugdun. 1643. fol. vid. DOVGLAS l. c.

q) Lugduni 1554. 8.

§. IX.

CHRISTOPHORI A VEGA *Opera, nunc recens in vnum volumen congesta, auctorisque postrema manu aucta & purgata;* quae initio seorsim r) lucem viderunt, postea Lugduni anno 1576. fol. 1586. fol. & 1626. fol. iunctim s) edita fuere, complectuntur t), praeter non nullos in HIPPOCRATEM atque GALENVM *Commentarios*, tractatus etiam alios non nullos. PETRI DE PERAMATO *Opera*, quae Fani S. Luciferi 1576. fol. 1590. fol. & 1596. pari forma exierunt, & quidem iuncta, prelo, praeter *Commentarios* in physiologica u) non nulla GALENI opera, *duos* etiam *libros de ratione euacuandi; librum* I. *de hominis* w) *procreatione; librum* I. *de regimine puerperarum; & Libellum de astrologia, an medico sit necessaria?* exhibent. THOMAE RODERICI A VEIGA *Opera omnia in* GALENI *libros* x) *edita, & commentariis expressa, quibus nodi difficultatum in medicina frequentes soluuntur, classicorumque medicorum controuersiae veritatis lima expenduntur,* primum Antwerpiae apud *Plantinum* particulatim, deinde vero Lugduni y) 1594. fol. plenissime vna sunt edita. De magno autem illo z) GALENI adoratore, LVDOVICO MERCATO, alio iam loco a) obseruaui, pleraque b) eius, ad artem spectantia medicam scripta c) Francofurti d) 1654. quinque in folii forma tomis constantia, iunctim e) fuisse euulgata: desiderantur tamen in hac collectione *Institutiones* eius *medicae; Institutiones chirurgicae; Libri II. de pulsibus; Methodus medendi; Libellus de essentia, caussis, signis &*

curatione febris f) *malignae*; vt & *Tractatus de communi & peculiari praesidiorum artis medicae* g) *indicatione*.

r) LINDEN. *renouat.* p. 181.

s) ANTONII *Bibliothec. Hispan. nou.* tom. I. p. 193.

t) Sunt autem: *De arte medendi liber*; *Commentaria in* GALENI *lib. de differentiis febrium*; *Commentarius de vrinis*; *Commentaria in lib. aphorismorum* HIPPOCRATIS; *Prognosticorum* HIPPOCRATIS *e graeco in latinum versio, cum expositionibus & annotationibus in* GALENI *commentaria*.

u) Exempli caussa: *De elementis*; *de temperamentis*; *de semine*; *de facultatibus naturalibus* &c. Quantis laudibus GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS euexerit commentarium in vltimo loco nominatum opus de facultatibus naturalibus, testantur *Additamenta eius in* CONRINGII *Introduct. ad art. medic.* p. 181.

w) PERAMATVM hunc ex omnibus medicis vnicum esse, qui in istius libri capite 8. partum quadrimestrem vitalem descripserit; id CASP. A REIES in *Elysio iucundorum quaestionum campo*, *quaestion.* 90. pag. 1164. ceu casum notatu maxime dignum, & omnem ferme fidem superantem, explicatis omnibus, quae dicuntur, rei circumstantiis, dilucide enarrauit.

x) Ne quis existimet, hunc A VEIGA in omnia opera *Galenica* commentatum esse, prouti ex solo titulo inspecto suspicari pronum foret; addam ex ANDREAE SCHOTTI *Bibliotheca Hispaniae* pag. 328. sequentem annotationem: THOMAS RODERICVS A VEIGA, Eborensis, medicus insignis, composuit *Commentaria in libros de victus ratione* HIPPOCRATIS, *in artem medicam* GALENI, *n libros de locis affectis*, *in libros de differentiis febrium*. Inter recentiores medicos posthabendus nemini. Pleraque *Plantinus* Antwerpiae euulgauit. Titulus operis in totum GALENVM polliceri commentarios videtur.

y) ANTONII *Bibliothec. Hispan. nou.* tom. II. p. 251. E praefatione, quam VOP. FORTVN. PLEMPIVS IOH. ANTONIDAE LINDENII *Manuductioni ad medicinam* praemisit, abunde apparet, quanti hic A VEIGA aestimatus a PLEMPIO fuerit, scribente ita: Post veteres primas ferunt FERNELIVS, VALLESIVS, A VEIGA, ARGENTERIVS, ERASTVS, quorum commentaria omnia, quod rarum est, solida, exasciata, &, vt compendio dicam, bona sunt.

z) Vide SCHELHAMMERI *Additamenta ad* CONRINGII *Introduction.* pag. 226. sequ.

a) In *dem medicinischen Gelehrten-Lexicon*, p. 538.

b) Non autem *omnia*, quod erronee adseritur in *dem compendiösen Gelehrten-Lexicon*. ANTONIVS enim, qui cit. loc. testis citatur, aliud quid docuit.

c) Illa

c) Illa partim diffusa nimis, partim etiam nimium confusa exiisse, pridem eruditi obseruauerunt. Prius confirmat CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 12. p. 242. Prae aliis vero excellit LVDOVICVS MERCATVS, cuius perdocta exstant volumina, nisi quod nimia mole laborare videantur. Posterius quod attinet, de eo iuuat audire IOH. RHODIVM in *Bibliotheca medica* p. 140. ita iudicantem: MERCATI opera erudita, sed ordine parum digesta; ideoque postremo loco legenda.

d) De isthac operum MERCATI collectione, quae tamen est plenissima, nihil omnino habetur in LINDENIO *renouato* p. 765. sequ. ANTONIVS vero in *Bibliotb. Hisp. nou.* tom. II. p. 40. seq. libros vnoquoque tomo comprehensos distincte accurateque recensuit, simul annotans, scripta in textu hic indicata omnia in eadem desiderari.

e) Prodierunt autem vniuersa MERCATI opera etiam iam ante hunc annum Francofurti, anno nempe 1608. & 1620. fol. Vide LINDEN. *renou.* p. 765.

f) In FRANCISCI TORTI *Therapeutica speciali* libr. II. p. 193. seqq. lego obseruatum, MERCATVM primum fuisse, qui de febribus intermittentibus malignis, harumque curatione, distincte atque accurate praeciperet.

g) Videatur excitata modo praefatio VOPISC. FORTVNAT. PLEMPII, vbi hac ratione iudicat: MERCATVS non tanti est; at in Commentario de recto praesidiorum vsu, se superauit ipse: veluti CLAVDINVS in suo, de ingressu ad infirmos.

§. X.

E gallorum, qui decimo sexto floruere saeculo, medicorum numero, in censum hic venient: IACOBVS SYLVIVS, IOHANNES FERNELIVS, GVILIELMVS RONDELETIVS, IOHAN. GORRAEVS senior, LAVRENTIVS IOVBERTVS, GVILIELMVS BALLONIVS, IOHANNES RIOLANVS senior, & ANDREAS denique LAVRENTIVS. *Primus* istorum agmen ducens, doctus h) quidem vir, sed coecus plane i) simul GALENI cultor, diuersos, eosque ad omnes pene medicinae partes spectantes k), libros reliquit. Hi singuli primum, postea vero vniuersi l), sequenti ornati titulo, plenissime prodierunt: IACOBI SYLVII *Opera medica, iam demum in sex partes digesta, castigata, & indicibus necessariis instructa. Adiuncta est eiusdem vita & icon, opera & studio* RE-

RENATI MOREAV. Colon. Allobrog. 1630. fol. IOHANNES contra FERNELIVS, etsi eclecticum m) se gesserit, deserens in multis partes GALENI; longe tamen maiorem n), quam SYLVIVS, adsecutus est nominis famam. Medica namque ipsius scripta, partim singula, partim vniuersa, & quidem hac rubrica: IOHANNIS FERNELII *Vniuersa medicina, siue, opera* o) *medicinalia*, frequentissime p) prela exercuerunt. Hanouiae anno 1610. fol. correctissime; plenissime vero Geneuae anno 1679. fol. luci sunt exposita litterariae, tantoque cum applausu excepta, vt, viuo etiam tum FERNELIO, lectionibus academicis fundamenti loco eius libri substernerentur; quid? quod autoribus classicis, quod alioquin insitatum quid q) illo tempore, pares haberentur: non obstante, quod FERNELIVS, etiamsi tersissimo castigatissimoque scribendi genere vtatur, necessariis tamen demonstrationibus r) saepissime destituatur, & allegata eius creberrime sint eiusmodi, vt adductis a se autoribus sententiam tribuat, quae nunquam s) ipsis in mentem venisse deprehenditur.

h) Vid. DOVGLAS. *Bibliograph. anatomic.* p. 101. Vir vt doctrina in omni litterarum genere graece latineque excellens, ita eloquentia summus, medicus eximius.

i) CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 33. p. 108. Fuit SYLVIVS prae aliis GALENI, ita studiosus, vt etiam dictum illud VESALII, quod GALENVS quaedam ignorauerit, aegerrime tulerit. Cordate etiam DOVGLASIVS c. l. scribit: Multa SYLVIVS, dum praeceptorem GALENVM tuetur, absurda in medium adduxit, dum nihil vnquam a GALENO perperam scriptum dicat.

k) Hos inter praestare reliquis iudicantur: *Isagoge anatomica; Commentarius in* GALENVM *de ossibus; Tr. de signis medicis; de morborum internorum curatione; de medicamentorum simplicium delectu, praeparatione, & mixtionis modo.*

l) Indicem singulorum in hac sylloge contentorum librorum vide in LINDENIO *renouato* p. 496. seq.

m) CONRING. *Introd.* c. l. Eodem tempore, quo SYLVIVS, floruit IO. FERNELIVS, vir in melius promouendae artis studiosissimus, qui in multis a veteribus pariter recentioribusque dissidere ausus fuit, plurimis nouis dogmatibus in medium adductis.

n) Vi-

n) Videantur elogia FERNELII vniuersis ipsius operibus praemissa. Consului quoque de eadem re potest BLOVNT in *Censuris celebriorum autorum*, p. 623. seqq. Nemo autem, quantum equidem scio, GVIDONE PATINO magis illum euexit laudibus, qui in *Lettres choisies* ita loquitur : FERNEL etoit l'ornement de la france & de la medecine. Il est au dessus des louanges, que je puis luy donner, &, comme on dit, supra omnes titulos. Volum. III. p. 313.

o) Exempli caussa: *Physiologiae libri* VII. *Pathologiae libri* VII. *De medendi ratione libri* VII. *De abditarum rerum causis libri* II. *De methodo curandarum febrium ; De luis venereae curatione ; Consilia medica.*

p) Ex. gr. Venetiis 1564. 4. Lutetiae 1567. fol. Francofurti 1592. fol. 1603. 8. 1607. 8. Paris. 1602. fol. Lugd. Batau. 1645. 8. Traiect. ad Rhen. 1656. 4. Geneu. 1644. 8. Vid. DOVGLAS. cit. lib. pag. 76. seq.

q) Vid. SAMMARTHANI *Elogia gallorum* lib. I. num. 26.

r) Vid. CONRING. c. l. Vti summe laudandus venit FERNELIVS, quod veterum expositionibus non semper superstitiose inhaerendum existimauerit, praeterea etiam multa circa morbos eorumque caussas primus obseruauerit; ita in sermone elegantissimo maius robur argumentorum merito desideraueris. Et vero eloquentia sua incauto & rerum imperito lectori passim fucum facit potius, quam vt firmis argumentis eum instruat atque conuincat.

s) Vid. CRATONIS *Consil. & Epist. medic.* lib. IV. p. 189. vbi ERASTVS, in quadam ad CAPIVACCIVM epistola, hanc ob caussam grauiter ac vehementer eum accusat.

§. XI.

GVILIELMI RONDELETII *Opera* t) *medica omnia* u), Geneuae anno 1628. 8. plenissime excusa, tantum existimationis atque famae non pepererunt autori w), quantum *Libri de piscibus* x) *marinis.* Nihilo tamen minus GVIDO y) eum PATINVS, ceu idoneum practicum laudauit. Inter IOHANNIS GORRAEI, *senioris, opera* z), quae Lutetiae Paris. 1622. fol. iunctim impressa sunt, iam supra a) memorati *Libri* XXIV. *Definitionum medicarum* maximam, citra controuersiam, merentur laudem. LAVRENTII IOVBERTI *Operum latinorum* b) *tomus primus & secundus*, Lugduni 1582. fol. & deinceps Francofurti 1599. fol. euulgati, complectuntur multa c) vtilia scripta; *Paradoxa* tamen

men *medica*, quae vocat, amplam diuersarum controuersiarum materiam eidem suppeditarunt. GVILIELMI BALLONII *Opera* d) *medica*, quae cuncta post mortem demum autoris in lucem sunt prolata, a THEOPHILO autem BONETO in breue compendium e) contracta, & nuper etiam Venetiis 1734. 4. vniuersa sunt edita, pristinam suam laudem minime perdiderunt; etiamsi *Libri II. Epidemiorum & Ephemeridum* ceteris eius scriptis palmam f) praeripere iudicantur. IOHAN. RIOLANI, *senioris, Opera omnia, tam edita, quam posthuma*, Lutetiae Paris. 1610. fol. impressa, constant maximam sui g) partem ex *Commentariis* in varios IOHANNIS FERNELII libros. De ANDREAE vero LAVRENTII *Operibus* h) *medicis*, quae Lutet. Paris. 1627. 4. vniuersa *) in lucem sunt exposita, id vnum quod moneam habeo, parum i) approbationis eadem apud eruditos esse adsecuta; quanquam *Libri* III. *de Crisibus* k) aliquanto melius sint elaborati, quam anatomica & reliqua eius scripta.

t) Continentur: *Methodus curandorum morborum; De dignoscendis morbis; De febribus; De medicamentis internis & externis; De vrinis; De fucis; De lue venerea; De officina pharmacopolarum; De materia medicinali & compositione medicamentorum; De ponderibus, seu iusta quantitate medicamentorum; Consilia medica.*

u) Sic habet titulus. Diuersa autem adhuc inter manuscripta latitare, refert SCHENCKIVS in *Bibliotheca medica*, pag. 212. sequ.

w) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. XI. pag. 241. & STOLLII *Historiam medicinae litterar.* p. 161.

x) Lugduni 1554. & 1555. fol. quos CONRINGIVS c. l. cap. IX. §. 7. Libros pene incomparabiles vocauit.

y) Vid. *Lettres choisies* volum. III. lettr. 435. p. 282. Monf. RONDELET a été, à mon auis, le plus habile de son tems, à Montpellier. Il a été bon practicien, & en a passé plusieurs autres, qui sont venus depuis luy. Aliorum doctorum virorum iudicia de eodem non nulla collegit BLOVNT in *Censuris celebriorum autorum* p. 695. sequ.

z) Vid. SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 308. vbi haec leguntur: IOHANNES GORRAEVS, Parisiensis, medicus aetatis nostrae longe omnium doctissimus, & de re medica, illustrato recognitoque NICANDRO, editisque definitionum medicarum libris vtilissimis, praeclare meritus, ex HIPPOCRATE transtulit & enarrauit

rauit, iusiurandum, de arte, de prisca medicina, de medico, de lege, de genitura, de natura pueri libros, quos WECHELVS carptim circa annum 1545. edidit. Omnes hi primum singulatim in lucem emissi libri, iunctim inueniuntur in illa collectione, quam in ipso hoc nominaui paragrapho.

a) Cap. I. sect. V. §. 7.

b) Libri enim eiusdem, gallico sermone emissi, medici, quorum SCHENCKIVS in *Bibliothec. medic.* p. 369. meminit, in recensitis hic editionibus non comparent: Pariter & *Liber I. de vulgi erroribus in medicina*, a IOH. BORGESIO latine conuersus, frustra hic quaeretur.

c) Elenchus eorum in SCHENCKIO l. c. aut in LINDENIO *renouat.* p. 733. legi poterit. Hoc loco sufficiet indicasse, *Tomo I. Paradoxa medica; Annotationes in* GALENI *libros de facultatibus naturalibus, de differentiis morborum & symptomatum; Medicinae practicae libros* III. & *Pharmacopoeam: Tom.* II. vero maximam partem scripta eristica contineri, quibus *Paradoxa* sua *medica* aduersus THOMAM IORDANVM, FRANCISCVM VALLERIOLAM, BRVNONEM SEIDELIVM &c. defendere est conatus. Iudice IOHANNE RHODIO, in *Bibliothec. medic.* p. 141. opera eruditae subtilitatis vocantur; locutus de iisdem est cum laude etiam SCHENCKIVS c. l. adiecto voto, vt promissa quoque a IOVBERTO, quae fortasse in manuscriptorum scriniis delitescant, opera luci exponerentur publicae.

d) Exempli caussa: *Consilia medica; Epidemiorum & Ephemeridum libri* II. *Definitiones medicae; De virginum & mulierum morbis liber; Libellus de conuulsionibus; Commentarius de vertigine; Opuscula medica de arthritide, calculo & vrinarum hypostasi* &c. De omnibus his tale iudicium fertur in CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. XI. p. 242. Scripta GVILIELMI BALLONII singularem eius diligentiam, iudicium atque eruditionem, cum insigni experientia coniunctam sapiunt.

e) Hoc titulo ornatum: *Pharos medicorum, hoc est, cautiones, animaduersiones, & obseruationes practicae ex operibus* GVIL. BALLONII *erutae.* Geneuae 1668. 12. qui liber deinde inscriptus: *Labyrinthus medicus extricatus*, Geneuae 1687. 4. denuo prelo exiit. Quanti hoc compendium fecerit GVIDO PATINVS, apparet ex selectis eius Epistolis *(Lettres choisies)* volum. III. p. 426. Il est excellent pour tout medecin, qui veut raisonner, & faire son métier auec science & autorité. Ie vous prie de l'indiquer à Monf. votre fils ainé, à fin qu'il s'en serue, & qu'il le lise soigneusement, & le porte dans sa pochette, comme vn veni mecum, ou plutot comme vn petit trésor de belle science & de bonne methode.

f) Vid.

f) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. V. §. XII. pag. 191. Ex reliquis tamen potissima laude afficiendi sunt doctissimi GVIL. BALLONII Ephemeridum & Epidemiorum libri, qui multa continent, quae, quoad vniuersalem morborum historiam, ad Hippocratis gloriam proxime accedunt.

g) Habetur tamen in hac collectione etiam *Compendium eius medicinae*; *Physiologia*; *Hygiene*, *Pathologia*, *Therapeutica* &c. Vid. LINDENIVS *renouatus* pag. 667. sequ.

h) Continentur: *Historia anatomica humani corporis & singularum eius partium, multis controuersiis & obseruationibus nouis illustrata. Tr. de crisibus*; *De mirabili vi regum Galliae sanandi strumas*; *De visu eiusque conseruandi ratione*; *De melancholia*; *De senectute*; *De morbo articulari*; *De lepra*; *De lue venerea*; *Consilia medica*; *Annotationes in artem paruam* GALENI.

*) Haec editio in LINDENIO *renouato* p. 47. fuit omissa. In DOVGLASSII *Bibliographia anatomica* p. 176. legere me, memini, Gallicam quoque operum eius editionem Lutetiae Paris. 1646. fol. prodiisse; hanc vero oculis vsurpare nondum mihi contigit.

i) CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. IV. § 32. In LAVRENTII opere anatomico, quod historiam partium attinet, multa ab illo errata commissa esse, fatendum est: controuersiae tamen physiologicae eleganter proponuntur. Simili ratione iudicat DOVGLASSIVS c. l. p. 175.

k) Vid. SCHELHAMMERI *Additament. ad* CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. XI. De crisi ANDREAE LAVRENTII elegans opusculum habemus, in quo id laudes cumprimis, quod ex epidemiis magni Coi exempla arcessit, quibus assertionibus suis faciat fidem.

§. XII.

Longe plures occurrunt inter medicos Italos saeculi XVI. quorum opera vna fuerunt impressa atque in lucem prolata: horum ergo praecipuos breuiter recensebo. Agmen ducat ALEXANDER BENEDICTVS ille cum doctus l) medicus, tum celebris m) practicus, cuius ad artem medicam n) spectantes, puraque ac nitida latinitate o) conscripti libri, titulum gerentes: ALEXANDRI BENEDICTI *De re medica opus insigne & vtile*, Venetiis 1535. fol. iunctim prelo exierunt; optimo habitu autem Basileae anno 1549. & 1572. fol. sunt typis, & quidem vniuersi, exscripti. Attamen eius *Libri* XII. *de febribus, de venenis*, quorum SCHENCKIVS in *Bibliothec. medic.* p. 24. mentionem inie-

iniecit, latitant ad hunc vsque diem. ANTONII FVMANELLI *Opera multa & varia, cum ad tuendam sanitatem, tum ad profligandos morbos, plurimum conducentia,* quorum quaedam Basileae anno 1543. p) 4. iunctim prelo emerserunt; plenisſime q) Tiguri 1557. folio ſunt excuſa, aliisque locis recuſa, autor vero eorum a CONR. r) GESNERO & HERM. s) CONRINGIO eſt encomio ornatus. In LEONHARDI IACCHINI *Opuſculis* t) *elegantisſimis*, non cuncta ſcripta dexterrimi u) huius medici ſunt quaerenda; quippe quorum multa w) ſingula tantum impreſſa fuerunt: ſed exhibentur ibi *Methodus praecognoſcendi; de rationali curandi arte; de acutorum morborum curatione, & praeterea quaeſtiones eius naturales.* ANDREAE contra THVRINI *Opera*, Romae anno 1545. in folio publici iuris facta, maximam ſui partem ſcriptis conſtant x) litigioſis, quae ad defendendos Arabes, de vena ſecanda in pleuritide, aduerſus PETRVM BRISSOTVM, IOHANNEM MANARDVM & MATTHAEVM CVRTIVM, emiſit.

l) Vid. DOVGLASSII *Bibliograph. anatomic.* p. 60. vbi, medicus operibus artis, diſciplinis & linguarum cognitione nulli neotericorum aut veterum cedens, & medicorum Italiae ſua tempeſtate decus eximium, audit.

m) CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 10. Inter illos Italos, qui omnium morborum curationes tradiderunt, primo loco merito collocandus eſt ALEXANDER BENEDICTVS, vir medendi peritisſimus, quique magna valuit experientia. Cuius practica iure habenda in pretio, quod & multa medicamenta ab illo obſeruata, & felici cum ſucceſſu adhibita, quaeque apud alios inuenire non licet, exponat. Quibus & hoc addendum, quod in multis a GALENO ſeceſſerit, verbis antiquorum non vbiuis ſuperſtitioſe ſeſe adſtringens.

n) Exempli gratia: *De omnium a vertice ad plantam morborum ſignis, cauſſis, differentiis, indicationibus & remediis, tam ſimplicibus, quam compoſitis, libri* XXX. *De medici & aegri officio aphoriſmorum liber* I. *De peſtilentiae cauſſis, praeſeruatione, & auxiliorum materia liber* I. *De humani corporis anatome, libri* V.

o) GESNERI *Bibliothec. vniuerſal.* p. 27. vbi haec legas: Stilus eſt elegans, & eruditio ſatis ampla.

p) Vid. GESNERI *Biblioth. vniu.* p. 57. quo loco simul annotat, HIERON. GEMVSAEVM huic operi praefatum esse. Est ergo sphalma typographicum, quando in SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 57. & in LINDENIO *renou.* p. 70 annus 1542. ponitur. Interim in hac editione *Methodum dignoscendarum & curandarum febrium*; *Consilium chirurgicum de caluariae fractura*, *pectoris & pulmonis vulnere*; *Consilium pro reddendae vrinae difficultate*; *Tr. de balneis aquae simplicis*; *De balnei ferrati facultatibus ferrique natura*, simul iuncta inuenire licet.

q) Index eorum in SCHENCKII *Bibl. medic.* vel in LINDEN. *renou.* cc. ll. legi potest: quorum potissima facile erunt: *Commentarii de senum regimine eorumque victu salubri*; *De vini temperatura & facultatibus*; *De rosarum, omniumque quae ex rosis fiunt, facultatibus*; *De compositione medicamentorum*; *De capitis vstione in oculorum & pulmonis morbis, & de recrementorum corporis humani praeternaturali retentione & euacuatione.* Quod FVMANELLVS plurium remediorum chemicorum mentionem faciat, id CONRINGIVS in *medicin. hermetic.* lib. II. cap. 15. p. 421. ceu peculiare quid annotauit.

r) *Bibliothec. vniuersal.* p. 57. vbi medicus in artis vsu longe per vniuersam Italiam exercitatissimus vocatur.

s) *Introduct. in art. medic.* c. VII. §. 10. & c. XIII. §. 9.

t) Basileae 1563. 1567. 4. 1589. 8. Lugdun. 1622. 4.

u) Non GESNERVS solum in *Bibliothec. vniuers.* p. 481. eum virum egregie doctum appellauit; sed HIERONYMVS etiam CARDANVS omnino pro summo suae aetatis medico eum habuit. In CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 30. sequentia leguntur verba: Inter Italos, qui, Arabibus repudiatis, Graecorum doctrinam amplexi sunt, referendus est LEONHARDVS IACCHINVS, totus *Galenicus.* Commentatus quidem est ad nonum librum RHASIS, sed non nisi ex lege antiqua scholarum.

w) V. g. *Methodus curandarum febrium*; *De numero indicationum liber*; *Aduersus* AVICENNAM, MESVEN & *vulgares medicos omnes tractatus* &c.

x) Attamen & alii quoque libelli: *De bonitate aquarum, fontium & cisternae*; *De caussis dierum criticorum*; *De embrocha noua, seu, irrigatione artificiali, contra medicos Florentinos*; *De coena & prandio disceptatio* &c. ibidem inueniuntur.

§. XIII.

Longe celeberrimi illius y) IOHANNIS BAPTISTAE MONTANI relicta *Opera*, constantia e *Commentariis* in aliquot libros HIPPOCRATIS, GALENI, AVI-

AVICENNAE, RHAZIS, vt & e non nullis z) aliis tractatibus; initio quidem singula ab eius auditoribus a) fuerunt publicata, postea vero a MARTINO WEINRICHIO, sub titulo: I. B. MONTANI *Medicina vniuersa, ex lectionibus eius, ceterisque opusculis, tum impressis, tum scriptis, collecta, & in tres tomos decenti ordine digesta,* Francofurti anno 1587. folio iunctim sunt b) edita, & a IOH. c) CRATONE, PETR. d) MONAVIO, aliisque e) haud vulgaribus encomiis ornata. *Galenici* illius acerrimi f), DONATI ANTONII AB ALTOMARI *Opera omnia in vnum collecta*, quae Lugduni 1565. fol. simul impressa sunt, alibi g) vero recusa, plenissime denique Venetiis anno 1600. fol. prelorum ope in lucem exposita, diuersos h) continent libros, quos inter *Tractatus de medendis humani corporis malis; de mannae* i) *differentiis ac viribus; de vinaceorum facultate & vsu,* facile maximi erunt k) momenti. GABRIELIS FALLOPPII *Opera* l) *omnia, tam theorica, quam practica*, quae Francofurti annis 1584. 1600. 1606. in folio, vna cum memoratu dignissima m) IOH. CRATONIS Praefatione, iunctim edita fuerunt, maximam autori suo, etsi vix vndequadragesimum aetatis suae n) annum viuendo is attigisset, existimationem o) vbique conciliauere: potissimum tamen robur ingenii sui demonstrauit in anatomicis, chirurgicis & in dignoscendis simplicibus. De HIERONYMI p) FRACASTORII, medici non minus ac poëtae ingeniosissimi, *Operibus philosophicis & medicis* q), quae Venetiis anno 1555. in 4. & 1584. eodem loco eademque forma, iunctim impressa, nec non alibi r) quoque locorum prelo subdita fuerunt, vnicum hoc saltem monebo, eum apud poëtas quidem carmine illo latino, quo morbum, ita dictum, gallicum descripsit; apud medicos autem *Libris* III. *de morbis contagiosis eorumque curatione*, maximam famam esse adsecutum.

y) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 32. Inter illos Italos, qui Arabum sententias cum GALENO iunxerunt, princeps fuit I. B. MONTANUS, Professor academiae Patauinae celeberrimus, vir tantae autoritatis, vt, in eum GALENI animam quasi transuolasse, creditum pene fuerit.

z) Pertinent eo prae reliquis *Consultationes medicae*; *de vteri affectibus liber I. de excrementis libri duo, alter de fecibus, alter de vrinis*; *de characterismis febrium*; *de febribus pestilentibus*; *de coctione & praeparatione humorum*: & inprimis *de differentiis medicamentorum, & caussis diuersarum virium & facultatum in medicamentis, tractatus.*

a) Exempli caussa: HIERON. DONZELLINO, REIN. SOLENANDRO, IOH. CRATONE &c.

b) SCHENCK. *Bibliothec. medic.* p. 283. Omnia I. B. MONTANI Opera tribus tomis edita & collecta sunt a MARTINO WEINRICHIO, Francof. 1587. fol.

c) CRATONIS *Consil & epist. medic.* lib. IV. p. 149. sequent. Illud rei medicae studiosos monebo, vt MONTANUM tanquam optimum & praestantissimum methodi artificem & doctorem ament & magni faciant, nec eorum clamoribus, qui fortunam & experientiam iactitant, se commoueri patiantur.

d) Ibid. lib. II. p. 350. Ars est vna, quam si HIPPOCRATES & GALENUS vere nos non docent, & MONTANUS illustrat, eiusque fundamenta ex intima philosophia monstrat, a quibus discenda sit, nescio.

e) Exempli gratia: a CASP. PEUCERO, GUNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERO in *Additam. ad* CONRING. *Introd.* pag. 126. 272.

f) CONRING. *Introd.* cap. VII. §. 10. Magni porro nominis inter italos fuit DONATUS ANTONIUS AB ALTOMARI, vir insignis & integerrimus; nisi quod GALENI vestigia nimium videatur sectatus, adeo, vt ab eo vel latum vnguem vix discedere ausus sit.

g) Neapoli anno 1573. fol. Venetiis 1574. fol.

h) Ex. gr. *De vtero gerentibus*; *de alteratione, concoctione, digestione, praeparatione & purgatione*; *de sedimento in vrinis*; *de sanitatis latitudine*; *de medendis febribus*; *de peste* &c.

i) Notatu vel ideo dignus iste libellus, quod ALTOMARUS vnus ex primis fuit illorum, qui credidere, Mannam Calabrinam non esse roris quoddam genus, id quod creditum hactenus fuerat; sed succum certae cuiusdam arboris: quam sententiam in hocce libello confirmare studuit. CLAUDIUS tamen SALMASIUS in *Commentario de manna,* priorem defendere conatus est opinionem.

k) Vid. RHODII *Introduct. ad medic.* p. 134. Nucleus GALENI-ALTOMARUS Lugduni impressus, qui omnem doctrinam graecorum

corum in compendium contraxit. IOHANNES autem CRATO in *Consil. & epist. medicinalib.* lib. V. p. 272. scribit: In ALTOMARI libellis solidum quiddam reperio, sed parum perpolitum.

l) Continentur: *Institutiones anatomicae*; *obseruationes anatomicae*; *obseruationes de venis*; *de partibus similaribus*; *de medicamentis simplicibus*; *de materia medica*; *in librum primum* DIOSCORIDIS; *de aquis thermalibus*; *de metallis atque fossilibus*; *de purgantibus simplicibus*; *de vlceribus*; *de vulneribus*; *commentarius in* HIPPOCRATIS *librum de vulneribus capitis*; *de cauteriis*; *de tumoribus praeter naturam*; *de decoratione*; *expositio libri* GALENI *de ossibus*; *de luxatis & fractis ossibus*; *methodus consultandi*; *de compositione medicamentorum.* Horum tractatuum non nullos separatim impressos fuisse, patescit e LINDEN. *renou.* p. 312. seq. Secreta vero sub FALLOPPII nomine diuulgata pro suppostitiis habentur.

m) In ea enim differit de chemia pharmaceutica longe aliter, quam antea solitus fuerat; laudat etiam internum Cinnabaris vsum, quam olim ceu venenum abominatus erat, tanquam specificum antepilepticum, vocans eandem magnetem epilepsiae.

n) Non equidem ignoro, a TOMASINO, LINDENIO, BLOVNTIO, GOELICKIO, DOVGLASSIO aliisque historicis, aetatem ipsi annorum septuaginta trium adsignari: ostendi autem dudum in *Historia medicinae litteraria Stolliana* p. 427. erroneam esse hanc ipsam chronologian.

o) CONRING. *Introd. in art. medic.* cap. IV. §. 26. vbi haec leguntur: GABRIEL FALLOPPIVS, anatomicorum fidus, & exemplar, vir admirandi sane ingenii summique candoris, quique in omnibus nostrae artis partibus maxima cum laude fuit versatus. Et cap. IX. §. 4. scribit: FALLOPPII opera omnia erudita sunt. Legatur etiam iudicium CRATONIS, quod de operibus *Falloppianis* tulit, in citata modo praefatione, vbi haec inter alia habentur: In FALLOPPII scriptis, inquit, duo mihi, praeter summam in anatomicis peritiam, & obseruandi ea, quae aliorum cognitionem effugerunt, studium singulare, placuisse vere affirmo. Primum, diligentiam in colligendis bonis remediis a peruulgato vsu remotis. Alterum, quod Falloppium in metallicis cognoscendis singularem operam collocasse appareret, & praeclare de iis se iudicasse ostenderet. Vid. etiam BLOVNTII *Censur. celebrior. autor.* p. 596. sequ.

p) De eius vita, scriptis, meritisque singularibus FRIDER. OTTO MENCKENIVS, in citata iam supr. cap. I. sect. III. §. 22. Commentatione, abunde scripsit.

q) Huc referenda: *De caussis criticorum dierum libellus*; *de contagionibus & contagiosis morbis eorumque curatione libri* III. *de vini temperatura sententia*; *de morbo gallico libri* III.

r) Lugduni 1591. 8. Geneuae 1671. 8.

§. XIV.

LEONHARDI BOTALLI *Opera omnia medica & chirurgica, cum praefatione & annotationibus* IOHANNIS VAN HORNE, Lugduni Bat. 1660. 8. optime edita, continent tractatus varios, *De medici & aegroti munere; de catarrho; de lue venerea; de curatione per sanguinis missionem; de curandis vulneribus sclopetorum:* quos inter postremus a G. C. SCHELHAMMERO, in *Additam. ad Conring. introd.* cap. XII. §. 3. *Tractatus* autem *de catarrho* a IOH. RHODIO, in *Bibliothec. medic.* p. 154. reliquis praefertur. VIDI VIDII, *senioris, Opera, cura* VIDI VIDII, *iunioris, vna impressa ac edita,* crebrius s) repetita, plenissime autem ornata titulo: VIDI VIDII *Opera omnia, medica, chirurgica & anatomica, per* VIDVM VIDIVM *iuniorem recognita, & multis, quae desiderabantur, partibus aucta, volum. III. exhibita* t) Francofurti anno 1668. fol. luci exposita litterariae, a IOH. RHODIO u) laudari meruere. IOHANNIS ARGENTERII *Opera in vnum volumen collecta* w), quae optime Hanouiae 1610. fol. prodierunt prelo, ob multas innouationes, quas in illis autor protulit in medium, quodque nimium derogare autoritati atque existimationi GALENI visus fuit, plus contradictionis x) quam approbationis y) inuenerunt. HIERONYMI CARDANI *Opera* z) *omnia in X. Tomos digesta per* CAROLVM SPONIVM, & Lugduni 1663. fol. edita vix credo, denuo prelis iri a) subiectum; etiamsi ipse autor de se suisque in arte medica detectis mysteriis b), nouisque a se prolatis inuentis, pro more ventosorum nugiuendulorumque hominum, in *Commentario de vita propria* cap. XLIV. p. 169. admodum liberaliter sit gloriatus. PETRI contra ANDREAE MATTHIOLI *Opera, quae exstant, omnia* c), quae optime a CASP. BAVHINO Francofurti 1598. fol. sunt diuulgata, HERMANNO d) CONRINGIO, & HERM. e) BOERHAAVIO arbitris, multo cum fructu legi possunt; quamuis CONRAD.

GES-

GESNERVS, MELCH. GVILANDINVS, FABIVS COLVMNA, IOS. PITTON DE TOVRNEFORT, aliique praeter eos, multorum in rebus botanicis erratorum ipsum postulauerint.

s) Venet. 1611. fol. Francofurt. 1626. fol. 1645. fol.

t) Inueniuntur hic: *Institutionum medicarum libri* III. *de tuenda valetudine libr.* XX. *de curatione lib.* XLV. *de ratione victus lib.* VIII. *de medicamentis lib.* VIII. *de chirurgia lib.* IV. & *de anatome lib.* VII. *Glossemata* autem *in omnes* HIPPOCRATIS *&* GALENI *libros*, quorum CONR. GESNERVS in *enumeratione alphabetica chirurgorum illustrium*, tanquam promissorum ab ipso, meminit, lucem non viderunt.

u) In *Introduct. ad medic.* p. 151. VIDI VIDII opera instar locorum communium, pro consultore & lectore. Pag. 135. porro scribit: VIDIVS omnia plene, prolixe & accurate tractauit.

w) *Commentarii* III. *in artem medicinalem.* GALENI; *commentarii in lib.* I. II. & IV. *aphorismorum* HIPPOCRATIS; *de generibus differentiis & caussis morborum*; *de generibus, differentiis & caussis symptomatum*; *de temporibus morborum*; *de signis medicis lib.* IV. *de vrinis lib.* I. *de officiis medici lib.* II. *de somno & vigilia lib.* II. *de consultandi ratione lib.* I. *de febribus*; *de vi purgantium medicamentorum.*

x) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 31. Eodem tempore contra GALENVM insurrexit IOHANNES ARGENTERIVS, vir quidem eximie doctus, verum veteris philosophiae non satis peritus, & nouitatis, si quis alius, cupidus; quod illi cum FERNELIO commune est. Obseruandum autem, in illis eius operibus pleraque esse logica aut philosophica, pauca quae ad praxin faciant. Quin immo in GALENO reprehendendo modum plane excedit, qua de re etiam nobis vsquequaque non placuit. Idem vitium carpit in eo etiam IOH. ANTONID. VAN DER LINDEN in *Manuduct. ad medicin.* p. 82. De ARGENTERIO, inquiens, scio, acri fuisse ingenio virum, doctum; &, qui a doctis teratur, dignum: contradicendi tamen prurigine tentatum, in GALENO palum quaesiuisse, cui se affricaret. In CRATONIS *Epist. & consilior. medicinalium lib.* IV. p. 203. THOM. ERASTVS ad HIERON. CAPIVACCIVM scribit: ARGENTERIVM non miror, hic enim veterum naeuis amplificandis fagi natur. Quae quum ita sint, non est, quod quis miretur, IVLIVM ALEXANDRINVM peculiarem librum, quem inscripsit, *Ant-Argenterica pro* GALENO, anno 1552. & 1564. 4. Venetiis impressum, emisisse.

y) Vid. RHODII *Bibliothec. mediç.* p. 140. ARGENTERII opera exquisita & docta, & subtilitatis plena. VOPISCVS FORTVNATVS

TVS PLEMPIVS de scriptis *Argenterianis* longe adhuc magnificentius loquitur, in praefatione IOH. ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductioni ad medicinam* praemissa, ita scribens: Post veteres primas ferunt FERNELIVS, VALLESIVS, A VEIGA, ARGENTERIVS, ERASTVS: quorum commentaria omnia, quod rarum est, solida, exasciata, &, vt compendio dicam, bona sunt.

z) Illorum, quae ad artem spectant medicam, praestantissima forsitan fuerint sequentia: *Commentaria in* HIPPOCRATIS *aphorismos, prognostica, librum de alimento, de aere, aquis & locis*; *opus nouum de sanitate tuenda & vita producenda* &c.

a) Namque H. CARDANVS olim maior & melior habitus est quam reuera fuit Vid. BLOVNTII *Censur. celebrior. autor.* p. 641. sequ. Magis autem ingenue & ex rei veritate iconem eius ingenii delineauit MORHOFIVS *Polyhist.* tom. II. lib. I. cap. III. §. 2. & cap. XV. §. 3. Priori namque loco scribit: Erat ille vir mirificae superstitionis, in quo magna dementiae & sapientiae mixtura fuit; interdum enim vltra aniculas delirat; interdum vltra hominem sapit, prout sua habuit interualla. Loco autem posteriore haec habet: In scriptis CARDANI multa continentur egregia, multa immiscentur ridicula, vt fuit eius hominis ingenium per dilucida interualla summe stultum, summeque intelligens.

b) Ipse CARDANVS l. c. numerum inuentorum ab se supputauit ad quina millia. Oportet autem, quum nusquam appareant locorum, illa post mortem ipsius, vna cum genio eius tantum iactato, disparuisse atque euanuisse.

c) Continentur: *Commentarii in libros* VI. PEDACII DIOSCORIDIS *de materia medica*; *de ratione destillandi aquas ex omnibus plantis*; *Apologia in* AMATVM LVSITANVM, *cum censura in eiusdem enarrationes. Epistolarum medicinalium libri* V. *Dialogus de morbo gallico.*

d) *Introduct. in art. medic.* cap. VIII. §. 12. Interim tamen eximii sunt MATTHIOLI commentarii, & omnibus, qui ad accuratam artis nostrae peritiam adspiraut, lectu prope necessarii.

e) *Method. discend. medic.* p. 205. Si quis velit completissimam historiam, tum legat DIOSCORIDEM cum notis MATTHIOLI, ex editione CASP. BAVHINI, tum habebit, quicquid optare poterit circa hoc negotium; & pag. 221. ista scribit: DIOSCORIDES cum annotationibus MATTHIOLI, ex editione *Bauhiniana* perfectum est opus.

§. XV.

SEBASTIANI PAPARELLAE *Opera omnia, quinque voluminibus distincta, nunc primum in vnum collecta, & ab*

& ab autore recognita & aucta, quae singula f) initio, deinceps Maceratae 1582. fol. vna in lucem prodiere, nostro vero tempore parum inquiruntur, constant ex *Commentariis* II. in HIPPOCRATIS *Librum de natura humana; lib.* I. *de efficientia primi motoris; libris* III. *de calido; libr.* I. *de indicationibus curatiuis; & libris* II. *de catarrho.* HIERON. CAPIVACCII *Opera omnia* g) *quinque sectionibus* h) *comprehensa*, *quarum* I. *physiologica*, II. *pathologica*, III. *therapeutica*, IV. *mixta*, V. *extranea continet*, *curante* IOH. HARTMANNO BEYERO, Francofurti anno 1603. fol. vniuersa edita, laudata sunt a PETR. i) MONAVIO, IOH. k) RHODIO, & HERM. l) CONRINGIO; culpata e contrario a IOH. m) CRATONE, CASP. n) HOFMANNO & PHIL. SCHERBIO. *Methodus* tamen eius *medendi* inter reliquos ipsius libros optimae notae est habita. VICTORIS TRINCAVELLI *Opera* o) *omnia, partim ex diuersis editionibus in vnum collecta, partim nunc primum in lucem emissa, ac in duos tomos digesta*, quae Lugduni 1592. fol. & Venetiis p) 1598. fol. iunctim impressa lucem adspexere publicam, autori suo multum quondam existimationis q) pepererunt. De ALEX. *) MASSARIAE *Operibus* r) *medicis* autem, Lugduni anno 1634. fol. excusis iunctim, eodemque in loco anno 1671. itidem folio, recusis, hoc solum, quod referam, habeo: autorem nimirum eorum a IOHANNE quidem RHODIO s) non minus, ac ab HERM. t) CONRINGIO, eruditionis nomine, laudatum; ob coecum autem GALENI studium, a posteriore, idque merito, culpatum esse.

f) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 964.

g) Diuersa autem, praeter indicata, CAPIVACCII schediasmata manuscripta hactenus delitescere in scriniis, SCHENCKIVS in *Bibliothec. medic.* pag. 226. seqq. iam annotauit.

h) Commentationes ibi exstant sequentes: *De foetus formatione; de signis virginitatis tam masculi, quam foeminae; de methodo anatomica; de rebus praeter naturam; de pulsibus; de vrinis; de modo interrogandi aegros; de methodo medendi; de ratione componendi*

medicamenta; *de cauteriorum recta administratione*; *de medicina practica lib VII commentar. in sect. I. aphorismorum* HIPPOCRATIS; *De medica consultandi ratione*; *consilia & epistolae medicin. Tr. de methodis seu differentiis doctrinarum.* Horum librorum non nullos singulos antea fuisse editos, disci potest ex LINDEN. *renouat.* pag. 414, seq.

i) Vid CRATONIS *Consil. & epist. medicinal.* lib II. pag. 308. Promisit aliquando CAPIVACCIVS, se simili methodo etiam hygienen, siue, artem de tuenda sanitate, complexurum, id quod ab eo petere, & cunctantem vrgere non desino. Quicquid alii de huius viri laboribus iudicent; ego illos minime vulgares, sed ex intima potius philosophiae & medicinae medulla depromptos esse, puto. Nihilo tamen minus paullo ante p. 297. scripserat. *Bucephalum* nostrum in bonis rebus tradendis non meliori orationis genere vti, doleo.

k) *Bibliothec. medic.* pag. 140. Breuiator omnium CAPIVACCIVS, vbique sibi similis, methodo & indicationibus singularis, subtilis.

l) *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 2. Inter Italos primum nominandus HIER. CAPIVACCIVS, cuius methodus medendi satis accurate conscripta est. Cap. III. §. 32. autem ita scribit: CAPIVACCII methodus medendi accuratissime conscripta est, nisi quod medicamentorum videatur minus fuisse peritus.

m) *Consil. & epistolar. medic.* lib. V. pag. 258. Inspexi atque perlegi fere totam methodum D. HIERONYMI. Video, primam partem eum sumsisse sibi ab ARGENTERIO, & obscurasse ista quadam barbarie, suaque fecisse adhibitis quibusdam logicis rationibus.

n) V. SCHELHAMMERI *additam. ad Conring. introd.* cap. III. §. 32. p 130. seq. CAPIVACCIVM non magni facio, praeiudicio accepto ab incomparabili SCHERBIO, qui aiebat, nimis multas easque inutiles habere distinctiones, quae legentis cerebrum tantum non diffiudant.

o) Continentur: *Commentarii in* GALENI *libros de differentiis febrium, & de arte curandi ad* GLAVCONEM; *Tr. de febre pestilenti*; *de ratione curandi omnes humani corporis affectus libri* XII. *de vsu & compositione medicamentorum libri* IV. *consiliorum medicorum libri* III. *epistolar. medicar. libri* III. *exercitationes in secundum librum prognosticorum* HIPPOCRATIS *&* GALENI &c. Horum librorum quosdam partim ante, partim post editam hanc vniuersorum collectionem, singulos exiisse, discimus ex LINDENIO *renouato* pag. 1039. seq.

p) Vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 125.

q) Vid. CRATONIS *Consil. & epist. medic.* lib. V. p. 230. vbi scribit CRATO: Praeclara opera, quantum intelligo, TRINCAVELLA reli-

relicturus est posteritati & probe limata. P. 244. Refutatae, inquit, sunt opiniones quorundam erudite a VICTORE TRINCAVELLA, doctrina atque vsu excellenti medico, cui ego plus fidei adhibeo, quam substructionibus recentibus. P. 262. ait: Legi hisce diebus commentariolum TRINCAVELLAE de caussa coniuncta, &, nisi eum vehementer mihi placuisse, vere affirmarem, mentiar. In RHODII *Bibliothec. medic.* p. 140. TRINCAVELLVS in morbi theoria excellens vocatur.

*) Quoniam in *Lexico doctorum medicorum* p. 524. a me recensente vitam huius viri res quaedam singularis, eaque notatu dignissima praeterita fuit, non pigebit me eam praesenti loco, ex IOH. RHODII *notis ad* SCRIBONIVM LARGVM p. 166. annotare. Ita vero RHODIVS: ALEX. MASSARIAM, medicum praecellentissimum, a IOH. PRAEVOTIO accepimus, aliquot annis, *extra somnum quoque,* hoc malo (incubo nimirum) correptum, eo in apoplexiam transeunte sublatum Patauii, postquam acriter disputasset, meram esse somnii affectionem.

r) Horum elenchum inuenire licet in LINDENIO *renouato* pag. 25. quorum praecipui momenti habentur *Practica medica*; *Tr. de peste; de pulsibus; de vrinis; de scopis mittendi sanguinem; de purgatione in morborum principio; de abusu medicamentorum vesicantium; & consilia & responsa medicinalia.*

s) *Bibliothec. medic.* p. 140. MASSARIAS facilis & diligens GALENI sectator, cuius de febribus & medicamentis libri praecipue perlegendi.

t) *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 10. Eiusdem notae est ALEXANDER MASSARIAS, homo doctus quidem, sed qui nimis superstitiose GALENO fuit addictus, adeo, vt nemo GALENI fuerit studiosior, eiusdemque simul methodi peritior. Et cap. III. §. 30. scribit: MASSARIAS non dubitauit profiteri, malle se cum GALENO errare, quam cum aliis sapere.

§. XVI.

Productis hactenus medicis Italis adsociandi praeterea ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS, ALOYSIVS MVNDELLA, & PET. MATTH. PINVS: quoniam priores duo de GALENO, posterior vero de HIPPOCRATE, indicibus & breuiariis librorum vtriusque magno labore multoque studio compositis, bene mereri sunt conati. Horum primi opus, constans spisso volumine folii, quam vocant, formam habente, stupendo labore a BRASAVOLO & IAC.

ANT. BONO congestum, & Venetiis u) anno 1551. fol. publici factum iuris, insecuto tempore, gerens inscriptionem: ANT. MVSAE BRASAVOLI *Index refertissimus in omnes* GALENI *libros, qui ex quarta Iuntarum editione exstant*, Venetiis anno 1565. fol. recusum fuit. ALOYS. MVNDELLA, qui cum ANDREA A LACVNA simile ferme institutum habuit, in lucem protulit *Theatrum* GALENI, *hoc est, vniuersae medicinae, a* GALENO *diffuse sparsimque traditae, promptuarium, quo vel indicis loco in omnes* GALENI *libros, vel locorum communium instar, in re medica lector vtetur*, Basileae anno 1568. fol. excusum, deinde vero Coloniae Agrippinae 1587. eadem forma recusum. Perquam vtilis autem & multae bonae frugis liber ille, quem PETR. MATTH. PINVS inscriptum: *Compendium, instar indicis in* HIPPOCRATIS *Coi opera omnia, res quasque distinctissime ac vberrime complectens*, Venetiis 1597. fol. impressum emisit, quique hactenus rarior factus erat, haud ita pridem w) eodem in loco, pari forma, ab I. B. PAITONO, vna cum ipsius HIPPOCRATIS operibus & commentariis IOH. MARINELLI, denuo editus est.

u) Vid. IOH. IAC. FRISII *Bibliothec.* pag. 65.

w) Vid. Noua litteraria anni 1740. pag. 289. seq.

§. XVII.

E medicis, quos Germania saeculo sexto decimo tulit, celebrioribus, ANDR. VESALIVS, IOH. GVINTERIVS, LEONH. FVCHSIVS, FRANC. IOEL, IOH. WIERVS, THOMAS ERASTVS, BALDVINVS RONSSEVS, IOH. IAC. WECKERVS & IOH. HEVRNIVS locum tueri hic possunt. Horum primi eximia x) scripta, quae singula semper fuerunt excusa, tandem, cura HERM. BOERHAAVII & BERNH. SIEGF. ALBINI, iuncta sunt emissa, prolixa doctaque praefatione comitata, sub titulo sequenti: ANDREAE VESALII *Opera omnia* y) *anatomica & chirurgica*, Lugduni

ni Batau. 1725. fol. duobus voluminibus impreſſa. VESALII autem *Paraphraſin* z) *in nonum librum* RHAZIS ad ALMANSOREM, *Epiſtolam de vena* a) *ſecanda in pleuritide, & conſilia* b) *medica*, fruſtra hic quaeres. De IOH. GVINTERII *Commentariis II. de medicina veteri & noua, tum cognoſcenda, tum facienda*, Baſileae 1571. fol. impreſſis, legitur in ADAMI *Vitis medicorum germanorum* c), ſimile ferme eius fuiſſe inſtitutum, quale RHAZIS fuit in *Continente*, vt nempe optima quaeque atque notatu maxime digna, quaecunque in graecorum, arabum, latinorumque medicorum ſcriptis d) inuenerat, in vnum quoddam ſyſtema compingeret: qua in re methodo vſus eſt dialogiſtica. Quidnam in LEONH. FVCHSII *Operibus didacticis*, Francofurti anno 1604. fol. typis exſcriptis, contineatur, id in ſubiecta annotatione e) docebo: breuiter hic ſaltem obſeruans, eum *paradoxis* ſuis *medicis* multos ſibi paraſſe inimicos, nimio quoque, quo ferebatur in Arabes, odio vltra metas interdum eſſe progreſſum.

x) Hoc inprimis de anatomicis eſt accipiendum; quippe quae huc vsque in tanto habentur pretio, vt iliadem poſt HOMERVM ſcripturus eſſem, ſi elogia eorum huc coaceruarem, quae maximam partem in BLOVNTII *Cenſuris celebrior. autor.* pag. 678. ſeqq. & in STOLLII *Hiſtoria medicinae litteraria* p. 414. ſeqq. collecta inueniuntur.

y) Exhibentur: *Libri VII. de humani corporis fabrica; epitome librorum de humani corporis fabrica; epiſtola rationem modumque propinandi radicis chynae decocti pertractans*; GABRIELIS FALLOPPII *Obſeruationes anatomicae*; VESALII *Examen obſeruationum* G. FALLOPPII *Anatomicarum*; GABRIELIS CVNEI *Examen apologiae* FRANCISCI PVTEI *pro* GALENO. VESALII *Chirurgia magna.*

z) Baſileae 1537. 8. Witteberg. 1587. 8. Cur liber iſte in LINDEN. *renouato* pag. 56. pro ſpurio & ſuppoſititio habeatur? neſcire me fateor. Neque enim in GESNERI *Bibliothec. vniuerſal.* pag 42. neque in FRISII *Bibliothec.* p. 49. neque in GALLI *Bibliothec. medic.* p. 22. neque in SCHENCKII *Bibliothec. medic.* pag. 51. de ingenuitate eius vllum dubium motum, memini.

a) Baſileae anno 1539. 4.

b) Ho-

b) Horum non nulla singula emanarunt; alia autem collectionibus LAVR. SCHOLZII & HENR. GARETII fuerunt inserta.

c) Pag. 226. Elucubrauit posteritati varia, imprimis medica. Nam Lutetiae cum medicinae scientiam profiteretur, omnes eius scriptores, tum graecos, tum latinos & arabicos celebriores, diligenter inter se contulit, examinauitque: & quicquid in ipsis iuuentuti erudiendae necessarium, memoriaque dignum deprehendit, in duos commentarios redegit, quibus titulum fecit, de medicina veteri & noua. Quanti GVINTERIVM fecerit CONR. GESNERVS, id testatur *Bibliotheca* huius *vniuersalis*, vbi pag. 424. vir graece & latine doctus, medicus egregius, &, translatis e graeco aliquot in re medica operibus, apud omnes eius artis studiosos celeberrimus, appellatus inuenitur. PET. CASTELLANVS in *Vitis illustr. medicorum* pag. 239. magis adhuc laudat eum scribens: Nota satis huius viri doctrina, cui si verbis addere laudes velim, nihilo secius insaniam, quam, si meridianum solem illustrare coner.

d) Quod, in ferendo de iisdem iudicio, inprimis PARACELSVM quod attinet, a partium studio plane remotum se ostenderit, id CLERICVS in *Historia medicinae* pag. 819. non sine laude de ipso testatus est.

e) Sistuntur: *Institutionum medicinae libri* V. *de humani corporis fabrica, epitome, ex* GALENI *&* VESALII *libris concinnata; de compositione medicamentorum libri* IV. *de sanandis totius humani corporis, eiusque partium, tam externis quam internis malis libri* V. *Paradoxorum medicorum synopsis*. De reliquis eius operibus, botanicis potissimum, quae carptim tantum prelis exierunt, alibi dicendi occasionem arrepturus sum. Hic tantum notabo, tam CONR. GESNERVM, quam HERM. CONRINGIVM, de *Fuchsianis* cum scriptis tum meritis benigne ac liberaliter admodum iudicauisse. Ille enim in *Bibliothec. vniuers.* p. 480. haec habet: LEONH. FVCHSIVS, vir in vtraque lingua doctissimus, ac medicinae nostro tempore clarissimus in schola Tubingensi professor, de vniuersa re medica optime meritus est, quam aliquot libris, quorum magna gratia est, apud omnes studiosos, egregie illustrauit. In huius autem *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 13. sequentia leguntur verba: LEONH. FVCHSII opera omnia reuera docta sunt, licet a quibusdam parui aestimentur. Per iniuriam certe ex manibus iuuentutis vulgo excutiuntur, cum patrum auorumque aetate doctissimi quique, tam Itali, quam Galli Hispanique, cum illo disputare conati fuerint, non vtique id facturi, nisi, praeclara eum doctrina instructum esse, sibi persuasissent.

§. XVIII.

FRANCISCVS IOEL quae nobis reliquit, scripta, a MATTH. BACMEISTERO & FRANC. IOELE tertio,

tio, initio quidem diuerſis f) locis, ſingula, publicata, poſtea vero, rubricam in fronte gerentia hanc: FRANC. IOELIS *Opera medica reuiſa, emendata, indicibusque neceſſariis exornata*, Amſtelodami, anno 1663. 4. vniuerſa impreſſa, continent *Compendium artis medicae*; & *Praxin medicam*: in cuius operis poſteriore parte autor amplam g) experientiam, ſimulque excellentem notitiam h) in ſolo patrio genitorum remediorum oſtendit. In IOH. WIERI *Operibus* i) *omnibus*, Amſtelodami 1660. 4. editis, medicus ex lectione *Tractatuum de irae morbo eiusque curatione; de ieiuniis commentitiis*, maxime autem *Obſeruationum* eius *medicarum rariorum*, aeque ac *Libelli de varenis* k), *morbo endemio Weſtphalorum permoleſto*, haud ſpernendum percipiet fructum. THOMAE ERASTI *Varia opuſcula* l) *medica*, Francofurti 1590. fol. characteribus ſignata, continent quidem mera ſcripta poſthuma; ſunt tamen ea ipſa paria illis, quae autor viuens adhuc edidit, a VOPISCO FORTVNATO PLEMPIO m) aeſtimata, & ab omnibus eruditis magnis encomiis n) exornata.

f) Hamburgi, Luneburgi & Roſtochii. Videatur *Bibliotheca Riuiniana* p. 126.

g) Legatur praefatio, quam academiae Roſtochienſis facultas medica operibus IOELIS praemiſit, vbi de meritis magni huius practici & PODALIRII *Pomerani*, quo encomio illum ornant, maxima cum laude loquuntur.

h) CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 13. Non parum etiam peritiam artis auxit praxis FRANC. IOELIS, hoc nomine potiſſimum commendanda, quod vulgaria remedia, quorum ipſe magnam experientiam habuiſſe videtur, maxime detegat.

i) Continentur: *De praeſtigiis daemonum & incantationibus ac veneficiis libri* VI. *liber apologeticus de pſeudomonarchia daemonum*; *de lamiis liber*, & *de commentitiis ieiuniis*; *de irae morbo ejusque curatione*; *obſeruationes medicae rariores*, quibus accedit *liber de varenis*.

k) Huius libelli in CRATONIS *Conſil. & epiſt. medicinal.* lib. II. p. 329. lib. III. p. 189. ſeq. non ſine laude eſt mentio facta.

l) Exhibentur hic variae commentationes, quarum elenchus in LINDENIO *renouato* p. 1016. quaeri poteſt, quas inter, *Praelectiones*

in

in HIPPOCRATIS *prognostica, & libri primi aphorismos aliquot; varia ad morbos varios consilia; dissert. de saporibus; epistola de natura & ortu lapidis fabulosi palatini; epistola de peste* &c. notatu forsitan maxime erunt dignae.

m) Vid. Praefatio IOH. ANTONID. VAN DER LINDEN *Manuductioni ad medicinam* praemissa, vbi haec leguntur: Post veteres, primas ferunt FERNELIVS, VALLESIVS, A VEIGA, ARGENTERIVS, ERASTVS: quorum commentaria omnia, quod rarum est, solida, exasciata, &, vt compendio dicam, bona sunt.

n) Quantis elogiis ADAMVS in *Vitis medicorum germanor.* pag. 245. ERASTVM euexerit; qua ratione PASCHALIS GALLVS in *Bibliothec. med.* p. 291. Heluetiorum, immo philosophorum & asclepiadarum omnium splendorem, ipsum vocauerit; CONRINGIVS porro in *Introduct. in art. medic.* cap. I. §. 13. laudem viri iudicio acri & singulari doctrina praediti, ipsi tribuerit; ANDREAS denique DVDITHIVS, in CRATONIS *Consil. & epistol. medicinal.* lib. VI. pag. 575. scripserit: ERASTI doctrina & ἀκρίβεια praeter ceteros, qui nunc docent, mirifice mihi probatur; id obiter saltem, & leui, quod dicitur, brachio, annotare hoc loco volui.

§. XIX.

Inter BALDVINI RONSSEI *Opuscula* o) *medica*, Lugduni Batauor. anno 1618. & 1654. 8. iunctim luci exposita litterariae, prae reliquis *Epistolaé medicinales*, vna cum *libello* p) *de scorbuto*, legi merentur. IOH. IAC. WECKERI *Syntaxis medica, vniuersam medicinam ordine pulcherrimo complectens, ex selectioribus medicis, tam graecis, quam latinis & arabibus, collecta*, & Basileae anno 1562. ac 1581. fol. impressa, parum honoris autori attulit suo. Lego enim in CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. VIII. §. 15. & in IAC. THOMASII *Dissert. de plagio litterario* §. 696. opus istud ex PET. ANDR. MATTHIOLI ac IAC. SYLVII aliorumque scriptis, illicito atque indecenti modo consarcinatum esse. IOH. HEVRNII *Opera omnia, tam ad theoriam quam ad praxin medicam spectantia*, stilo pure latino conscripta, curaque filii OTTONIS HEVRNII Lugduni Bat. 1609. 4. excusa, & quidem vniuersa, nec non Lugduni in Gallia 1658. fol. recusa, continent, praeter *Commentarios in diuersos*

fos libros Hippocraticos q), alia quoque magni momenti r) fcripta. Fuerunt tamen, qui etiam hunc autorem plagii fufpectum s) haberent.

o) Exhibentur: *Epiftolae medicinales*; *de morbis mulieribus & infantilibus centones*; *de magnis* HIPPOCRATIS *lienibus*, PLINIIQVE *Stomacace ac fcelotyrbe, feu, vulgo dicto fcorbuto*, *libellus*; *venatio medica, continens remedia aduerfus omnes a capite ad calcem vsque morbos.*

p) Vid. RHODII *Bibliothec. medic.* p. 156. vbi refertur inter autores, qui in certis materiis excellunt

q) Nempe in *Libros* II. *de natura humana*; *de iure iurando*; *de medico*; *de lege*; *de arte*; *de medicina prifca*; *de elegantia*; *de praeceptionibus*; *de carnibus, fiue, principiis*; *de remediis purgatoriis*; *in libros* III. *Prognofticorum*; *libros* IV. *de victus ratione in morbis acutis*; vt & *in aphorifmos.* His fcriptis tantam fibi conciliauit exiftimationem, vt CONRINGIVS *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 34. ipfum inter doctisfimos HIPPOCRATIS interpretes retulerit. Aliorum iudicia indicauit BLOVNTIVS in *Cenfuris celebriorum autorum* p. 799. feq.

r) Exempli gratia: *Inftitutiones medicas*; *praxin medicinae generalem & particularem*; *refponfum ad fupremam Hollandiae curiam, nullum effe aquae innatationem lamiarum indicium*; *orationem de medicinae origine, Aefculapidum &* HIPPOCRATIS *ftirpe & fcriptis*; *Epiftolam de morbis nouis &c.*

s) Vid. IAC. THOMASIVM *De plagio litterar.* pag. 204. feq. & SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. Introduct.* cap. VII. §. 2.

§. XX.

Hactenus praecipuorum faeculi decimi fexti medicorum fyftematica, feu fyftematicis certe fimilia, opera vna impreffa recenfui: iam faeculo feptimo decimo par opera nauanda, excitandique, qui illo claruerunt, medici. Huc ex Hifpanis *) FRANC. SANCHEZ, ex Scotis DVNCANO LIDDELIO, & ex Anglis vni t) THOMAE WILLISIO, locum aliquem concedere mihi licet. *Primi opera medica & philofophica*, Tolofae anno 1636. in 4. vniuerfa fimul, prelorum ope, in lucem litterariam expofita, conftant ex *Libris* III. *De morbis internis*; *libr.* II. *de febribus*; *de venenis, eorum fignis & remediis*; *de purgatione*; *de phlebotomia*; *de formulis praefcribendis*; *de electione*,

praeparatione & compositione medicamentorum; *commentariis in libros* GALENI *de pulsibus, de crisibus, de caussis & differentiis morborum & symptomatum; censura in* HIPPOCRATIS *Opera omnia*, & denique *Summa* u) *anatomica*. Notior autem factus est horum autor sceptica sua philosophia w), quam libris ad artem spectantibus medicam. DVNCANI LIDDELII *Operum Iatro-Galenicorum* x) *ex intimis artis medicae adytis & penetralibus erutorum, tomus vnicus*, Lugduni 1624. 4. impressus, parum hodie expetitur; etsi autor a IOH. CASELIO olim maximi *) fuerit factus. E contrario THOMAE y) WILLISII *Opera omnia* z), quae Geneuae anno 1680. 4. iunctim a) edita sunt, maiori ex parte applausu b) sunt excepta: siquidem G. C. SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 20. eius *Pharmaceuticen rationalem* tantis extulit encomiis, c) vt maioribus efferre nequiret.

*) De ANTONII PONCII A SANCTACRVCE *Opusculis medicis & philosophicis*, Mantuae Carpetanorum 1622. in folio impressis, eam ob caussam hic loci nihil scribere volui, quoniam illa maiore sui parte ad philosophos potius quam ad medicos spectant.

t) De THOMAE enim SYDENHAMII, & RICHARDI MORTONI *Operibus*, quae pene mere sunt practica; de ROBERTI porro BOYLII *Operibus*, quorum argumentum physicum est atque chemicum; nec non de GEORGII ENTII, & denique de IOH. MAYOWII *Operibus*, potiorem partem physiologicis & anatomicis, tomo fortasse huius bibliothecae posteriore commodior sese offeret dicendi nobis occasio: quanquam horum vltimi iam superius etiam capit. III. sect. I. §. 5. mentionem aliquam iniecerim.

u) Compendium hocce anatomicum, ex GALENO, VESALIO, COLVMBO & FALLOPPIO est congestum; ipsum autem vna cum autore suo in DOVGLASSII *Bibliographia anatomica*, vt & in GOELICKII *Introductione in historiam litterariam anatomiae*, praeteritum atque omissum fuit.

w) Tractatu nempe: *Quod nihil scitur*, de quo cap. III. sect. III. §. 5. iam dicere me, memini.

x) Sistuntur: *Lib.* I. *de physiologia; lib.* I. *de pathologia; lib.* I. *de signis medicis; liber* I. *de therapeutica & diaetetica; libri* III. *de febribus & earum symptomatibus; de peste; de variolis & morbillis.*

*) Vid.

*) Vid. I. C. BOEHMERI *Memorias medicorum Helmstadiensium* pag. 16. seqq.

y) Huius iam inter nouatores medicos mentio fuit facta, cap. III. sect. I. §. 5.

z) Exhibentur: I. *Diatribae duae: altera de fermentatione; altera de febribus: quibus accessit dissert. de vrinis.* II. *Cerebri anatome, neruorumque descriptio & vsus: quibus accessit Tr. de ratione motus musculorum.* III. *Pathologiae cerebri & neruosi generis specimen.* IV. *Affectionis hystericae & hypochondriacae pathologia spasmodica, vindicata contra* NATHAN. HIGHMORVM. *Cui accesserunt exercitationes de sanguinis accensione & motu musculari.* V. *Exercitationes duae de anima brutorum, quae hominis vitalis ac sensitiua est.* VI. *Pharmaceutice rationalis, seu, diatriba de medicamentorum operationibus in corpore humano.* Quando, & vbi locorum hae commentationes, singulae, impressae fuerint, annotatum inuenitur in LINDENIO *renouat.* p. 1025. vbi simul obseruatum legitur, WILLISII tractatus anatomicos *Bibliothecae anatomicae* CLERICI & MANGETI insertos esse.

a) Geneuae primum, anno 1676. 4. postea, studio & opera GERHARDI BLASII, Amstelodami 1682. 4. nitidissime prodierunt.

b) Vid. BLOVNT. *Censur. celebrior. autor.* p. 1058. seqq.

c) Non texit tamen etiam simul eodem in loco, quaenam ea sint, quae in WILLISIO sibi displiceant; inter quae haud sane postremum est hoc ἔγκλημα, quod haud raro apud alios lecta, callide dissimulatis autoribus, pro suis obtrudere, & nouis incrustare formis optime sciat.

§. XXI.

Inter medicos gallicanos, qui XVII. illustrauerunt saeculum, IOH. VIGIERIVS, NICOL. ABRAH. FRAMBESARIVS, IAC. FONTANVS, IOH. VARANDAEVS, FRANC. RANCHINVS, LAZ. RIVERIVS, & FRANCISCVS denique BAYLE, locum sibi hic vindicare poterunt. IOH. VIGIERII *Opera medico-chirurgica, continentia chirurgiam magnam, thesaurum & armamentarium medico-chirurgicum, enchiridion anatomicum, historiam foetus:* quae primum particulatim, idque idiomate gallicano conscripta, prodierunt; insecuto tempore a filio autoris homonymo in latinam transla a linguam luculenterque aucta, Hagae Comitum, anno 1659. 4. vno fasciculo sociata sunt emissa. In

NIC. ABRAH. FRAMBESARII *Operibus medicis*, Francofurti anno 1629. 4. diuulgatis, inueniuntur: I. *Canones & consultationes medicinales;* II. *Canones chirurgici;* III. *Apologia pro veritate & innocentia medicamentorum chymicorum aduersus criminatores.* IV. *Laurea academica Frambesariana*, & *Tr. de praeseruatione pestis. Ambrosiopoea* d) autem eius, seu, *Tr. de medicamentorum praeparationibus*, in hoc syntagmate quaeri non debet. Quaenam comprehendantur *Operibus medicis* IAC. FONTANI, medici PEIRESKIO e) magno in pretio habiti, felicisque practici, quae Geneuae 1613. 4. impressa sunt, docebit infra subiecta annotatio f). Ex IOHANNIS autem VARANDAEI *Operibus* g) *omnibus*, Lugduni 1658. fol. iunctim editis, *Libri* III. *de morbis mulierum* ab HERM. h) CONRINGIO laudati; *Tractatus* porro *de morbis ventriculi; de elephantiasi, & de morbis renum & vesicae*, a IOH. RHODIO i) tanti aestimati sunt, vt eos autoribus, qui in certis materiis excellunt, adnumerare nullus dubitauerit.

d) Parisiis 1622. & 1636. 12. Haud magni fecisse hunc librum CONRINGIVM, apparet ex eius *Introduct. in art. medic.* cap. XI. §. 12.

e) Vide GASSENDVM in *Vita* PEIRESCII lib. II. ad annum 1609.

f) Continentur: *Vniuersae artis medicae secundum* HIPPOCRATIS & GALENI *doctrinam partes quatuor; de demonstratione medica libri* II. *Commentarii in* HIPPOCRATIS *aphorismos; doctrina crisium; consilia medica.*

g) Exhibentur: *Physiologia & pathologia; Tr. prognosticus, & de indicationibus curatiuis; de morbis ventriculi; de elephantiasi; de affectibus renum & vesicae; de morbis mulierum; de formulis remediorum.*

h) In *Introduct. in art. medic.* cap. V. §. 18. Insignia etiam habet, quaeque alibi non reperiantur, IOHANNES VARANDAEVS. E contrario e CASP. A REIES *Elysio iucundarum quaestionum campo*, quaest. XLIX. p. 610. video, hunc parum benigne de isthoc opere sensisse.

i) In *Bibliothec. medic.* pag. 154.

§. XXII.

FRANCISCI RANCHINI *Opuscula medica*, quae G. C. SCHELHAMMERVS in additam. ad Conring. introduct.

duct. cap. V. §. 20. opuscula sane perdocta appellauit, Lugduni 1627. 4. vna sunt impressa, continentque diuersas commentatiunculas k), quarum quae *De morbis senum* agit, ideo notatu digna, quoniam RANCHINVS vnus ex primis fuit, qui peculiari libello hanc materiam deduceret. Non tamen inueniuntur in hac collectione *Tractatus duo posthumi: I. De morbis ante partum, in partu & post partum; II. de purificatione rerum infectarum post pestilentiam*, qui Lugduni anno 1644. 4. primum l) lucem adspexerunt. LAZARI RIVERII *Opera medica* m) *vniuersa*, initio singulatim *) luci exposita, Lugduni deinceps 1663. fol. item Venetiis 1664. fol. optime autem plenissimeque Francofurti ad Moen. anno 1669. fol. procurante IOH. DAN. HORSTIO, excusa, ibidemque anno 1674. pari forma, IOH. IAC. DOEBELIO dirigente, iunctim sunt recusa atque diuulgata, auide quoque quaesita: quamuis GVIDO PATINVS n) autorem illorum inter dehonestamenta artis medicae retulisset, nec magis eundem HERM. CONRINGIVS o) commendasset. FRANC. BAYLE *Opuscula*, Tolosae anno 1701. 4. emissa, oculis lectoris proponunt omnismodi tractatus p) physici atque medici argumenti: in quibus *Historia* q) *anatomica grauiditatis viginti quinque annorum*, prae reliquis meretur attentionem.

k) Nempe: *Commentarium in* HIPPOCRATIS *iusiurandum; pathologiam vniuersalem, cum controuersiis in vtramque partem agitatis & decisis; Tr. de morbis puerorum; Tr. de morbis virginum; Tr. de senum conseruatione, & senilium morborum curatione; Tr. de morbis subitaneis; Tr. de curatione morborum & symptomatum, quae vitiosam purgationem aut comitantur, aut consequuntur; Tr. de consultandi ratione. His omnibus praemittitur Apollinare sacrum, de Monspeliensis vniuersitatis origine, progressu & celebritate.*

l) Recusi sunt iidem etiam postea Lugduni anno 1645. 8. & anno 1653. forma eadem.

m) Constant ista: *Libris* V. *Institutionum medicarum; libris* XVII. *Praxeos medicae; & centuriis* denique *IV. Obseruationum medicarum & curationum insignium.*

*) Vid.

*) Vid. LINDEN. renouat. p. 739. Quibus vnicum addo, praxin nimirum medicam Lugduni anno 1660. in 8. impressam innumeris dedecoratam esse penitus vitiis typographicis; etsi illa ipsa a G. C. SCHELHAMMERO in *Additam. ad Conring. Introduct.* cap. VII. § XI. ceu correcta fuerit laudata.

n) *Lettres choisies*, volum. I. lett. X. p. 44. & lettr. XI. p. 48. scribit: Comme ie ne fus iamais à Montpelier, ie n'en connois les medecins, que par leurs ecrits, eoque nomine potissimum colo IOVBERTVM, VARANDAEVM, RANCHINVM; Mais ie me garderai bien de mettre en ce rang Messieurs RIVIERE & COVRTAVD, qui n'entreront iamais en comparaison auec FERNEL, TAGAVT, DVRET, SYLVIVS, HOLLIER, SIMON PIETRE, BAILLOV, & autres, magnus erit, quos numerare labor.

o) *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. XI. Alter est LAZARVS RIVERIVS, cuius practici libri cum obseruationibus vtut luculenter ostendant, propria experientia non adeo multa illum obseruasse, sed ex aliis pleraque transscripsisse, cumprimis ex SENNERTO, licet id saepe dissimulet; habet tamen etiam quaedam propria non contemnenda. Quanquam multum commodi exinde nemo haurire possit. In veterum certe lectione plane est hospes.

p) Nempe: I. *Dissert. medic.* III. *de caussis fluxus menstrui mulierum; de sympathia variarum corporis partium cum vtero; de vsu lactis ad tabidos reficiendos, & de immediato corporis alimento.* II. *Dissert. physic.* VI III: *Problemata physica & medica;* IV. *Tr. de apoplexia;* V. *Dissert. de necessitate coniungendi experientiam cum ratione;* VI. *Historiam anatomicam grauiditatis 25. annorum;* VII. *Informationem circa mulieres quasdam, quae a daemone possessae credebantur;* VIII. *Dissert. de caussa suspensionis vaporum in aere;* IX. *Dissertationes physico-morales V. circa consuetudinem, generationem animalium, voluptatem & dolorem.*

q) Similes casus a IOH. etiam ALBOSIO, EL. CAMERARIO, GODOFR. HELDIO &c. sunt annotati.

§. XXIII.

E medicis Italis, saeculo XVII. vita functis, hic r) praetereundi mihi non sunt HIER. MERCVRIALIS, HERCVL. SAXONIA, FABR. BARTHOLETVS, SANCTORIVS SANCTORIVS, & IOH. STEPHANVS: quibus merito ADRIANVM SPIGELIVM, & IOH. PRAEVOTIVM, etsi vtrumque natione germanos, accenseam, oportet. Horum de *primo*, cuius eruditio minime solius artis medicae terminis include-

batur s), notandum, non nulla eius ſcripta luci publicae fuiſſe expoſita, ornata ſequenti titulo: HIER. MERCVRIALIS *Opuſcula* t) *aurea & ſelectiora, vno volumine comprehenſa.* Venet. 1644. fol. Ex his *Libri ſex de arte gymnaſtica veterum,* etſi eos iuuenis adhuc tum conſcripſerit, maximam u) ipſi nominis famam pepererunt. HERCVLIS SAXONIAE *Pantheum* w) *medicinae ſelectum*, ab auditore eius, PETRO VFFENBACHIO, Francofurti anno 1603. fol. optimo habitu editum, HERM. x) quidem CONRINGIO iudice, exiguae eſt autoritatis liber; IOH. tamen RHODIVS in *Bibliotheca medica* pagina 140. SAXONIAE id laudis y) tribuit: quod in enodandis morborum ſignis ſit accuratus. FABR. BARTHOLETI *Encyclopaedia hermetico-dogmatica, ſiue, orbis doctrinarum medicarum,* Bononiae 1619. 4. emiſſa, ſyſtematis quidem cuiusdam medicinalis affectat ideam; maiorem tamen gloriam z) adeptus eſt autor edita *Methodo ad dyſpnoeam,* Bononiae 1633. 4. De SANCTORII SANCTORII *Operibus omnibus* *) *quatuor voluminibus comprehenſis,* atque Venetiis anno 1660. 4. vna editis, id ſolum annotabo, iam ſupra capite III. ſect. I. §. 6. memoratam *Medicinam* eius *ſtaticam*, omnibus reliquis ipſius libris, pleno omnium doctorum & vnanimi conſenſu, fuiſſe praelatam.

r) Reliquorum enim ſcripta aut iunctim non ſunt edita, aut, ſi ſunt ita edita, huc tamen minus ſpectant. Sic de operibus HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE, quae ſunt argumenti anatomici atque chirurgici; de MARCELLI porro MALPIGHII, quae botanici & anatomici; de ANGELI SALAE, quae chemici; & de PETRI denique POTERII, quae practici & itidem chemici, longe commodior dicendi ſe mihi occaſio offeret tomo altero. FRANCISCI contra REDI opera omnia, tribus tomis diſtincta, quae Venetiis 1712. 8. lingua italica euulgata, & in *Giornale de' letterati d' Italia* T. IX. a pag. 1. ad 191. accurate recenſita leguntur, ad philoſophicam potius, quam ad medicam, ſpectant bibliothecam.

s) CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 32. HIER. MERCVRIALIS, vir elegantiori doctrina plane imbutus, in quo praecipue omnis generis ſcriptorum medicorum multiplex lectio cum

accurato iudicio vix satis laudari potest. conf. BLOVNTII *Censur. celebrior. autor.* p. 800. seqq.

t) Videlicet *De arte gymnastica libri* VI. *de morbis mulierum libri* IV. *de morbis puerorum libri* III. *variarum lectionum libri* VI. ALEX. TRALLIANI *Epistola de lumbricis; lectiones de pestilentia; de maculis pestiferis; de hydrophobia; de venenis ac morbis venenosis; quibus accessit nouum consilium de ratione discendi medicinam.*

u) Vid. CONRING. *Introduct. in artem medic.* cap. XIII. §. 12. Totum hoc argumentum adeo praeclare persecutus est HIERON. MERCVRIALIS, iuuenis tum adhuc, opere de arte gymnastica conscripto, vt vel vnico illo aeternam nominis gloriam sibi comparauerit. Geminum huic est indicium HERM. BOERHAAVII, quod de isthoc libro pronunciat in *Methodo discendi medicinam.* Quemadmodum & TEISSIERVS in *Additam aux eloges de Monsf. de* THOV part. II. pag. 359. seq. scribit: Parmi tous ses ouurages on fait vn cas particulier de son traité de arte gymnastica, qui est digne d'etre lû non seulement par les medecins, mais par tous ceux, qui aiment les belles lettres. Non obstantibus autem cunctis hisce encomiis, in IOHANNIS tamen ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductione ad medicin.* p. 92. lego sequentia in hoc opere desiderata: Gymnastica multorum quidem studio mediocriter culta, sed MERCVRIALIS potissimum, & IOVBERTI, & CAGNATI, exercita; etsi nondum plene elaborata. Neque enim illi ipsi, neque alius quisquam, exercitationum species bene distinxit aut annotauit; neque per has sanitatis tuendae certum modum docuit, neque a venientibus morbis praecauendae, ad quam plurimum tamen pollent. Nam vix aliqua in morbum inclinatio inuenitur, quae non exercitatione quadam propria corrigi possit.

w) Continentur: *Libri de affectibus capitis, thoracis, & infimi ventris; de morbis muliebribus; de pulsibus; de vrinis; de signis & symptomatibus febrium putridarum; de febribus; de lue venerea; de plica polonica; de phoenigmis libri tres.*

x) *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 32. Pantheum, titulo sic satis ambitioso appellatum, vastum fortasse magis quam doctum opus.

y) RHODIVS quoque eodem in libro p. 153. SAXONIAE *De febribus tractatus*, item *de lue venerea*, atque *de plica polonica*, illis accensuit, qui in certis materiis excellunt.

z) Vid. RHODIVM c. l. pag. 154.

*) Inueniuntur hic: *Commentaria in artem medicinalem* GALENI; *in primam sectionem aphorismorum* HIPPOCRATIS; *in primam Fen primi libri canonis* AVICENNAE; *Methodus vitandorum errorum medicorum; Ars de medicina statica; consilia medica &c.*

§. XXIV.

§. XXIV.

IOHANNIS STEPHANI *Opera* a) *vniuersa, suprema manu recognita*, Venet. 1653. fol. praeter *Commentarios in aliquot* HIPPOCRATIS & AVICENNAE libros, alias etiam quasdam comprehendunt commentationes: quas inter, memorata iam superius b), de *Theologia* HIPPOCRATIS, exercitatio, citra controuersiam, plurimorum attentionem in se conuertit. IOHANNIS PRAEVOTII *Opera medica posthuma*, Hanouiae anno 1666. 12. plenissime euulgata, exhibent *Tractatum de remediorum tum simplicium tum compositorum materia, cui annexa* IOH. STEPHANI *Cosmetice; Medicinam pauperum, seu, de remediis facile parabilibus; de venenis & alexipharmacis; de signis; de compositione* c) *medicamentorum;* & *Remedia denique selectiora.* Meliori procul dubio habitu ista singula comparitura fuissent publice, si ipse autor, dum viuebat, ea in lucem protrudere potuisset. ADRIANI SPIGELII *Opera, quae exstant, omnia* d), *cum praefatione* IOH. ANTONIDAE VAN DER LINDEN, Amstelodami anno 1645. fol. & quidem iunctim edita, HERM. CONRINGIO, HERM. BOERHAAVIO aliisque eruditis viris admodum quidem probata fuerunt; inprimis tamen *Libros* IV. *de Semitertiana*, & *Libellum de lumbrico lato*, IOH. RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 154. reliquis praetulit, iisque scriptoribus ideo autorem adnumerauit, qui in certis materiis excellunt.

a) Sistuntur: *Commentarii in libros* HIPPOCRATIS *de lege, de structura hominis, de virginum morbis; diatribe de incolumitate seruanda; paraphrasis in nonam Fen libri* III. & *primam Fen libri* IV. AVICENNAE; *dialogus de natura febris; consiliorum medicorum decades* X. *dialogus de vertigine; de contagionis natura libellus; miscellanea physicarum iatricarumque quaestionum; cosmetice, qua singulis foeditatibus naeuisque, qui faciem maculant, probata opponuntur remedia;* HIPPOCRATIS *Coi theologia.*

b) Cap. II. section. I. §. 1.

c) Hocce opusculum SCHELHAMMERVS in *Additam. ad Conring. introd.* cap. XI. §. 15. laudauit.

d) Constant duobus tomis. In horum priore inueniuntur: ADRIANI SPIGELII *Libri X. de fabrica humani corporis*; IVLII CASSERII *Tabulae anatomicae, cum* DAN. BVCRETII *supplemento*; ADRIANI SPIGELII *De formato foetu liber*; IVLII CASSERII *Tabulae de formato foetu*; CASP. ASELLII *De lacteis venis dissertatio*; GVILIELMI HARVEI *De motu cordis & sanguinis in animalibus exercitatio*; IOH. WALAEI *Epistolae duae de motu chyli & sanguinis*. In posteriore autem tomo deprehendes ADRIANI SPIGELII *Libros IV. de Semitertiana*; *librum I. de arthritide*; *librum I. de lumbrico lato*; & *libros II. Isagoges in rem herbariam*.

§. XXV.

In Germanicis, qui saeculo XVII. floruere, medicis, cui genti Heluetios quoque & Belgas accenseo, diuersi e) occurrunt, quorum hoc loco mentio mihi facienda erit. IOH. HARTMANNI scripta, quae singula f) partim antea prodierant, partim manuscriptorum in scriniis hactenus delituerant, a CONRADO IOHRENIO, hoc instructa titulo; IOH. HARTMANNI *Opera omnia* g) *medico-chymica*, Francofurti anno 1684. folio vna sunt excusa, ibidem anno 1690. pari forma recusa, nec non a G. C. SCHELHAMMERO h) vtilitatis nomine commendata. GREGORII HORSTII, *senioris, Opera medica, quae exstant, omnia* i) *in tres tomos diuisa, cura* GREGORII HORSTII, *iunioris*, Norimbergae 1660. fol. iunctim edita, Goudae vero anno sequenti 1661. 4. iterata prelo, *Obseruationes & epistolas medicinales* potissimum k) laudatas exhibent. De DANIELIS porro SENNERTI *Operibus omnibus*, a VOPISCO quidem FORTVNATO l) PLEMPIO parum commendatis, a CASPARO autem A REIES m) multisque aliis n) haud vulgaribus elogiis ornatis, ab HERMANNO denique CONRINGIO o) citra omne partium studium ex vero diiudicatis, hoc solum est, quod moneam, diuersis quidem illa locis p) vna impressa editaque esse; Lugduni vero anno 1676. fol. plenissime q) publicae exposita luci, sed in vniuersum vitiis typographicis tot & tantis r) foe-

foedata esse, vt praestet, scripta *Sennertiana*, quae per partes, viuo adhuc autore, Wittebergae prodierunt s), quaerere atque eligere.

e) Nihil tamen, praesenti quidem loco, de *Operibus* MATTHIAE GLANDORPII, IOHANNIS WALAEI, IOHANNIS VAN HORNE, REGNERI DE GRAAF, & THEODORI KERCKRINGII, quippe chirurgicis mere, aut mere anatomicis, sum dicturus; sed eorundem recensionem tomo alteri seruabo. De IOHANNIS autem BAPT. HELMONTII operibus iam cap. III. sect. I. §. 6. egi; etsi non duxerim ibi necessarium esse, longum scriptorum eius indicem, non magis ac *Paracelsicorum*, adiicere, quoniam lectori ex plerorumque rubricis, v. c. *Archaeus Faber*; *Gas aquae*; *Blas meteoron*; *Blas humanum*; *Magnum Oportet* &c. parum lucis affulsurum crediderim.

f) LINDEN. *renouat.* pag. 599. seq.

g) *In quibus praxis eius chymiatrica; notae in Basilicam* CROLLII *&* BEGVINI *tyrocinium*; *disputationes chymico-medicae*; *tractatus de opio*; *miscellanea medico-chymica*, *& introductio in vitalem philosophiam continentur.*

h) In *Additam. ad Conring. introduct.* cap. III. §. 37. In superiori Germania id, quod laudabile & egregium atque vtile in PARACELSO, HELMONTIO aliisque istius modi auctoribus repeiitur, a quisquiliis seiungere coepit IOHANNES HARTMANNVS, primus publico stipendio chemiae professor constitutus.

i) *Tomo* I. *theoretica*, *tom.* II. vero *practica*, & *tomo* denique III. *varia miscellanea scripta* exhiberi, istud docemur a LINDENIO *renouato* pag. 359. seq. Haud difficulter tamen *Institutiones medicae*; *Tr. de natura humana*; *de caussis similitudinis & dissimilitudinis in foetu respectu parentum*; *de tuenda sanitate litteratorum*; *de morbis eorumque caussis*; *centuria problematum medicorum* &c. reliquis dubiam reddere palmam iudicabuntur.

k) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. introduct.* cap. III. §. 37. Vixit etiam saeculi initio GREGORIVS HORSTIVS, plurimis scriptis clarissimus, maxime tamen obseruationum & epistolarum volumine, quod operose commendare superuacaneum foret.

l) In praefatione, IOHAN. ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductioni ad medicinam* praemissa: Genium habent SENNERTI libri: omnes videmus, laudatoresque comparauit sibi vir complures, ac laborum quidem, me quoque: eruditionis ac ingenii non nisi germanos, id est, compilatores atque rhapsodos. SENNERTVM de cetero a IOH. RHODIO in *Bibliotheca medica*, nec non, a G. C. SCHELHAMMERO in *Additam. ad Conring. introduct.*

duct. cap. V. §. 20. plagii postulatum fuisse, id in *Historia medicinae litteraria*, quae sub STOLLII nomine prodiit, p. 269. obseruaui

m) In *Elysio iucundarum quaestionum campo*, Qu. XLIX. p. 612. Saepius huius rei meminit in disertissimis ac facundissimis suis scriptis DANIEL SENNERTVS, ob admirabilem scientiae raritatem homo nouus in terris dictus.

n) Vide Iudicia virorum doctorum de SENNERTO, quae, vna cum Vita SENNERTI, plerisque operum eius iunctim impressorum editionibus praemissa leguntur. Conf. BLOVNTII *Censur celebr. aut.* p. 921.

o) *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 14.

p) Venetiis, Lutetiae Paris. Lugduni. Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 235. sequ.

q) In tomos sex ista editio est distributa; ita, vt *tomo* I. *Epitome scientiae naturalis*; *Hypomnemata physica*; *Methodus discendi medicinam*; *de consensu & dissensu chymicorum cum Galenicis*; *de origine animarum in brutis*: *tomo* II. *Epitome institutionum medicinae*, & *institutionum libri quinque*; *tomis* III. IV. V. *Medicina practica*: & *tomo* denique VI. *Epitome librorum de febribus*; *de febribus lib.* IV. *Fasciculus medicamentorum contra pestem*; & tandem *Epistolae medicinales* contineantur.

r) Vid. BARTHOLINI *Differt. de libris legendis*, p. 116.

s) LINDEN. *renouat.* p. 236. seq.

§. XXVI.

GVILIELMI FABRICII, *Hildani*, viri illius in chirurgicis exercitatissimi t), quae nobis reliquit, monumenta litteraria, quaeque initio singula, & ex parte crebrius u), prela exercuerunt, postea vero, inscripta in frontispicio: GVILIELMI FABRICII, *Hildani*, *opera obseruationum ac curationum medico-chirurgicarum*, *quae exstant*, *omnia* w), *ab autore recognita*, *multisque in locis*, *tum epistolis clarissimorum virorum*, *tum obseruationibus & exemplis nouis aucta*, Francofurti anno 1646. & 1682. vtraque vice in folii forma, iunctim typis exscripta; eodem quoque loco iam anno 1652. eadem forma, lingua germanica excusa prodierunt, existimationem illam, quam pridem x) obtinuere, nondum perdiderunt. THEODORI TVRQVETI DE MAYERNE *Opera omnia*, Londini a. 1700. fol. vna edita,

edita, & a IOSEPHO BROWN in praefatione magni aestimata, sistunt *Consilia*, *epistolas*, *obseruationes*, *pharmacopoeiam*, & *Syntagma praxeos in morbis internis*, *praecipue chronicis*, quorum posteriores libri iam diu antea a THEOPHILO BONETO, GVALTHERO CHARLETONIO &c. luci fuerant expositi litterariae. BALTASARIS TIMAEI A GVLDENKLEE *Opera* y) *medico-practica*, Lipsiae anno 1677. 1691. & 1715. 4. impressa, AVGVST. QVIRIN. RIVINVS z) libris practicis optimae notae annumerauit: siquidem & speciatim *Casus & obseruationes practicae* a IOH. IAC. WALDSCHMIDIO, GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO, & aliis, fundamenti loco practicis ipsorum collegiis fuerunt substratae, nec non peculiaribus commentariis illustratae.

t) V. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. XII. §. 4. Germaniae etiam non defuerunt praeclari chirurgi, in quibus praecipue tamen excelluit GVILIELMVS FABRICIVS, *Hildanus*, practicus felicissimus, quo, in excogitandis instrumentis chirurgicis, diiudicandisque medicamentis illi rei aptis, nullus peritior fuit aut felicior. Obseruationes certe eius chirurgicae adeo sunt egregiae, vt cum ceteris omnibus eius argumenti scriptis merito certare possint. Haud minus benigne de eodem eiusque scriptis indicauit IOHANNES VAN HORNE, in *Epilogo Microtechnes* suae, nec dubitauit omnino vocare illum germanorum decus eximium, cuius famam sera posteritas loquetur.

u) Ita, e. gr. *Tractatus* eius *de gangraena* duodecies iam, viuo tum autore, est impressus, & in peregrinas quoque linguas transfusus.

w) Continentur: *Obseruationum & curationum chirurgicarum centuriae sex*; *de conseruanda valetudine*; *de thermis Vallesianis*; *de thermis Fabariensibus*, *siue*, *piperinis*; *de dysenteria*; *de lithotomia vesicae*; *de gangraena & sphacelo*; *de ichore & meliceria* CELSI; MICHAEL. DOERINGII *Historia herniae vterinae*; *de combustionibus, liber vnus*; *de vulnere grauissimo a sclopeti ictu*, *obseruatio & curatio singularis*, *cum instrumentorum nouorum adumbratione*; *Tractat. de sclopetaria curatione*; *Epistolarum ad amicos*, *eorumque ad autorem centuria vna*; *Cista militaris.*

x) IOHANNES tamen VAN HORNE l. c. non dissimulauit simul, quaenam displiceant ipsi in autore: Addam tamen, inquiens, mihi displicere in Hildano ampullatum illud scribendi genus, & epistolicas illas praefationes, nihil ad rem attinentes.

y) Ex-

y) Exhibentur: *Casus & obseruationes practicae 36. annorum*; *Descriptiones medicamentorum singularium*; *Epistolae & Consilia*; *Descriptiones medicamentorum aliae*; AEGIDII VAN DER MYLE *Hortolinum Timaeanum*; *Villae Timaeanae inscriptiones*; *Superpondium alexicacum, seu, consilium de peste*; *Responsa*; *Consilium diaeteticum.*

z) Vid. Praefationem, quam operibus *Timaeanis* Lipsiae anno 1715. impressis, praemisit, vbi sequentia legere licet: Absque dubio vtilissimi sunt libri, quos ab autoribus exercitatis diuque in praxi versatis impetramus; possunt enim, cynosurae instar, viam ostendere securam, vt constet, quid faciendum, quidque vitandum sit nobis. Si exemplum desideras, libri practici non contemnendi, en tibi, lector beneuole, BALT. TIMAEI A GVLDENKLEE opera!

§. XXVII.

PAVLLI BARBETTE *Opera*, maximam partem practica, cum annotationibus FRIDERICI DECKERI, Lugduni Batauorum anno 1672. 12. deinde, multis cum IOH. IACOBI MANGETI additamentis, inscripta: *Opera omnia medica & chirurgica*, Geneuae 1682. 4. iunctim impressa, Lipsiae vero anno 1718. 8. germanice edita, prodierunt. *Praxis* autem *medica Barbettiana* saepius a) separatim prelo subdita fuit, non obstante, quod autor eius in IOH. IACOBI WALDSCHMIDII *Notis ad Praxin Barbettianam*, iactantiae, simulque & plagii fuerit accusatus. FRANCISCI DE LE BOE SYLVII *Opera medica*, quorum supra iam cap. III. sect. I. §. 7. mentionem feci, complectuntur *Dissertationes medicas, methodum* b) *medendi, praxin medicam* c), & *opuscula* d) *varia*: quibus omnibus, in editione Vltraiectina anni 1695. 4. SYLVII *Casus medicinales annorum* 1659. 1660. 1661. a IOACHIMO MERIANO sunt adnexi. In ISBRANDI DE DIEMERBROECK *Operibus omnibus*, quae filius eius Traiecti ad Rhen. 1685. fol. iunctim edenda curauit, inuenire licet *Anatomen corporis humani*, *Dissertationes practicas de morbis capitis, thoracis & infimi ventris*, *libros* denique *de peste quatuor*: quorum operum id e), quod loco nominauimus vltimo, non vltimam

ei

ei gloriam conciliauit. Quaenam contineantur in PAVLLI DE SORBAIT *Vniuersa medicina tam theorica, quam practica*, Norimbergae 1672. fol. impressa, illud subiecta docebit nota f). De THEODORO g) CRAANEN, acri illo philosophiae *Cartesianae* defensore, hoc solum obseruare lubet, *Tractatum* eius *physico-medicum de homine*; item *Oeconomiam animalem*; & *Praxin medicam reformatam*, mox a morte eius, iunctim edita, & cum hac inscriptione: THEODORI CRAANEN *Opera omnia*, Antwerpiae 1689. 4. diuulgata esse.

a) Exempli gratia: Amstelodami 1665. 8. 1678. 12. Lugduni Batau. 1669. 12. 1678. 12.

b) Quam male haec habuerit G. C. SCHELHAMMERVM, *Additamenta* ipsius *ad Conring. Introduct.* cap. II. §. 25. testari poterunt, vbi: Spretis, inquit, apodicticis argumentis, de quibus desperabat, probabiles sententias, & ex ingenio fictas, pro veris obtrudere, & super easdem methodum medendi ipsam construere, primus, ni fallor, ausus est SYLVIVS.

c) De hac benignius SCHELHAMMERVS c. l. ad cap. VII. §. 14. indicauit: Haud parum vero, inquiens, iuuit hic vir eximius rem medicam istis suis meditationibus; non tamen triumuiratu illo suo, sed aliis perpulchre excogitatis: praesertim vero in medicamentorum genere eminet; nihilo tamen minus ad cap. XI §. 14. monet, *Syluianas* sibi mixturas, vbi acidis spirituosa, calida frigidis, coelum terris mista, non vndiquaque placuisse; in quam rem IOH. quoque NICOLAVS PECHLINVS in *Obseruation. physico-medic. lib.* III. obs. 14. non citra rationem sufficientem scripsit: Dulcia plerumque laborantibus neque grata, neque vtilia, vt mirer, celeberrimum practicum omnes misturas, sic vocabat, copiosa syruporum dulcedine, sine vllo gloriae aut affectus detrimento, impune perfundere potuisse.

d) Videlicet: *Dictata ad* CASP. BARTHOLINI *institutiones anatomicas*; *Orat. inaugurat. de hominis cognitione*; *Theses de medicamentis chymicis*; *Epistolam apologeticam anti-Deusingianam*; *Orat. de affectus epidemii* 1669. *Leidensis caussis naturalibus*, &c.

e) Denuo editum illud esse, vna cum dissertat. pract. Geneuae 1721. 4. simulque cum praestantissimum, quem de peste habemus, librum laudatum, docent nos noua docti anni litteraria, p. 763. sequ.

f) Continentur: *Isagoge institutionum medicarum & anatomicarum*; *Methodus medendi cum controuersiis*, annexa *sylua medica*; *Curationes omnium morborum, virorum, mulierum, & puerorum, a capite*

pite ad calcem, nec non cura morbi venerei; *Tractatus de febribus, peste & venenis*; *Chirurgia, cum examine chirurgico*; *Methodus consultandi, cum annexis obseruationibus aliquot peculiaribus*; *Modus Viennae doctores creandi.*

g) Quantis is a IOH. IAC. WALDSCHMIDIO euectus sit laudibus, testatur huius epistola III. ad IOH. DOLAEVM: Beati CRAANENII, scribit illic, obitum mecum dolent omnes boni. Fuit is historicus, philosophus, mathematicus, & medicus consummatissimus, quarum disciplinarum professiones cum laude sustinuit. Ipsa coelo nostro eripiuntur lumina, e quibus tantam lucem splendoremque foenerabatur ars medica, BONTEKOE volo & CRAANENIVM; quorum ille in destruendo ruinoso medicinae aedificio; hic in iaciendis solidioribus fundamentis, & superstruendis nouis columnis & fulcris, desudauit. Ille acerbus & paullo rigidior in antagonistas, hic profundioris eruditionis, sedati animi & pacis fuit amans, cui natura ad intima thesaurorum penetralia concesserat claues. Me autem iudice, videtur I. I. WALDSCHMIDIVS, & ipse *Cartesianus*, panegyristam magis, quam criticum a partium studio alienum, hac quidem in re, egisse.

§. XXVIII.

CHRISTIANVS LANGIVS, qui, vna cum amico suo intimo, AVGVSTO h) HAVPTMANNO, ita dictam pathologiam animatam in scenam primus produxit, diuersos tractatus i) elaborauit, quorum non nulli k) a IOH. CENTVR. MACASIO, plerique vero, sub titulo: CHRISTIANI LANGII *Opera omnia*, Francofurti 1688. 4. sunt editi iunctim vno fasce, quibus praefationem comitem dedit GEORG. FRANCVS A FRANCKENAV. Chemici illius sua aetate celebris l), IOH. MICHAELIS *Opera medico-chirurgica, quotquot innotuerunt, omnia* m) prima vice Norimbergae anno 1688. 4. excusa, ibidemque eadem forma anno 1698. recusa in luce comparuere publica. Plurima tamen, n) quae circa MICHAELIS compositiones medicas, & praecipue circa dictum ita ab autore *Specificum cephalicum*, moneret, inuenisse sibi visus est DAN. LVDOVICI. MICH. ETTMÜLLERI *Opera omnia*, quibus, ob sui praestantiam, vndiquaque ab orbe litterato applausum est, quaeque frequenter, tam intra, quam extra

extra Germaniam, prela fatigarunt, optimo autem simulque plenissimo habitu, a filio autoris, MICH. ERNESTO ETTMÜLLERO, Francofurti 1708. fol. edita o) fuere, haud ita pridem, idque multis cum NICOLAI CYRILLI additamentis p) Neapoli sunt recusa; quorum succincta quoque epitoma q) iam antea, anno nimirum 1702. 8. Amstelodami fuerat expedita. Inter scripta illa, quae inscriptione instructa isthac: DAN. LVDOVICI *Opera* r) *omnia*, Francofurti 1712. 4. cum praefatione IOH. CONR. MICHAELIS, vna lucem salutauerunt publicam, *Dissertationes tres de pharmacia moderno saeculo applicanda*, autori suo maxima s) retulerunt encomia; pluris vero adhuc aestimandae forent, nisi per obscurum illud nimisque frequentibus parenthesibus intricatum scribendi genus, nimium quantum deformatae essent. t) IOH. IAC. WALDSCHMIDII *Opera* u) *medico-practica*, Francofurti 1707. 8. nitidissime prelo expressa, a prologo suo, IOH. DOLAEO, omnibus artis salutaris studiosis optima ratione sunt commendata w), *Monitaque* simul *medico-practica*, in hac collectione exstantia, ipsius HIPPOCRATIS aphorismis aequata.

h) De hoc medico iam cap. III. sect. I. §. 8. dixi.

i) V. gr. *Miscellanea curiosa medica*; *Tr. de thermis Carolinis*; *de acidularum Egranarum vsu*; *Commentarium in* HELMONTII *doctrinam inauditam de febribus*; & praecipue *Pathologiam animatam, seu, animaduersiones in pathologiam spagyricam* PETRI IOH. FABRI.

k) CHRISTIANI LANGII *Miscellanea curiosa medica*, *annexa disputatione de morbillis*, *quam prodromum esse voluit suae pathologiae animatae*, *itemque de elixir proprietatis*: *post autoris obitum coniunctim edita a* IOH. CENTVRIONE MACASIO. Lips. 1669. 4.

l) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring introduct.* cap. III. §. 37. & cap. XI. §. 6. vbi haec scribit: Primo autem in loco atque acie stare meretur IOHANNES MICHAELIS, Lipsiensis ille celeberrimus chemicus, ex cuius schola fere prodiit, quicquid illustris academia illa celebrat doctorum in arte chemica virorum.

m) Videlicet: I. *Praxis clinica generalis ad* IONSTONI *ideam, occupata circa affectus corporis humani vniuersales, particulares & chirurgicos.* II. *Praxis clinica specialis, casibus XXVI. subitaneis monita praxeos generalia ad aegri lectum applicare docens.* III. *Apparatus formularum, seu, Annotationes in* MORELLVM *de praescriptione formularum.* IV. *Ordo visitandi officinas, cum annexis regulis pharmaceutico - chymicis.* V. *Clauis ad autoris polychresta, seu, Descriptio medicamentorum* MICHAELIS, *quondam in secretis habitorum.*

n) Vid. I. H. IVNGKENII *Lexicon chymico - pharmaceuticon* part. II. *artic. Specificum cephalicum* MICHAELIS.

o) Dispartita sunt haec in duos tomos, in quorum priori, praeter epistolam MICH. ERN. ETTMÜLLERI ad LVCAM SCHROECKIVM, *Discursus physicus de principiis corporum naturalium; Institutiones medicae; Tentamina vromantica; Collegium chymicum; Tentamina chymica; Dissertatio de fermentationis & putredinis conuenientia; Collegium pharmaceuticum in* IOH. SCHROEDERI *Pharmacopoeiam medico - chymicam;* & *Collegium pharmaceuticum in* DAN. LVDOVICI *Pharmaciam moderno saeculo applicandam,* reperiuntur. Tomo autem posteriore *Collegium practicum; Collegium medico - chirurgicum; Dissertationem de fermentatione & chirurgia transfusoria; Collegium consultatorium; Casus & obseruationes medicinales;* denique *Dissertationes & programmata medica*, deprehendere licet. Inter illas *Dissertatio de medicina* HIPPOCRATIS *chymica* vel in primis notatu digna habetur.

p) MICH. ETTMÜLLERI *Opera omnia in V. tomos distributa; Editio nouissima, Lugdunensi locupletior, Francofurtensi auctior, Veneta emendatior, omnium completissima, & emaculatissima; Textus* SCHROEDERI, MORELLI & LVDOVICI *integer adiectus; accesserunt notae, consilia, dissertationes* NICOL. CYRILLI, *primarii medicinae professoris.* Neapoli 1728. fol. De qua editione acta eruditorum anni 1731. mens. Mai. euolui queunt. Eadem opera ETTMÜLLERI Geneuae quoque anno 1736. folio de nouo sunt characteribus expressa.

q) Titulus est: MICH. ETTMÜLLERI *Opera omnia in compendium redacta, in quo continentur: I. Institutionum medicarum synopsis, ab ipso autore concinnata.* II. *Pyrotechniae rationalis, seu, Collegii chymici epitome.* III. *Commentarius in* SCHROEDERI *pharmacopoeiam contractus.* IV. *Vniuersa praxis medica in angustum coacta.* V. *Chirurgia medica summatim perstricta.* Amstelod. 1702. 8.

r) Sistuntur: *De pharmacia moderno seculo applicanda dissertationes tres; de volatilitate salis tartari dissertatio; de morbis castrensibus & dysenteria tractatus duo. Obseruationes physico - chymico - medicae XLVIII.* Ex omnibus hisce schediasmatibus *Dissertationes de phar-*

pharmacia inprimis creberrime seorsim impressas, & intra parui temporis spatium Gothae, Hamburgi, Lipsiae, Amstelodami, Hafniae aliisque locis editas esse, IOH. CONR. MICHAELIS in modo allegata praefatione obseruauit. Huic obseruationi addere aliam iuuat, *Dissertationem*, videlicet, *pharmaceuticam secundam*, *de moderatione taxarum*, a IOHANNE HEIMREICHIO germanice translatam, Gothae anno 1714. 8. diuulgatam esse: qua verò opera is, aeque ac ipse autor, haud magnam penes pharmacopolas consecutus fuit gratiam.

s) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. introd.* cap. XI. §. 6. DAN. LVDOVICI pharmacia auro contra cara habenda est, cum in illo libro nihil falsi, nihil fucati reperiatur, sed sincera, & quo vsque eniti humana experientia potuit, vera omnia, ita, vt, post ANGELVM SALAM & BILLICHIVM, ingeniosiorem chemicum, & magis peritum, seculum non viderit. Quem iuuat, plura ipsi a GEORG. ERN. STAHLIO, MICH. ETTMüLLERO, G. W. WEDELIO aliisque tributa elogia legere, iuncta illa poterit, in citata praefatione I. C. MICHAELIS, pleraque inuenire: qui tamen nec oblitus est obseruare: vnicum esse, quod in autore nostro desiderant, cum aliis experientisſimis viris, Cel. ETTMüLLERVS & STAHLIVS, quod scilicet nimium praeceps fuerit in specifica simplicium virtute damnanda.

t) Id tantum in eo desideres, scribit c. l. SCHELHAMMERVS, immo desideratur a plurimis, quod non nihil obscurior, nec a quoquam intelligi queat. Quod partim ob dicendi genus autori consuetum, partim ob immensam rerum copiam (cum in tam exigua mole nihil prope simplicium, nihil compositorum medicamentorum omissum sit, quod vnquam, siue antiquis, siue recentioribus, venerit in vsum, modo adhuc prostet in officinis) ita euenit. De his vero omnibus iudicium ferre vir vere expertisſimus non dubitauit, solidum vero illud, doctum, &, vt antea dixi, sincerum, vt non posſit operae poenitere, quam in extricandis illis obscuris quis posuerit. Pari modo I. C. MICHAELIS, in praefatione modo citata, sequentibus verbis excusare eundem studuit: Ita & quae in scriptis eius accusatur obscuritas (maxima tamen ex parte, si parentheses inter lectionis seriem omittantur, & commentarii loco habeantur, euitanda) ex eo capite omnino excusari meretur, quod plura in lectoribus suis, quos non amplius tirones, sed prouectiores, & pharmaciae vulgaris non imperitos vult, praesupposuerit, quae si afferantur, mentem eius, non adeo difficile est, assequi: & quod voces & phrases adhibuerit non adeo *Ciceronianas*, quam mentem suam exprimentes, id factum est ideo, quia non scabellis scholasticis, sed medicis practicis scripsit, &, rebus intentus, verborum & affectatae latinitatis non adeo curiosus fuit.

u) Exhibentur: I. *Institutiones medicinae rationalis.* II. *Praxis medicinae rationalis succincta.* III. *Monita medico-practica necessaria, per plurimos morbos illustrata.* IV. *Notae ad praxin Barbettianam.* V. *Notae ad casus medicinales* TIMAEI A GULDENKLEE. VI. *Dissertationes medicae varii argumenti.* VII. *Decas epistolarum de rebus medicis & philosophicis. Omnia ad mentem* CARTESII. Francofurti, 1707. 8. Non autem cogitandum, omnia opuscula *Waldschmidiana* in hac collectione consociata haberi; sed varia, quae seorsim edita habentur, v. g. scripta eristica cum LAVR. STRAVSSIO reciprocata, de vera catalepseos caussa; *Tractatus* titulum: *Anchora salutis pro variolosis*, gerens, & Marpurgi 1689. 4. editus; praecipue vero notatu illa dignissima *Dissertatio, de igne perpetuo*, in qua opinionem de lampadibus veterum aeternum ardentibus, diu ante LVDOVICVM FERDINANDVM MARSIGLIVM, operose luculenterque refutare conatus est; vna cum aliis quibusdam, nescio quam ob caussam, sunt omissa atque praeterita.

w) Monita ipsius medica, instar HIPPOCRATIS aphorismorum obseruanda sunt. Medicinae ergo candidati, qui medicinae practicae & chirurgicae operam nauare in animum induxerunt, non meliorem ducem elegerint nostro WALDSCHMIDIO, cuius auspiciis ad intima praxeos penetralia peruenire dabitur.

§. XXIX.

Tandem &, quae de medicis saeculi praesentis decimi octaui, quotquot eorum ad institutum nostrum spectant, scitu erunt necessaria, addenda mihi sunt: in quorum tamen recensione cur diu haeream, non erit; quum maxima eorum pars recenti memoriae sit infixa. Occupabunt ergo locum hic e Scotis quidem ARCHIBALDVS PITCARNIVS, ex Anglis vero IOH. FREINDIVS; iique soli. Relicta ab horum priore scripta, quorum non nulla iam ante Roterodami anno 1714. 4. *) vno fasciculo impressa prodierant, completissime sub rubrica: ARCHIBALDI PITCARNII *Opera omnia medica*, Lugduni Batau. 1737. 4. sunt edita; simulque contentae hac in collectione *Dissertationes medicae varii argumenti*, vna cum *Elementis medicinae physico-mathematicis*, a IOH. MELCH. VERDRIESIO x) maximum in modum laudatae. De IOHANNE autem FREINDIO breuiter hoc vnum notabo,

tabo, libros eius arti inferuientes medicae, qui initio finguli y) diuulgati fuerant, poft autoris fata, infcriptos: IOH. FREINDII z) *Opera omnia medica, latine a* IOH. WIGANO *verfa,* Londini 1733. fol. vna luci effe expofitos publicae; adiecta praefatione de vita fcriptisque autoris, diuerfos a) aduerfarios nacti; recufos abhinc Lutetiae Parif. 1735. 4. in quibus memorata iam fuperius b) *Hiftoria medicinae* reliquis praeferri meruit.

*) Horum recenfionem legere datur in actis eruditorum anni 1714. pag. 477. feqq.

x) *In vera ad veram medicinam via*; vbi haec leguntur: Medicinae mechanicae vere ita dictae illuftria fpecimina nobis exhibuit ARCHIBALDVS PITCARNIVS, *Scotus,* qui veftigiis IOH. ALPH. BORELLI, nec non LAVR. BELLINI infiftens, & ab anatomiae cultioris mathefeosque fcientia inftructisfimus, vltra quam fperare potuiffemus, progresfus eft.

y) Vid. NICERON. *Memoires* Tom. XXXV. p. 257. feqq.

z) Siftuntur: I. *Praelectiones chymicae cum vindiciis contra Lipfienfium collectorum cauillationes.* II. *Emmenologia, in qua fluxus muliebris menftrui phaenomena, periodi, vitia, cum medendi methodo, ad rationes mechanicas exiguntur.* III. HIPPOCRATIS *de morbis popularibus liber* I. & III. *graece & latine.* IV. *De febribus commentarii nouem, ad librum epidemiorum* I. & III. *accommodati.* V. *De purgantibus in fecunda variolarum confluentium febre adhibendis epiftola.* VI. *Oratio anniuerfaria, in theatro collegii regalis medicorum Londinenfium, ex* HARVAEI *inftituto, habita.* VII. *Hiftoria medicinae, a* GALENI *tempore, vsque ad initium faeculi XVI. in qua praecipue notantur, quae ad praxin pertinent; latine verfa a* IOANNE WIGAN. VIII. *Vita* GABR. BACKTISHVAE, *filii* GEORGII, *ex arabico latine reddita a* SALOMONE NEGRI, *Damafceno.*

a) Sic exempli cauffa *Praelectiones* eius *chymicae* a collectoribus actorum eruditorum; *Emmenologia* ab HENR. SNELLIO, in edita Lugduni Bat. 1705. 8. *Theoriae mechanicae phyfico-medica delineatione*, pariter ac a medico Leodienfi, PETRO FRESARTO, medico Scoto, THOMA SIMSONE, & a Gallo, Monf. LE TELLIER, in euulgatis Lutetiae Parifior. 1730. 8. *Reflexions critiques fur l'Emmenologie de Monf.* FREIND, funt impugnatae: Similiter & hiftoria ipfius medicinae ab anonymo quodam Anglo, in emiffo Londini 1726. 8. fchediafmatio, multorum erratorum eft poftulata.

b) Vid. cap. I. fect. I. §. 10.

 §. XXX.

§. XXX.

Ex Italorum medicis longe plures occurrunt, qui locum commode c) hic obtinere queunt. Agmen ducat LAVR. BELLINVS; quippe qui, vna cum IOH. ALPH. BORELLO, citra controuersiam primus fuit, qui medicinam mechanicam in Italia stabilire & excolendam curare voluit. Ex eius autem commentationibus, quae singulae prelis prodiere d), non nullae tantum, hac inscriptione insignitae: LAVRENTII BELLINI *Opuscula de vrinis & pulsibus; de missione sanguinis; de febribus; de morbis capitis & pectoris*, Bononiae 1683. 4. vna fuerunt excusae, & quoniam pluribus probatae e), Lipsiae 1685. 4. recusae, addita praefatione IOH. BOHNII. GEORGII BAGLIVI *Opera omnia medico-practica & anatomica*, quae, teste tituli indicio, nona vice f) impressa, & plenissime g), quanquam multis sphalmatibus typographicis foedata, Antwerpiae 1715. 4. publici iuris facta sunt, autori suo, qui systema veterum methodicorum melius excultum exornatumque dare studuit, quique conatus, eidem quoque felicius, quam PROSPERO ALPINO, cessit, multum h) existimationis pepererunt. E contrario CAROLI MVSITANI *Opera* i) *omnia*, etsi frequentius prelis subiecta, optimeque Geneuae 1733. fol. nec non vltima vice Venetiis anno 1739. fol. edita, propter multas paradoxas k) hypotheses, quas fouet autor, & ob nimium eius in GALENVM odium, inusitatumque e contrario amorem in PARACELSVM atque HELMONTIVM, plus contradictionis, quam approbationis, impetrauerunt.

c) De operibus DOMINICI GVILIELMINI, maximam sui partem aut physici aut chemici argumenti; de ANTONII item MARIAE VALSALVAE, mere anatomici; & denique IOH. BANSTONI, itidem anatomici simulque physiologici argumenti, libris, commodior forsitan occasio dicendi mihi dabitur tomo posteriore huius bibliothecae.

d) De his euolui poterunt NICERONII *Memoires* tom. V. p. 348. seq. Sciendum autem praeterea, multa quoque manu exarata reliquisse

liquisse BELLINVM, quae per plures annos in scriniis delituere, donec tandem haud ita pridem ANTON. COCCHI illorum edendorum initium faceret, publicatis sermone Tusco *Discorsi di anatomia*, Florentiae 1741. 8. qui & reliquorum editionem se continuaturum promisit. Videantur Noua litteraria Goettingensia anni 1742. pag. 297. seqq.

e) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 20. De febribus, affectibus capitis & thoracis perdocte nuper LAVRENT. BELLINI commentatus est. Laude dignum in hoc autore, quod in enarrandis symptomatis est perquam diligens: modo non in caussis eorum scrutandis communi saeculi laboraret vitio, plurima supponente, pauca apodictica ratione ostendente ac demonstrante. Pariter & NICERONIVS c. l. in laudem BELLINI sequentia annotauit: Il a eu cette gloire, que ses ouurages sont lûs & expliqués publiquement dès son viuant dans l'vniuersité d'Ecosse par M. PITCARN.

f) Diuersis id factum in locis, praecipue Lugduni 1703. & 1710. 4. quarum editionum posterior in *Giornale de' Letterati d'Italia* tom. VI. p. 339-366. diffuse recensita, simulque contra G. BAGLIVVM p. 355. monitum fuit, IOHANNEM CASALECCHIVM primum de morborum successionibus & mutationibus peculiare opus composuisse, quod vero nondum sit editum.

g) In ista enim editione non solum *Libri II. de praxi medica*, & *Specimina quatuor librorum de fibra motrice & morbosa*, inueniuntur; sed *Dissertationes* etiam *varii argumenti*, multis additamentis adauctae, porro *Epistolae clarorum virorum ad* G. BAGLIVVM sunt adiectae; denique IOH. DOMINICI SANTORINI *Opuscula quatuor: de structura ac motu fibrae; de nutritione animali; de haemorrhoidibus; de catameniis*, sunt annexa, appendicis loco.

h) Quantis eum PHIL. HECQVETVS, in *praefatione tractatus* sui *de purganda medicina a curarum sordibus*, cumulauerit encomiis, docent sequentia eius ex pag. 35. sq. c. l huc transscripta verba: Sub iisdem temporibus apud Italos aliud fulgere coepit medicinae lumen, BAGLIVIVM intellige, HIPPOCRATIS dogmatum & scribendi rationis asseclam fidissimum, zelatorem generosum, & assertorem, assiduum aemulatorem. Is ille est, apud quem obseruandi methodum ac scientiam reperire daretur, si medicina periisset. Artis genium putares; adeo inuentorum tenax est, curax inueniendorum, addendorumque capax. Enimuero obseruandi scientiam tenet non tantum & peritiam, sed & viam docet & modum. BAGLIVIVM igitur obseruationis doctorem facile nuncupabis.

i) Inter quae: *Trutina medico-chymica*; *Trutina chirurgico-physica*; *Pyrotechnia sophica*; & *Pyretologia*, seu, *Tractatus de febribus* &c. maximum trahunt momentum.

k) Huc refero, quod, aeque ac HELMONTIVS, medicamenta *Galenica* tantum non omnia spernit; Venae sectionem, hirudines, suppositoria, clysteres omnino improbat; quid? quod applicationem duorum posteriorum remediorum propemodum ceu peccata Sodomitica abominatur.

§. XXXI.

Scripta BERNARDINI RAMAZZINI, singula l) primum in lucem exposita publicam, statim autem a morte autoris, Londini anno 1716. 4. Geneuae 1717. 4. & completissime denique m) Patauii 1718. forma octopartita, inscripta: BERN. RAMAZZINI *Opera omnia in quatuor tomos diuisa*, vna impressa, res multas pulcherrimas lectuque dignissimas n) continent: quae inter *Diatribe* o) *de morbis artificum*, maximam autori suo p) famam; *Ephemerides* contra *barometricae Mutinenses*, nec non *Dissertatio epistolaris de abusu chinae chinae*, plurimum contradictionis q) conciliauerunt. LVCAE TOZZI *Opera medica omnia* r), Venetiis anno 1721. 4. coniunctim euulgata, in ita dictis memoriis Triuultiensibus [*Memoires de Treuoux*] anni 1723. Mens. Sept. ea de caussa singularem meruerunt praerogatiuam s), quoniam eorum autor, in recensione medicamentorum, semper annotauit, quaenam remedia ipse, in diuturna sua eaque perquam felici praxi, ceu efficacissima, praesentissima simulque tutissima omnium reliquorum expertus sit atque probauerit. IOHANNES autem MARIA LANCISIVS non solum propriis, Geneuae anno 1718. 4. editis, operibus t) omnibus, magnum u) clarumque est nomen adeptus; sed suorum quoque in rempublicam litterariam meritorum famam longius euexit, iisdemque incrementum luculentum addidit, operibus BARTH. w) EVSTACHII, & MICH. x) MERCATI, quae tam diu post carecta latuerant, in lucem protractis publicam.

l) Vid. NICERON. *Memoires* tom. VI. p. 231. seq.

m) Quatuor constant tomis. Horum I. *Tomo vita* BERNH. RAMAZZINI; *Diatriba de morbis artificum, cum supplemento eiusdem*

dem argumenti, nec non dissertatio de sacrarum virginum valetudine tuenda: Tomo II. *Commentatio de principum valetudine tuenda; annotationes in librum* CORNELII *de vitae sobriae commodis, vna cum epistola eiusdem* CORNELII; *Constitutiones epidemicae Mutinenses annorum* 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. & *Dissertatio epistolaris de abusu chinae chinae:* Tomo III. *Tr. de fontium Mutinensium admiranda scaturigine; de petroleo montis Zibinii libellus* FRANC. ARIOSTI, *vna cum* RAMAZZINI *epistola super eodem argumento; ephemerides barometricae, cum tota controuersia super motionibus barometri, quibus accessere* IAC. PLACENTINI *super eodem argumento dissertationes duae:* Tomo tandem *IV. Orationes & dissertationes varii argumenti,* lecturis exhibentur.

n) Inprimis merentur orationes IV. VIII. & IX. tomo IV. contentae, cum attentione legi atque perpendi: satis quippe in iisdem ostendit RAMAZZINIVS, se non fuisse inimicum medicinae scepticae; sed defectus artis medicae probe cognitos non solum habuisse, verum cordate atque sincere etiam eosdem fassum esse: qui oratione quoque IV. sufficienter per partes probatum dedit: veram febrium theoriam & praxin inter ea, quae adhuc desiderantur, esse recensendam.

o) Prodiit Mutinae 1701. 8. & auctior Pataui 1713. 8. quarum editionum posterior in *Giornale de' letterati d' Italia* tomo XVII. pag. 217 - 247. diffuse recensetur.

p) Videantur FVRSTENAVII *Desiderat. medic.* p. 103. Magna sane gloria celeberrimum B. RAMAZZINI manebit, quod, praeter alia non vulgaris ingenii rariora specimina, elegantissimo de morbis artificum commentario publicum sibi multis non ita pridem deuinxerit modis. Apud NICERONIVM autem tom. cit. p. 237. haec leguntur. Ce liure est rempli d' obseruations importantes & vtiles, & l'on ne peut trop, suiuant le iournal des sauans, en recommander la lecture aux medecins.

q) Occasionem enim dederunt *Ephemerides* illae *barometricae*, quippe in quibus opinionem, de ascensu & descensu mercurii in tubo Torricelliano, in scenam produxit atque defendit singularem, vt controuersiarum serra ipsi cum G. C. SCHELHAMMERO reciprocanda esset: qua de lite CHRISTIAN. STEPH. SCHEFFELIVS in *Vita* SCHELHAMMERI, quam *Epistolis selectis virorum clarissimorum ad* G. C. SCHELHAMMERVM, praefixit, p. 60. seqq. euolui potest. *Dissertatio* autem *de abusu chinae chinae* a FRANC. TORTO acriter fuit impugnata: quippe qui in *Responsionibus suis iatro-apologeticis ad criticam dissertationem* B. RAMAZZINI *de abusu chinae chinae,* quas Mutinae anno 1715. 4. edendas curauit, a capite, quod dicitur, ad calcem, refutandam eandem sibi sumsit.

r) Distributa sunt in tomos quinque. *Tomus* I. *exhibet medicinam theoreticam & practicam; tom.* II. III. IV. *Commentaria in aphori-*

sinos HIPPOCRATIS; & *tomus* denique V. *Commentaria in librum artis medicinalis* GALENI; *vna cum opusculo de recto vsu sex rerum non naturalium.*

s) Videtur adeo LVCAS TOZZI, quantum ad se, implesse id, quod G. C. SCHELHAMMERVS in *Additam. ad Conring. introduct.* cap. VII. § 16. ab omnibus practicis, qui ad nominis celebritatem adspirant, postulauit verbis sequentibus: Id profecto inter desiderata in arte medica habeo desideratissimum, vt viri exercitati & cordati, qui in curandis morbis consenescunt, quid experientia sua confirmatum viderint, eorum, quae ab autoribus commemorantur, remediorum, nobis impertiant; quidque exspectationem fefellerit. Satis enim superque nobis est medicamentorum, ita, vt laboremus vbertate: selectioni igitur studendum, non simplici collectioni.

t) Collecta sunt illa a PETRO ASSALTO, inque duos tomos separata: quorum *Priori libri II. de mortibus subitaneis*; *libri II. de noxiis paludum effluuiis eorumque remediis, vna cum tractatu de constitutione aëris romani*; *tomo* autem *posteriore libellus de peste bouilla*, praetereaque *dissertationes decem varii argumenti*, e. g. *de ratione studiorum medicorum; de anatomia*; *de polypodibus*; *de physiognomia*; *de sede cogitantis animae*; *de generatione fungorum*; *de gangliis neruorum*, exhibentur.

u) Vid. *Giornale de letterati d' Italia*, tom. XXXIII, part. II. p. 290-329. vbi de vita pariter ac relictis operibus, impressis partim, partim ineditis adhuc, celeberrimi huius medici optime informamur.

w) BARTHOL. EVSTACHII *Tabulae anatomicae, quas e tenebris tandem vindicatas, & CLEMENTIS XI. munificentia dono acceptas, praefatione atque annotationibus illustrauit, publicique iuris fecit* IOH. MARIA LANCISIVS. Romae 1714. fol.

x) MICH. MERCATI *Metallotheca vaticana, opus posthumum, autoritate & munificentia* CLEMENTIS *XI. e tenebris in lucem eductum, opera autem & studio* IOH. MARIAE LANCISII & PETRI ASSALTI *illustratum.* Romae 1717. fol. Quod opus fusissime recensetur in *Giornale de letterati d' Italia* tom. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. quemadmodum etiam de *Appendice ad metallothecam vaticanam*, quae Romae 1719. folio prelo exiit, in eiusdem Diarii Italici tomo XXXIII. part. II. p. 233. actum est.

§. XXXII.

De *Operibus physico-medicis, impressis & manu exaratis*, ANT. VALLISNERII, quae post fata demum viri huius longe celebratissimi, a filio ipsius homonymo, & quidem tusco y) idiomate, Venetiis anno 1733. fol. tribus constantia tomis, insertis multis aeri incisis

ſis ectypis, vna publicata ſunt, euolui ac conſuli poterunt noua acta eruditorum anni 1734. Menſibus Ianuario, Aprili, & Maio; vnde, ex recenſione incluſorum huic collectioni librorum ibi facta, facile intelligi poteſt, autori hunc praefixum ſcopum fuiſſe, vt non tam medicinae, quam phyſicae potisſimum ac hiſtoriae naturali, z) praecipuam ſuam impenderet operam: quemadmodum & edita ab ipſo iam pridem, & impreſſa Venetiis anno 1721. 4. *Iſtoria della generazione dell' uomo e degli animali*, autori ſuo maximam a) gloriam peperit. *Nouum* illud *ſyſtema medicum, ex vnitate doctrinae recentiorum & antiquorum*, quod IOSEPH. POMP. SACCO Parmae anno 1693. 4. prodire in publicum b) iusſit, ſi ex titulo illud iudices, inter conciliatores medicos locum autor eius ſibi adſerere poſſe videtur: verum enimuero ſyſtema potius pathologiae ſalſae ſtabilire & confirmare, in animo habuit; haud ſecus ac IOSEPHVS THOMAS ROSETTI, *In nouo ſyſtemate mechanico-hippocratico, de morbis fluidorum ac ſolidorum, & ſingulis ipſorum curationibus*, quod Venetiis anno 1734. fol. prela reliquit, ita dictorum pneumaticorum partibus potisſimum c) accesſit. E LVC. ANT. PORTII *Operibus omnibus medicis, philoſophicis & mathematicis*, Neapoli 1736. 4. typorum ope, luci publicae iunctim expoſitis, *Tractatus de militis in caſtris ſanitate tuenda*, prae ceteris honorifice eſt exceptus, qui etiam aliquoties ſeparatim d), obſtetricantibus typis, lucem adſpexit litterariam. IOSEPHI LANZONI vero *Opera omnia*, Lauſannae 1738. 4. edita, & in tres diuiſa tomos, diuerſos ad rem phyſicam, medicam vt et philologicam ſpectantes, partimque iam antea impreſſos, partim vero in manu exaratorum ſcriniis relictos, tractatus, in quorum poſteriorum numero *Opus de venenis* facile excellere creditur, lectorum oculis exponunt.

y) Titulus eſt: *Opere fiſico-mediche ſtampate e manoſcritte del kaualier* ANT. VALLISNIERI.

z) Te-

z) Testantur hoc exempli caussa: *Dissertationes de origine fontium; de origine insectorum; de generatione vermium corporis humani; de chamaeleonte africano; de fossilibus marinis; de vsu & abusu balneorum calidorum & frigidorum &c.*
a) Vide noua litterar. anni 1724. pag. 749. seqq.
b) Vid. NICERON. *Memoires* tom. XIII. pag. 29.
c) Vid. Noua litteraria anni 1734. pag. 242. seq.
d) V. gr. Viennae in Austr. Neapoli & Hagae Comitum: quo vltimo loco, vna cum I. V. WILLII *Tr. de morbis castrensibus internis,* anno 1739. 8. recusus fuit.

§. XXXIII.

Finem huic capiti imponant, agmen veluti clausuri, Germani, huc quidem spectantes, medici. Horum e numero STEPHANVS BLANCARDVS, CHRISTIAN. IOH. LANGIVS, IOH. DOLAEVS, GREGOR. THEOD. BARTHOLDVS, IOH. PHIL. EYSELIVS; maxime autem FRID. HOFFMANNVS locum hic tueri poterunt. *Primus* istorum, cuius alioqui apud eruditos non adeo bona e) est fama, non nulla suorum scriptorum, quae ad normam *Cartesianarum* hypotheseon sunt composita, sub titulo: STEPHANI BLANCARDI *Opera medica, theoretica, practica & chirurgica*, duobus tomis inclusa, Lugduni Batau. 1701. 4. edenda curauit, quorum priore *Diatribe de fermentatione; manuductio ad chimiam; institutiones medicae, & pharmacopoeia:* posteriore autem *Praxis medica; institutiones chirurgicae, & aphorismi ad praxin medicam & chirurgicam spectantes*, ob lectoris oculos proponuntur. CHRIST. IOH. LANGII *Opera omnia medica theoretico-practica*, quae, praefatione f) memoratu admodum digna AVGVSTI QVIRINI RIVINI comitata, Lipsiae 1704. fol. lucem adspexerunt publicam, ceu opera posthuma considerari & diiudicari debent. Dispertita sunt in tres partes: quarum prima, *Historia medica; physiologia; lectiones de materia medica; collegium chymicum; compendium formularum; pathologia; semiotica; & discursus therapeuticus, seu, praxis generalis;* secunda, *Praxis medica specialis; chirurgia;*

rurgia; &, *collegium casuale:* tertia denique, *Dissertationes XLVII.* continentur. Singula haec ea ratione sunt tractata, vt inter illa *Physiologia*, & *collegium chimicum* optime, *historia* vero *medica* imperfectissime, sint elaborata. De IOH. DOLAEI *Operibus omnibus*, quae, in viuis etiamnum degente autore, decies prela fatigauere g), plenissime h) autem ipso ab autore Moeno-Francofurti 1703. fol. sunt diuulgata, vnum est, quod moneam, diuersos illos nouiter excogitatos i) terminos artis, in iisdem obuios, IOH. GOTHOFR. k) BERGERO, GEORG. l) BAGLIVIO, ARCHIBALDO PITCARNIO, multisque aliis, occasionem superfluam praebuisse, ad exercendas & acuendas in iisdem exagitandis criticas suas notas.

e) Non solum enim PHILIPPVS VERHEYEN plagii illum reum egit; sed aliorum quoque iudicio pro mero habetur Rhapsodista.

f) Speciminis loco, afferam ex illa quaedam verba, quorum tamen patrocinium in me suscipere minime cogito. Sunt vero sequentia: equidem fata sua experiuntur libri, praecipue medici. Quae placita erant veterum optima, deridentur hodie, non aliam ob caussam, quam, quod antiqua sint; quasi vero vestimenti senescentis instar spernere ac mutare veritatem conueniat. Ecquis dubitat, tempus aliquando futurum esse, quo modernorum hypotheses pari ludibrio expositae erunt? Nam & fermentationes in corpore viuente tam naturales quam morbosae paullatim cessant; succus neruorum iam incipit exarescere: ac vereor valde, ne cum mulomedicis ac veterinariis recentiores mechanicos damnatura sit posteritas, arti nostrae ad illiberales hodie reiectae pristinum restitutura nitorem. Constabit autem etiam tum suus valor *Langiano* huic labori. Callebat enim prae ceteris vir prudentissimus parere tempori, ac, ne forsan ignorasse nouaturientium speculationes, pene dixerim, ineptias, videretur, recensebat illas bona fide, atque sic satisfaciebat errabundo auditorum suorum appetitui. Media tamen incedens via, nullibi a recto veritatis tramite se abduci passus est.

g) Narrat id ipse DOLAEVS, in praefatione, quam memoratae in ipso paragrapho editioni praemisit, scribens: Prodeunt denuo opera mea medica & chirurgica aucta & emendata, serioque ab eruditis expetita, absit iactantia dicto! decima nunc vice, ante hac in Germania, Gallia, Belgio, Italia & Anglia recusa, nec sine applausu, &, quod spero, fructu artis filiorum excepta & distracta.

h) Continentur: *Encyclopaedia medica dogmatica, in qua affectus humani corporis interni;* & *encyclopaedia chirurgica rationalis, in qua*

affe-

affectus externi, iuxta celeberrimorum in medicina antistitum principia, plenarie pertractantur; adeo, vt in compendio quodam, tum veterum, tum recentiorum, HIPPOCRATIS, GALENI, PARACELSI, HELMONTII, WILLISII, SYLVII, CARTESII, *ipsiusque auctoris sententiae, de morborum caussis & curatione perspiciantur. Acc. I. Theatrum theriacae coelestis Hoffstadianae. II. Commercium litterarium varii argumenti. III. Centuria obseruationum medicarum. IV. Gloria Dolaeana titubante crena delineata a* CHRISTIANO FRANCISCO PAVLLINI. Ne tamen quaeras DOLAEI *Furiam podagrae lacte victam & mitigatam*, quae Amstelodami 1707. 12. impressa fuit, in hac ipsa collectione.

i) Pertinent eo sequentes: *Microcosmetor*; *Cardimelech*; *Gasteranax*; *Cosmetorges*; *Bithnimalka*; *Rachamelka* &c. qualium adinuenien-dorum cura merito supersedere debuerat, in eiusmodi disciplina, quae iam ante nimia talium copia laborat & obruta est iisdem.

k) In *Physiologia medica* libr. I. cap. XXI. pag. 288.

l) Vide *Praxin eius medicam* lib. II. cap. II. & *Canones de medicina solidorum* §. 40. vbi scribit sequentem in modum: Si vera fateamur, SANCTORII *Statice* magis vtilis est, quam vulgarium figmenta hypothesium de *cardimelecho, microcosmetore, archaeo, acido & alcali*, & de mille chymistarum hypothesibus, quibus tantopere triumphant vulgares medici. Dii boni! quam remota est morborum natura ab hisce nugis.

§. XXXIV.

GREGOR. THEOD. BARTHOLDI *Opera medica, tripartita*, ab auditore eius, IOH. IAC. ROSENSTENGELIO, Francofurti 1717. 4. luci exposita litterariae, fati illius, cui pleraque scripta posthuma solent esse subiecta, non fuerunt immunia & ipsa; credendumque omnino, autorem, nisi matura morte obiisset, eadem multis in locis ac partibus emendaturum, additaque vltima lima, perfectiora redditurum fuisse. IOH. PHIL. EYSELII *Opera medica & chirurgica*, initio carptim m) in lucem edita, post mortem autem eius, Francofurti & Lipsiae 1718. 8. iunctim excusa, complectuntur mera compendia n) plerarumque artis medicae partium, methodo maximam partem o) dialogistica conscripta. Longe maioris momenti sunt tot numero, tamque diuersi argumenti p) scripta FRIDER. HOFFMANNI, quae,

quae, ob sui praestantiam, non singula tantum, variis locis, impressa, sed nuper etiam admodum, hanc praeferentia rubricam: FRID. HOFFMANNI *Opera omnia physico-medica, denuo reuisa, correcta & aucta, in sex* q) *tomos distributa* &c. Geneuae anno 1740. fol. sociata simul, lucem orbis litterati aspexere, & a doctissimis, tam intra quam extra Germaniam, medicis, tam vnanimi approbatione excepta sunt atque honorata, vt plane superflua res futura esset, si, in laudem autoris, iam dudum inter maxima Germaniae ornamenta relati, quidquam vlterius dicere & in medium proferre conarer.

m) V. MOTSCHMANNI *Erfordiam litterat.* volum. II. p. 303. seqq.

n) Scilicet: *Compendium physiologicum; compendium pathologicum; compendium semiologicum; compendium de formulis medicis praescribendis; compendium practicum; compendium chirurgicum, cum appendice operationum chirurgicarum.*

o) *Compendium* tamen *practicum*, & *compendium de formulis praescribendis*, non aeque ac reliqua compendia, methodo erotematica per quaestiones ac responsiones, sunt conscripta.

p) Index eorum locupletissimus & perfectissimus monumento exsequiali huius magni medici, Halae haud ita pridem edito, est subnexus.

q) *Tomis* I. II. & III. habetur *Medicina rationalis systematica. Tomo* IV. exhibentur *Centuriae tres consultationum ac responsorum medicinalium; obseruationes physico-chymicae selectiores; & dissertationum physico-chymicarum trias. Tomo* V. comparent *Opuscula physica varii argumenti, constantia XIII. dissertationibus; opuscula de aquis mineralibus, earumque salutari virtute, absoluta XIV. dissertationibus*; denique *opuscula diaetetica, dissertationibus XVII. inclusa. Tomo* tandem *VI.* eoque vltimo, sistuntur *Opuscula medica de remediorum efficacia, facultatibus ac viribus, ex XIII. dissertationibus, opuscula pathologico-practica varii argumenti, ex XX. dissertationibus; & opuscula medico-practica, quae curam morborum & medendi methodum, nec non circumspectum remediorum vsum spectant, ex XI. dissertationibus congesta.*

§. XXXV.

Absoluta huc vsque recensione allegatorum, ex parte admodum prolixorum, operum systematumque: non possum non, coronidis veluti loco, iniice-

re

re mentionem dissertationis cuiusdam, quae, IANT. PHILIPPO QVEITSCHIO autore, gerens titulum argumenti indicem isthunc: *De medico naturae magistro* r), *Francofurti ad Viadrum, anno 1739. 4.* octo constans quaternionibus, prodiit. Quanquam enim eandem oculis vsurpare ac perlegere mihi hactenus nondum contigerit ipsi: in nouis tamen Lipsiensium litterariis dicti anni p. 866. sequ. sequentem notatu omnino dignam eius recensionem me legere memini, quam verbis latinis recitare hic liceat. Est vero talis: Exhibetur ac delineatur in ista dissertatione singulare plane medicae artis systema, non solum quoad plenariam eamque internam eius cohaerentiam, sed etiam quoad externam connexionem ipsius: hoc est, ita, vt demonstretur eiusdem exsistentia, vtilitas, necessitas, eaque talis quidem, qua carere eodem ars haec nequeat. Quum enim hactenus ars salutaris in mero *Ministerio naturae*, ad summum vero in imitatione quadam huius, consistere credita fuerit: iam, in citata dissertatione, eidem *Magisterium naturae*, seu ius quoddam magisteriale in eandem exercendum, tribuitur; idque non sufficientibus solum rationibus, testimoniis & exemplis demonstratur ac probatur; sed ex diuinis etiam aeque ac ex humanis iuribus & legibus confirmatur. Haud secius hypotheses quoque istius systematis, quanta fieri poterat & breuitate & perspicuitate, proponuntur, luculentisque speciminibus illustrantur. Haec ibi. Quem de cetero iuuat, nosse constitutionem illius systematis medici, quod GVNTHERVS CHRISTOPHORVS SCHELHAMMERVS excogitatum a se elaborauit, & isthoc insignitum titulo: *Vniuersa medicina, demonstratiuis fundamentis innixa*, manu exaratum post se reliquit; is adeat CHRISTIANI STEPH. SCHEFFELII *Vitam* SCHELHAMMERI, *Epistolis* s) *selectioribus virorum clarissimorum ad* GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM, praepositam. Ibi enim, inde a pagina

pagina 79. vsque ad paginam 93. lineamenta eximii huius & maximi momenti operis, cuius edendi iam tum spes facta fuit, luculenter & clare contemplari, ei dabitur.

r) Eandem mentem iam IOHANNI BAPTISTAE HELMONTIO sedisse, abunde testatur eius tractatus, qui inscribitur: *Ignotus hospes morbus*, §. 90. vbi ita pronunciat: HIPPOCRATES medicum vult naturae duntaxat ministrum: naturas autem, sui solius medicatrices. Idque suo sic saeculo iussit. Alioquin naturae iacentis est medicus patronus atque herus. Qualem si senex nondum agnouerat: multo certe minus schola ethnica postea in hunc vsque diem.

s) Wismariae 1727. 8. de quibus ego cap. VI. sect. II. §. 8. plura sum dicturus.

CAP. VI.

DE SCRIPTORIBVS ERRORVM, CONTROVERSIARVM, EPISTOLARVM, QVAESTIONVM ET MISCELLANEORVM MEDICINALIVM.

§. I.

In recensendis pertinentibus ad praesens caput scriptoribus, vt, quum diuersi admodum sint illi generis, ordine procedam: in quatuor eosdem dispertiar classes; ita, vt sectione *prima* scriptores errorum & controuersiarum medicinalium; *secunda*, scriptores epistolarum a) medicinalium; *tertia* scriptores problematum & quaestionum medicarum; *quarta* denique eaque vltima, scriptores variarum lectionum & miscellaneorum medicinalium, hac ratione sim exhibiturus, vt electae semel seriei chronologicae hic quoque inhaeream, & cuncta, quanta fieri poterit breuitate, constringam.

a) Ii tamen medici, qui in suis epistolis consilia tantum medica dederunt, commodiorem inter scriptores therapeuticos, de quibus tomo posteriori huius bibliothecae agetur, locum sortientur.

§. II.

Quandoquidem autem variorum autorum, quorum in antecedentibus, quinto inprimis capite, occasione iunctim editorum operum eorundem, iam memini, noua hoc loco mentio facienda erit: ita me geram, quo tempori chartaeque spatio parcatur, vt allegata iam eruditorum virorum de illis iudicia minime quidem repetam; sed potius in id intentus sim, vt scripta ipsa, optimaeque horum editiones, de quibus dicere mihi nondum licuit, hoc loco etiam producantur, & pro eo, ac par est, ordine iusto disponantur.

CAP. VI. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS ERRORVM ET CONTROVERSIARVM MEDICINALIVM.

CONTENTA:

Scriptores errorum medicinalium generales, §. 1 - - 6. *Scriptores errorum medic. speciales*, §. 7 - - 10. *Scriptores controuersiarum medicarum.* §. 11. 12.

§. I.

Etiamsi ex illo tempore, quo sectis diuisi inter se sunt medicorum filii, eiusmodi scripta nunquam defuerint, quibus vna pars alteram variorum errorum incusare; immo, ad exemplum LYCI, IVLIANI, aliorumque a) nonnullorum, vel in ipsum HIPPOCRATEM atque GALENVM magisterium exercere conati & ausi fuerunt: opera tamen huius generis aut inter deperdita iam pridem numerantur, aut, si adhuc

adhuc exstant, ea ratione sunt conscripta, vt autores eorum commissos vel ab ipsis medicis, vel ab aliis errores minime in illis ex instituto indicare laborauerint; sed obiter tantum hoc ipsum argumentum tetigerunt, vel editis istiusmodi libellis materiam saltim litis quaesiuerunt.

a) Vid. ALPHONSI LOPEZII *Catalogum autorum, qui post* GALENI *aeuum &* HIPPOCRATI *&* GALENO *contradixerunt*. Valentiae 1589. 12.

§. II.

Remotiora ergo cur me morentur saecula, non est; quum editi illis libelli ad praesens non spectent argumentum. Ad illam potius protinus me conuerto periodum temporis, quo aeque ac reliquae liberaliores artes ac disciplinae, medica quoque ars, qua antea premebatur, barbarie atque caligine iterum fuit expedita ac liberata, nouaque perfusa luce. Vbi quidem principem locum non possum non concedere tot meritorum nominibus illustri b) NICOLAO LEONICENO illi, qui primus ausus est, annotatos ab se errores publice indicare, editis *Libris IV. de* PLINII *& aliorum plurium medicorum in medicina erroribus:* qui singuli initio Ferrariae c) luci fuerunt expositi; deinceps vero Basileae anno 1529. 4. d) & quidem auctiores; plenissime autem, isthac rubrica insigniti: NICOLAI LEONICENI *Opuscula* e) *per* ANDREAM LEENNIVM *repurgata atque annotatiunculis illustrata*, itidem Basileae 1532. fol. prodierunt; quique, etsi acrem nacti aduersarium PANDVLPHVM f) COLLENVTIVM, celebre autori suo conciliauere nomen.

b) Vid. REINESII *Variar. lection. lib.* III. cap. XVII. p. 623. NICOLAVS LEONICENVS, vir magni spiritus, &, quem primum a barbarie in arte medica reuixisse, & nugari desiisse, dici potest. Paria scribit CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 28. Primus NICOLAVS LEONICENVS, vir graece & latine doctissimus, a barbarie illorum temporum artem medicam pur-

purgare conatus est, qua in re non nihil illum iuuit HERMOLAVS BARBARVS, vir vndiquaque doctissimus. Plura huius viri elogia quem legere iuuat, euoluat BLOVNTII *Censuras celebriorum autorum*, pag. 485. seqq.

c) 1509. 4. vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 447.

d) Vid. GESNERI *Bibliothec. vniuersal.* p. 520. seq.

e) Continentur: *De* PLINII *& plurium aliorum medicorum in medicina erroribus libri* IV. *de tribus doctrinis ordinatis secundum* GALENI *sententiam lib.* I. *de virtute formatiua lib* I. *de dipsade & pluribus aliis serpentibus lib.* I. *de Tiro, seu, vipera lib.* I. *de morbo gallico, seu, neapolitano lib.* I. *contra suarum translationum obtrectatores apologia; his accedit medici romani anonymi,* NICOLAI LEONICENI *discipuli, antisophista, contra sophistam quendam Patauinum, in quo quamplures monachi, male* GALENVM *exponentis, errores, tum rationibus, tum etiam ipsius* GALENI *autoritatibus, refelluntur; vera* GALENI *sententia de tribus docendi ordinibus defenditur,* IOANNIS ALEXANDRINI, *falsas atque adulterinas* HIPPOCRATIS *epidemias enarrantis, fides atque autoritas eleuatur.*

f) PANDVLPHI COLLENVTII *Defensio Pliniana contra* NICOL. LEONICENVM, *Pliniomastigem*, Ferrariae 1511. 4. impressa, insequuto tempore ab OTTONE etiam BRVNFELSIO secundo *Herbarii* sui tomo inserta fuit.

§. III.

Exemplum NICOLAI LEONICENI alii deinceps saeculi sexti decimi medici sunt sequuti; etiamsi haud omnes eandem, quam praeuius eorum dux, sint adsequuti hac ipsa opera gloriam. AVREOLI PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI *Labyrinthus* g) *medicorum errantium, cum admonitione, vt medicinam ex aliis libris, quam quos hactenus legerunt, addiscere studeant,* tali ratione est conscriptus, vt commodissime quis isthoc tractatu, nisi ipse data opera labyrintho inextricabili velit implicari, supersedere possit. LEONH. IACCHINI h) *Libellus aduersus* AVICENNAM, MESVEN, *& vulgares medicos omnes*, Venetiis 1533. 4. nec non Lugduni 1540. 8. typis expressus, tribusque i) tantum constans quaternionibus, titulum suum minime exhaurit. Maiorem longe orbis medici attentionem excitauit LEONH. k) FVCH-

FVCHSIVS, detegens non solum errores atque defectus arabicorum, quique cum his faciunt, medicorum, in *Erratis LX. recentiorum* l) *medicorum, adiectis eorundem confutationibus;* sed exponens etiam, non obstante, quod cum multis & inprimis cum SEBASTIANO m) MONTVO, disputationis serra ipsi reciprocanda foret, *tres* suos n) *Paradoxorum medicorum libros* Basileae 1535. fol. luci o) publicae; nec minus aduersus SEBAST. MONTVVM, vlterius hac ipsa de caussa, peculiari edita apologia p), se defendens.

g) Schediasma hocce in operibus omnibus PARACELSI, Geneuae 1658. fol. editis, T. I. a pag. 264 - 288. legi potest: qua de editione cap. III. sect. I. §. 3. dixisse me, memini.

h) Vide cap. V. §. 12.

i) Vide GESNERI *Bibliothecam vniuersal.* p. 481.

k) De hoc iam cap. V. §. 17. fuit dictum.

l) Hagenoae 1530. 4.

m) Is enim *Annotatiunculas in errata recentiorum medicorum, per* LEONHARDVM FVCHSIVM *collecta*, 1533. 8. Lugduni imprimendas curabat.

n) *In quibus multa a nemine hactenus prodita arabum, aetatisque nostrae medicorum, errata non tantum indicantur, sed & probatissimorum autorum scriptis, firmissimisque rationibus ac argumentis confutantur. Obiter denique* SEBAST. MONTVO *respondetur, eiusque annotatiunculae, velut omnium frigidissimae, exploduntur.*

o) Recusi etiam sunt postea Lutetiae Parisior. anno 1555. 8.

p) Prodiit haec, iuncta duobus aliis scriptis apologeticis, quorum vnum GVIL. PVTEANO, alterum vero IEREM. THRIVERIO, opposita sunt, inscripta: LEONH. FVCHSII *Apologiae tres*, Basileae 1540. 4.

§. IV.

IACOBI CVRIONIS *Hermotimus, seu, dialogus, in quo primum de vmbratico illo medicinae genere agitur, quod in scholis ad disputandum, non ad medendum, comparatum videri potest, deinde & de illo recens ex chymicis furnis nato eductoque altero*, Basileae 1570. 4. excusus, ipso titulo abunde & aperte prae se fert, qualia in hoc libro q) quaerenda sint. ANTONII NIGRI *Libellus de decem praecipuis erroribus atque abusibus,*

propter quos apud non nullas gentes medicina mulierculis, iudaeis, ac impoſtoribus veluti praeda relicta, miſereque infamata conſtuprataque iacet, Hamburgi 1590. 8. refutandis vniuerſalibus quibusdam ac epidemiis erroribus atque praeiudiciis occupatur. Potioris multo momenti opus eſt, quod IOANNES ARGENTERIVS *De erroribus veterum medicorum*, Florentiae 1553. fol. euulgauit; quamuis hoc, aeque ac reliquis ſuis ſcriptis, plures r) inimicos & aduerſarios, quam fautores & amicos, parauerit ſibi. Paria fata expertus eſt s) LAVR. IOVBERTVS, emiſſa *Decade I. & II. Paradoxorum* t): eſtque veri omnino ſimile, eam ipſam fuiſſe cauſſam, cur de promiſſis olim ſex partibus errorum medicinalium, haud plures, quam primam u) & ſecundam w), luci expoſuerit publicae; quae poſtea, rubrica notatae iſthac: *Erreurs populaires au fait de la medecine & regime de ſanté par* LAVRENT. IOVBERT. *Partie I. & II.* Lugduni 1608. 12. iunctim fuerunt impreſſae. HIER. BRISSIANVS, in *Medicina* ſua *noua, in qua multorum errores in hac praeſtantisſima facultate reteguntur*, Venetiis 1591. 4. edita, quidnam praeſtiterit? &, qua ratione memorati a IOANNE RHODIO x) *Errori populari* DI SCIPIONE MERCVRIO, huc pertineant? de eo equidem, quod certe definiam, nihil habeo.

q) Vid. ADAMI *Vitas medicorum german.* pag. 193. IACOBVS CVRIO, conſtans Hippocraticae medicinae aſſertor, improbauit vnice illos, qui hodieque in ſcholis apparantur medici, ad diſceptandum multo, quam ad medendum, paratiores.

r) Vid. Cap. V. §. 14.

s) Vid. Cap. V. §. 11.

t) Lugdun. 1566. 8.

u) Impreſſa eſt iſta pars Burdigalae 1579. 8. poſtea quoque a IOANNE BORGESIO latine translata, & titulo ornata iſthoc: LAVR. IOVBERTI, *De vulgi erroribus, medicinae medicorumque dignitatem deformantibus, liber primus, latinitate donatus & ſcholiis illuſtratus* a IO. BORGESIO, Antwerpiae 1600. 8. prelo exiit. Vid. NICERON, *Memoires tom.* XXXV. pag. 70. ſeqq.

w) Partem secundam BARTHOLOMAEVS CABROLIVS Lutetiae Paris. 1580. 8 publicauit.

x) Vid. *Bibliothec. medic.* pag. 142.

§. V.

Saeculo decimo septimo varii similiter exstiterunt, qui grassantibus in artem medicam erroribus, pro sua quisque cognitione, remederi studuerunt. SANCTORII SANCTORII *Libri XV. de methodo vitandorum errorum omnium, qui in arte medica contingunt*, aliquoties y) impressi, ab HIPPOLYTO OBICIO, peculiari ad ipsum *Sanctorium* data epistola, quam *Iatrastronomico* suo x) ille inseruit, variorum lapsuum & paroramatum sunt accusati. THEOD. COLLADONIS *Aduersaria, seu, Commentarii medicinales critici, dialytici, epanorthotici, exegematici ac didactici, vbi varii & multiplices neotericorum, qui centum abhinc annis scripserunt, errores aperiuntur, excutiuntur, refelluntur, & ex familia medica eliminantur*, Geneuae anno 1615. 8. excusi, ibidemque 1680. 8. ita immutato titulo: *Sphalmata medica, tam in theoria, quam in praxi, annotata & correcta*, recusi, id agunt, vt autor recentioribus medicis ferme omnibus thrasonice insultare, & IACOBO praecipue HOLLERIO, THOMAE MOVFFETO, nec non ANDR. LAVRENTIO innumeros errores exprobrare sit conatus. CASP. BACHOY *Erreurs populaires touchant la medecine. Oeuvre nouveau* &c. Lugduni 1626. 8. supplere voluerunt illa, quae in LAVR. IOVBERTI opere, iuxta editam quondam ab illo sciagraphiam, deesse hactenus visa erant. De conatu IOH. BAPT. HELMONTII, qui, diuersis a) libellis, dogmata veterum, GALENI praesertim, ceu falsa minusque solida, reiecit, iam superius cap. III. sect. I. §. 6. necessaria scitu in medium sunt prolata.

y) Venet. 1602. fol. 1603. 8. 1630. 4. & Geneuae 1631. 4. Operibus quoque autoris iunctim editis, quorum cap. V. §. 23. iam memini, sunt inserti.

z) HIPPOLYTI OBICII *Iatrastronomicon, varios tractatus medicos & astronomicos ad rectum medendi vsum pernecessarios complectens. Quibus additus est de multiplici abusu in medicina tractatus, cum aliis opusculis.* Vicentiae 1618. 4. V. LINDEN. *ren.* p. 465. seq.

a) Eo pertinent e. c *Scabies & vlcera scholarum; Catarrhi deliramenta; Pueriles humoristarum vindicta; Pharmacopolium & dispensatorium modernorum: de ratione victus; tumulus pestis; scholarum humoristarum passiua deceptio ac ignorantia* &c.

§. VI.

THOMAE BROWN *Pseudodoxia epidemica, siue, examen errorum popularium*, anglicano idiomate Londini b) 1646. & 1673. fol. in lucem emissa, a CHRISTIANO quoque KNORRIO a ROSENROTH, latitante sub nomine CHRISTOPH. PEGANII, ex versione quadam germanica, Noribergae 1680. 4. edita, nec non tractatibus quibusdam G. G. LEIBNITII, H. MORI & IOANNIS D' ESPAGNE, adaucta, non tam de medicinalibus c), quam de physicis potius erroribus atque praeiudiciis est sollicita. IAC. PRIMEROSII *Libri quatuor* d) *de vulgi erroribus in medicina*, plenissime Roterodami anno 1658. & 1668. 12. impressi, CASPARI etiam A REIES e) vt & GVIDONI f) PATINO laudati, longe commodius locum hic suum tueri possunt; etsi illorum autor, negando, publiceque editis libellis reiiciendo, circulationem sanguinis ab errore capitali, & in fundamenta salutaris artis impingente, non fuerit ipse immunis *). Multo autem maiores motus concitauit CASP. HOFMANNVS, dum vbique in re medicorum publica dictatorem g) se gerere gestit, dumque non in *Institutionibus* h) tantum *medicis* suis, LEONH. FVCHSIO, DAN. SENNERTO, DVNCANO LIDDELIO, GILB. IACCHAEO, IO. HEVRNIO, GREG. HORSTIO, & IO. RIOLANO seniori multos exprobrare errores, sed & praeterea in suis, quas vocat, *Opellis* i) *pro veritate*, omnibus tantum non, cum viuentibus ea aetate, tum nuper defunctis medicis, bellum clarigando indicere,

dicere, eosdemque infinitorum lapsuum grauissimorumque erratorum reos peragere studet; quum tamen ipse praeiudiciorum k) foedissimorum coeno immersus haereret. THOMAE contra BARTHOLINI, medici illius non modesti minus ac eruditi, non nullos habemus *Libellos de erroribus Danorum in medicina, dissertationibus eius decem de medicina Danorum domestica*, annexos, editis Hafniae 1666. 8. IOH. quoque IAC. WALDSCHMIDII ambae *Dissertationes de medico & chirurgo Cartesiano, detegente aliquot in medicina errores, hactenus ex ignorantia philosophiae commissos*, quae inter iunctim emissas dissertationes eiusdem primum statim locum occupant, pariter huc referri l) possunt. Forsitan autem prae reliquis, GERHARDI GORIS *Medicina contemta propter* λογομαχίαν *vel ignorantiam medicorum*, Lugduni Batauor. 1700. 4. edita, de quo libro vtilissimo in *Historia medicinae Stolliana*, pag. 337. seqq. iam pluribus a me dictum memini, peculiarem hic plane locum vendicare sibi poterit.

b) Vid. NICERON. *Memoires tom.* XXIII. p. 353. seqq.

c) Vid. MORHOFII *Polyhistor*, tom. II. lib. II. cap. I. §. 9. p. 131. Hic primo libro docte disquirit de causis errorum in rebus naturalibus & particularibus. Neque enim solum errores in philosophia naturali ostendit, sed & in sententiis quibusdam historicis, theologicis, ac in artibus quoque mechanicis, quin & in medicis. Et tomo III. lib. V. §. 10. sequentia leguntur: Continentur hoc in libro quidem pleraque physica, sunt tamen & aliqua, quae ad alias disciplinas possunt referri. De cetero, IAC. FRIDER. REIMMANNVS vocat hunc librum, opus aureum, omnium sinu fouendum, & manu indefessa tractandum. Idem vir doctus indicat: quod compilatum a multis, laudatum a paucis, sane iis testimoniis non ornatum sit, quibus ornari meruerit. Id quod pluribus verbis in eius *Catalogo bibliothecae theologicae* pag. 685. sequ. legi potest.

d) *Quorum I. de erroribus circa medicos; II. de erroribus circa morbos quosdam, & eorum cognitionem; III. de erroribus circa victus rationem sanorum & aegrorum; IV. de erroribus circa remediorum vsum, agit.*

e) In *Elyſio iucundarum quaeſtionum campo*, *Qu.* LXIX. pag. 932. Scripſit de erroribus popularibus doctiſſimus IOVBERTVS, & de vulgi erroribus nouiſſime IACOBVS PRIMEROSIVS, vterque multa iucunda & lectu digna circa illa, in quibus vulgus maxime hallucinatur.

f) Vide eius *Lettres choiſies*, volum. III. lettr. 514. vbi ſcribit: Il m'eſt aiiourdui tombé entre les mains vn liure imprimé à Lion, intitulé: IAC. PRIMEROSII *De vulgi erroribus in medicina.* Il y a là dedans de fort bonnes choſes & bien curieuſes, & fort peu de mauuaiſes, ſi non, qu'il eſt trop hardi dans l'uſage, ou plutôt dans l'abus des remedes chymiques, comme l'antimoine &c.

*) Nihilo tamen minus in animaduertendis aliorum erroribus Lyncem agere voluit: id quod eius *Destructio fundamentorum medicinae* VOPISCI FORTVNATI PLEMPII, *vbi breuiter quater centum ipſius errores demonſtrantur*, Roterodami anno 1657. 4. impreſſa, abunde teſtatur.

g) Genium huius viri, eiusque animi iconem veluti, candide & cordate delineauit IOH. IAC. BAIERVS in *Biographiis medicorum Altorfinorum* p. 50. ſeqq. Non mentiar, ſi dicam, quod bellum ille indixerit omnibus, qui ſuo aut ſuperiori ſeculo de re medica ſcripſerant. Seorſim exercitationes, quas vocat, iuueniles totae ſunt in perſtringendis erroribus ſcriptorum XVII. celebrium & magna partim autoritate conſpicuorum. Prae omnibus autem infenſum apparet fuiſſe HOFMANNVM doctrinae IOAN. FERNELII, quem populares eius, Galli, tantum non adorauerant. Ille vero contra oſtendere ſuſtinuit, eſſe FERNELIVM inter eos ſcriptores, qui famam habent, non merentur.

h) Lugduni 1645. 4.

i) Impreſſae ſunt hae Lutetiae Pariſiorum, anno 1647. 4. ſed rariores inuentu. Siſtuntur in iisdem, vt patet ex LINDENIO *renouato*, pag. 158. praeter *Reiectanea pathologica* illius, aliaque ſchediaſmata, I. *Adraſtea* GALENI; II. *Exercitationes iuueniles contra* PARISANVM, *aliosque XVII. neotericos*; III. ANTARGENTERIVS; IV. *Anti*-FERNELIVS. Vltimum autem horum tractatuum in exemplaribus Pariſinis haud inueniri, idque, quia RENATVS MOREAV & GVIDO PATINVS cenſuram exercentes noluerant illum inſeri; nihilo tamen minus eumdem, alibi fortaſſe impreſſum, exemplaribus quibusdam Pariſinis dein furtim quaſi ac poſtliminio reſtitutum, docemur in allegatis modo biographiis I. I. BAIERI pag. 51. ſequent.

k) Huc refero e. gr. quod ipſe, aeque ac GVIDO PATINVS, chemiam ac medicamenta chemica penitus contemſit, circulationem, quam vocant, ſanguinis, venas lacteas, ab ASELLIO detectas, multaque alia inuenta pertinaciter negauit & exploſit; quumque

que

que solus infallibilis haberi vellet, omnis contradictionis, ad exemplum SALMASII, REINESII &c. impatiens fuit.

l) In GISBERTI VOETII *Bibliotheca studiosi theologiae* p. 509. lego equidem: In hac nostra Vltraiectina academia errores in medicina omnes populares collegit, detexit, & publicis disputationibus refutauit clarissimus GVIL. STRATENVS; nunquam autem illas oculis vsurpare mihi licuit.

§. VII.

Quemadmodum memorati huc vsque scriptores generatim de erroribus medicinalibus exstirpandis fuere solliciti; ita vicissim alii tantum huic vel illi medicae artis parti curam impenderunt suam ab illis purgandae. Hic adeo, quod anatomiam quidem attinet, ex antiquioribus GVILIELMVS CHRISTIANVS & IOANNES RIOLANVS, filius; e recentioribus vero GVNTHERVS CHRISTOPHORVS SCHELHAMMERVS & IOAN. BAPTISTA MORGAGNVS in censum veniunt. De primo horum PASCHALIS GALLVS *in Bibliotheca medica* part. II. p. 313. seq. refert, quod librum lingua gallicana conscriptum ediderit, cuius iste sit titulus: *Philalethes, de erroribus quibusdam anatomicis quarundam partium corporis humani, correctis secundum sententiam* GALENI, Aureliae 1536. 8. IOAN. RIOLANI, iunioris, *Opuscula anatomica noua*, Londini 1649. 4. impressa, eo tantum tendunt, vt autor viris ista aetate celebratissimis, IOAN. WALAEO, ANDREAE LAVRENTIO, CASP. BAVHINO, ADRIANO SPIGELIO, IOAN. VESLINGIO, CASP. BARTHOLINO, multisque aliis, errores anatomicos innumeros, idque more litteratos homines non decente m), imputare laboret. GVNTHERI CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Analecta anatomico-physiologica*, Kilonii 1704. 4. prelo protrusa, multas easque nimis acres n) censuras in diuersos, partim autoritate florentes, anatomicos exercitas, exhibent. De IOANNIS denique BAPTIST. MORGAGNI *Aduersariis* o) *anatomicis*, *& epistolis* p) *anatomi-*

tomicis, iam alibi q) obſeruaui, oſtendi in illis maxima ex parte errores, quos in rebus anatomicis IO. IAC. MANGETVS, vt & IO. BAPT. BIANCHI, aliique non nulli commiſere.

m) Vid. DOVGLASSIVS *Bibliograph. anatomic.* p. 192. Id certe eximiis animae eius dotibus nigrorem quaſi inducit, quod tyrannidem anatomicam affectauerit, virisque doctis ſibi contemporaneis, illi experientia & eruditione minime ſecundis, famam exſtinxiſſe annifus fuerit.

n) Vid. HEISTERI *Orat. de incrementis anatom. ſeculi* XVIII. p. 37. SCHELHAMMERVS in analectis ſuis anatomico - phyſiologicis, acerbas, immo ſaepe plus quam acerbas, animaduerſiones in VERHEYENVM, WILLISIVM, NVCKIVM, GAVETTVM, TOVRNEFORTIVM, HIGHMORVM, VIEVSSENIVM, BELLINVM, LEEVWENHOECKIVM &c. exhibuit.

o) Patauii 1719. 4. & Lugduni batauor. 1723. 4. Quaenam autor praeſtiterit in his, ea breuiter LAVR. HEISTERVS in *Orat. de incrementis anatom.* p. 43. indicauit verbis ſequentibus: Deſcribit in illis primo varia noua, a ſe ipſo primum inuenta. Deinde cognita quaedam veteribus, ſed neglecta a recentioribus, veris ſuis inuentoribus vindicat & reſtituit; ac denique varios errores non nullorum anatomicorum egregie emendat.

p) Lugdun. batauor. 1728. 4. Inſecuto autem tempore longe plures huius generis epiſtolas vir iſte celeberrimus emiſit: ſiquidem nuper admodum I. B. MORGAGNI *Epiſtolae anatomicae ad ſcripta* ANT. MAR. VALSALVAE *pertinentes, pars I. & II.* Venetiis 1740. 4. luci fuerunt expoſitae.

q) Vid. *Hiſtoriam medicinae litterariam Stollianam*, pag. 465. ſeqq.

§. VIII.

Errores botanici, orti ex plantis a veteribus nominatim quidem indicatis, minus autem ab iisdem deſcriptis, prae ceteris a FABIO COLVMNA, & a CLAVDIO SALMASIO ſunt indagati. Prioris ſtudio non ſolum debemus ſequens opus: FABII COLVMNAE Φυτοβάσανος, *ſiue plantarum aliquot hiſtoria, in qua deſcribuntur diuerſi generis plantae veriores ac magis facie & viribus reſpondentes antiquorum*, THEOPHRASTI, DIOSCORIDIS, PLINII, GALENI, *aliorumque delineationibus, ab aliis huc vsque non animaduerſae.* Nea-

Neapol. 1592. 4. sed prodiit etiam FABII COLVMNAE, *minus cognitarum rariorumque nostro coelo orientium stirpium ἔκφρασις, qua non paucae ab antiquioribus,* THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, PLINIO, GALENO, *aliisque descriptae, praeter illas etiam in Φυτοβασάνῳ editas, disquiruntur & declarantur. Pars I.* Romae 1606. 4. *Pars II.* Romae 1616. 4. quae scripta singula a CONRINGIO r), TOVRNEFORTIO s), BOERHAAVIO t), aliisque pluribus, tantis ornata sunt encomiis, vt optandum foret, haec opuscula, quum in rariorum cariorumque, seu pretiosiorum, censu habeantur, ob insignem, quam praestare possunt, vtilitatem, denuo prelo substerni. Posteriorem vero quod adtinet, hoc tantum monebo, praeter eius *Exercitationes* u) *Plinianas in* SOLINVM, omnibus notas magnique aestimatas, adnexas illis *Exercitationes de homonymis Hyles iatricae,* praecipuum w) hic sibi merito vindicare locum: quare & consultum omnino foret, easdem, in vsum medicorum ac botanicorum, separatim edi.

r) *Introduct. in art. medic.* cap. X. §. 21. Sunt autem non haec tantum, sed etiam omnia scripta COLVMNAE perdocta, & quibus hoc in genere hactenus vix vllum praestantius excusum sit.

s) *Isagog. in rem herbariam* p. 53. FABIVS COLVMNA prae aliis commendandus, ob exquisitam historiae naturalis cognitionem. Nihil profecto adeo absolutum, nihil in hoc genere cum tanti viri operibus comparandum est, siue icones autoris manu exaratas, siue descriptiones & dissertationes criticas spectes.

t) *Method. discendi medicinam* p. 218. seq.

u) Optime perfectissimeque hae sunt diuulgatae Vltraiecti 1689. fol. & quidem auctae *Exercitationibus*; quas manu exaratas reliquerat autor, *de Homonymis hyles iatricae*; nec non *Commentario de manna & saccharo veterum:* falsum tamen est, quod in *Polyhistoris Morhofiani* tomo I. lib. III. cap. V. §. 15. p. 583. adseritur: ac si in hac ipsa editione, etiam SALMASII *Exercitatio de synonymis hyles iatricae,* reperiatur. Expresse enim & dilucide, in praemissa Homonymis praefatione, IOH. BAPTISTA LANTINVS docuit, eam inter manu-scripta *Salmasiana* minime inueniri.

w) Vid. laudata modo I. B. LANTINI praefatio, vbi haec leges: Libri de Homonymis, qui nunc prodit, quanta sit vtilitas, facile est intel-

intelligere. Qui hodie medentur, plerique herbarum vires, quas ad remedia vſurpant, non propria experientia cognitas habent, ſed DIOSCORIDIS, GALENI, PLINII, ceterorumque antiquorum, &, qui ab iis acceperunt, recentiorum fide & autoritate receptas: quibus ſi homonymia deceptis aliud pro alio ſumere contigerit, quod ſaepe contigiſſe liber hic euincet, neceſſe eſt, non raro inutilia pro vtilibus, noxia pro ſalutiferis, immo etiam aliquando venena pro remediis, aegrotantibus praebeantur. Cui rei abunde fidem facient allata hic exempla in eryngio, elleboro, behem & chamaelea. Verum huiusmodi errores quantum periculoſi & noxii, tantum in iis detegendis corrigendisque difficultatis reperitur. Qui eo munere digne defungi valeat, huic adſint ea omnia, oportet, quae in praefatione SALMASIVS enumerat &c.

§. IX.

De erroribus circa pharmaciam verſantibus, fuerunt etiam, qui peculiaribus agerent tractatibus, non nulli. SYMPHORIANI CAMPEGII *Caſtigationes, ſeu, Emendationes pharmacopolarum, ſiue, Apotbecariorum, ac arabum medicorum*, MESVAE, SERAPIONIS, RHASIS, ALPHARABII, *&* *aliorum iuniorum medicorum, in quatuor libros ac tomos diuiſae, in quas, quicquid apud arabes erratum fuerit, ſumma cum diligentia congeſtum eſt*, Lugduni 1532. 8. impreſſae, in CONRADI GESNERI *Bibliotheca vniuerſali* pag. 606. non meliorem in modum commendantur x). ANGELI SALAE *Tractatus duos de variis tum chymicorum, tum galeniſtarum erroribus, in praeparatione medicinali commiſſis*, qui, ſi LINDENIO *renouato* p. 58. credendum, 1608. 8. ſine mentione loci, e Tuſca in latinam translati ſunt linguam, nunquam equidem vidi; facile tamen mihi perſuadeo, autorem hunc, quum reliquis ſuis, quos dedit, libris chemicis atque pharmaceuticis nomen y) ac famam acquiſiuerit, in iſtis quoque non inutilia nec inepta protuliſſe in medium. LISETTI BENANCII *Declaratio fraudum & errorum apud pharmacopoeos commiſſorum, latinitate donata & edita a* THOMA BARTHOLINO, Francofurti anno 1667. 8. recuſa, & impreſſo antea Venetiis *Dialogo, de impoſturis pharmaco-*

copo-

copolarum, IOAN. ANT. LODETTI, aucta fuit. IO. ANDREAE STISSERI *Dissertatio epistolaris de variis erroribus, chemiae ignorantia, in medicina commissis*, Helmstadii 1700. 4. euulgata, legi etiam meretur.

x) Vide capit. I. section. III. §. 3.

y) Vide BOERHAAVII *Methodum discendi medicinam* pagina 194. sequ.

§. X.

Nec defuerunt, quos errores circa therapian obseruati tenerent occupatos. HIER. CARDANI *Libellus de malo* z) *recentiorum medicorum medendi vsu, centum errores illorum continens*, merito huc refertur. ABRAHAMI SCHOPFII *Disquisitio* a) *omnium praesidiorum medicorum vniuersalium, & topicorum, qua quorundam practicorum in administratione & vsu eorundem errores deteguntur, legitimaque vtendi ratio docetur*, etiam locum hic aliquem meretur. POLYDORI SERAPHINI *Collectionem de manifestis quibusdam* b) *erroribus in vsu medendi*, IOAN. RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 151. laudauit. LVDOVICI SEPTALII *Cautionum* c) *& animaduersionum medicarum libri IX.* multum bonae existimationis inuenere; quemadmodum etiam synopsis ex SEPTALII & GVILIELMI BALLONII operibus a THEOPHILO BONETO d) contracta, cuius iam capite V. §. 11. mentio a me facta fuit, a GVIDONE PATINO haud vulgaribus elata est laudibus. ENGELBERTI HOLTERHOFFII *Discursus medicus ostendens errores medicorum in curationibus febrium, pleuritidis, phthisis & dysenteriae*, Colon. Agripp. 1676. 4. pertinet ad scriptores particulares. Similiter & ANT. e) LVDOVICVS peculiarem conscripsit tractatum f) *De erroribus* PETRI APONENSIS *in problematibus* ARISTOTELIS *exponendis*: cuiusmodi opus IOANNES quoque MANARDVS g) promisit, verum non perfecit.

z) Venet. 1545. 8. & auctior Lutetiae Parisior. 1565. 8. ita inscriptus: *De methodo medendi sectiones quatuor. I. De erroribus recentiorum*

rum medicorum; II. *De ſimplicium nocumentis*; III. *De curationibus admirandis*; IV. *Continet conſilia quaedam medica.*

a) Baſileae, 1595. 8.

b) Venetiis 1608. 8.

c) Liber iſte ſaepius prela fatigauit; optime vero ſimul & plenisſime, cum IOH. RHODII *Additamentis* Pataui 1652. & 1659. 8. in lucem prodiit publicam.

d) THEOPH. BONETI *Labyrinthus medicus extricatus.* Geneuae 1687. 4.

e) Vid. GESNERI *Bibliotheca vniuerſal.* p. 58. vbi leguntur iſthaec: ANT. LVDOVICI, medici Olysſiponenſis, doctisſima quaedam opera in medicina vidi impreſſa Olysſiponae 1540. fol. Eſt autem GALENI ſectator, & multa ex GALENO declarat.

f) Annexus & inſertus eſt iſte operibus eius de re medica, iunctim Vlysſibonae 1543. fol impresſis, quae maximam ſui partem conſtant ex commentariis in aliquot libros *Galenicos.*

g) Ipſe in medicinalibus ſuis epiſtolis lib. II. ep. I. ſcribit: PETRVM APONENSEM aliis quoque in locis erraſſe, ſupra monſtrauimus, ſperamusque, ſi tantum nobis erit otii, olim dicato volumine infinita pene eius errata detegere, non, vt viro, ſatis quidem, quantum illa ferebat aetas, docto multaeque lectionis, detrahamus, ſed, ne ei fides in magnis, vt ipſi putant, & occultioribus artibus, a ſimplicioribus praeſtetur, quem conſtet in manifeſtioribus & leuioribus multifariam praeuaricaſſe.

§. XI.

Cum nec inter medicorum filios varia de variis argumentis certamina defuerint; diuerſi viri docti inuenti ſunt, qui de his quoque peculiaria elaborarent ſcripta. IACOBI ALLAXINI *Diſceptationes* h) *medicae, quibus recentiorum & arabum permulti errores ad veterum diſciplinam expenduntur*, rarae ſint, oportet; quoniam nec forma nec annus impresſionis CONRADO GESNERO, PASCH. GALLO & IOH. GEORG. SCHENCKIO innotuere, a LINDENIO autem indicantur. HIER. CARDANI *Contradicentium medicorum libri duo, quorum primus centum & octo, alter vero totidem diſputationes continet*, Lugduni 1548. 4. & Pariſiis 1565. in 8. impresſi, poſtea vna cum IACOBI PELETARII *Contradictionibus* i) *ex* LACVNA *deſumtis*, Marpurgi 1607. 8. recuſi fuerunt. Hiſpanici illius

illius Galeni k), FRANCISCI VALLESII, *Controuersiarum medicarum & philosophicarum libri decem*, multoties l) editi, optime autem atque plenissime Francofurti 1595. fol. & Hanouiae 1606. fol. exscripti typis, a PET. MONAVIO m) laudati, & a IOH. RHODIO n) reliquis huius generis scriptis sunt praelati. IO. BAPTISTAE SYLVATICI *Controuersiae medicae numero centum*, Francof. 1601. fol. parem sunt consecutae laudem. VICTORIS o) TRINCAVELLII *Controuersiarum medicinalium* p) *practicarum libri quinque, quibus quaestiones maxime controuersae & abstrusae dexterrime explicantur & enodantur*, pro opere posthumo habendi sunt. ANDREAS LIBAVIVS contra, in viuentibus adhuc degens, *Controuersiarum variarum inter nostri temporis philosophos & medicos in scholis agitatarum libros II.* Francofurti 1600. 8. excudendos curauit.

h) Paris. 1535. 8. Vid. LINDEN. *renouat.* p. 473.

i) Vid. capit. III. sect. II. §. 3.

k) Eo titulo illum ornat CASP. A REIES in *Elysio iucundarum quaestionum campo.* Quaestion. XLIX. pag. 611.

l) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 302.

m) Vid. CRATONIS *Consiliorum & epistolarum medicinal.* lib. II. p. 331. sequ. FRANCISCVS VALLESIVS, quem dudum diem suum obiisse credidimus, ipse opus suum controuersiarum medicarum ad recudendum CHRISTOPH. PLANTINO ex Hispaniis Antwerpiam misit. Haud dubie multa praeclara his totis XX. & amplius annis a se obseruata adiecit, vt illa etiam cum studiosis doctrinae illius cupidis communicari aequum sit. Ingenio apparet esse maximo, iudicioque exquisito. Sed prima editio iuuenile quid resipiebat: haec posterior omnia maturiora & exquisitius cogitata & recogitata habebit.

n) In *Introduct. ad medicin.* p. 130.

o) Vid. capit. V. §. 15.

p) Francofurti 1617. 4.

§. XII.

CHRISTOPHORI CACHETI *Controuersiae theoretico - practicae in primam aphorismorum* HIPPOCRATIS *sectionem, in quibus, quaecunque ad venae sectionem, purgationem, & probam victus rationem pertinent, non minus*

nus accurate, quam acute & eleganter, in vtramque partem disputantur, duabus constant partibus, quarum prior Tulli Leucorum 1612. 8. posterior autem ibidem 1618. eadem forma in lucem exierunt litterariam. FRANCISCI TVRCI *Controuersiae medicae & philosophicae,* quae Veronae 1607. 4. impressae q) esse dicuntur, ab ANDREA CHIOCCO non sunt allegatae, etiamsi autoris, tanquam affinis sui, mentionem r) iniecerit. ANT. SANTORELLI *Antepraxis* s) *medica, in libros XXI. distributa, in quibus ea omnia, quae praxin medicinae aggressuris praenoscere est necessarium, summa breuitate examinantur,* potiorem sui partem controuersiis medicis distinetur. Amplissimi illius ac perquam diffusi operis LVDOVICI RODRIGVEZ DE PEDROSA nihil vlterius, praeter *Selectarum philosophiae & medicinae difficultatum, quae a philosophis vel omittuntur, vel negligenter examinantur, Tomum primum* Salamanticae 1666. fol. excusum, in lucem hactenus publicam prodiit; reliqui, & eo ipso tempore iam elaborati t) nouem tomi ad hunc vsque diem, quantum equidem scio, tenebrarum claustris premuntur. EMANVEL DOS REYS TAVARES in suis Vlysipponae 1667. 4. impressis *Controuersiis philosophicis & medicis,* solam de febribus u) doctrinam scopi loco sibi praefixam habuit; ANDREAS w) contra LAVRENTIVS, vt & HENNINGVS x) ARNISAEVS, controuersias speciatim anatomicas tractauerunt.

q) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 301.

r) *De Collegii Veronensis illustribus medicis & philosophis*, p. 108.

s) Neapol. 1622. 4. & 1651. fol.

t) Vid. ANTONII *Bibliothec. Hispan. nou.* tom. II. pag. 49.

u) Id. ibid. tom. I. pag. 270. sequ.

w) Vid. cap. V. §. 11.

x) HENNINGI ARNISAEI *Disquisitiones de partus humani legitimis terminis; eiusdemque obseruationes & controuersiae anatomicae.* Francofurt. 1642. 12.

CAP.

CAP. VI. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS EPISTOLARVM MEDICARVM.

CONTENTA:

De Epistolographis medicis saeculi XVI. §. 1 - 4. *Saeculi XVII.* §. 5 - 7. *De Scriptoribus epistolarum medicarum recentissimis*, §. 8.

§. I.

Vtut consuetudo, varias ad medicam spectantes artem materias tractandi per epistolas, perquam sit vetusta: nolo tamen in praesentiarum, quum, quae feruntur, HIPPOCRATIS, DEMOCRITI, CRATEVAE &c. epistolae pro spuriis habeantur; THEMISONIS vero, ARCHIGENIS, MAGNI EPHESII, ANTIPATRI, COELII AVRELIANI &c. epistolae medicinales iam dudum perierint; denique, quae a DIOCLE, VINDICIANO &c. scriptae epistolae paucae adhuc supersunt, parui sint momenti, circa has omnes & singulas moras nectere. Potius initium statim faciam a pulcherrimis illis a) NICOLAI LEONICENI *Epistolis*, quas, dolendum omnino, nondum collectas in vnum fasciculum iunctimque editas, sed sparsim hic illic insertas tantum inueniri, partim *Libris IV. de erroribus* b) PLINII *aliorumque medicorum*, partim libro II. epistolarum ANGELI POLITIANI, & libro II. epistolarum IO. FRANCISCI PICI, sociatas, partim aliis locis interspersas haberi. Hisce proxime sociabo digni eius c) auditoris, celebris d) perquam viri, IO. MANARDI *Epistolas medicinales*, quarum initio sex tantum e), postea octodecim f), & denique g) viginti libri prelo exiuerunt: qui Basileae 1549. fol. plenissime h) sunt excusi, Hanouiae *) vero anno 1611. fol. titulo insigniti: IO. MANARDI

Iatrologia epiſtolica, ſeu, Curia medica XX. libris epiſtolarum ac conſultationum medicinalium adumbrata, nec non annotationibus & cenſuris luculentisſimis in IO. MESVAE *ſimplicia & compoſita adornata ;* recuſi, & ab orbe litterato beneuole excepti.

a) Vide GESNERI *Bibliothec. vniuerſal.* p. 520. Exſtant & quamplurimae NICOL. LEONICENI epiſtolae, quae maximam eius doctrinam prae ſe ferunt & elegantiam.

b) In his variae epiſtolae occurrunt, quas NIC. LEONICENVS ad HERMOLAVM BARBARVM, & HIERONYMVM MENOCHIVM exarauit.

c) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. II. §. 19.

d) Vid. GESNERI *Bibliothec. vniuerſal.* pag. 435. vbi vocauit MANARDVM, virum ſua aetate omnium medicinae profeſſorum per vniuerſam Italiam, in GALENI doctrina & arabum cenſura, celeberrimum optimeque meritum.

e) Lutetiae Pariſ. 1528. 8. & Argentorat. 1529. 8. quae editio cum HVBERTI BARLANDI praefatione prelo exiit, rubricam gerens talem : IOAN. MANARDI *Medicinales epiſtolae, recentiorum errata, & antiquorum decreta penitisſime reſerantes.*

f) Baſileae 1535. fol. Vide *Bibliothec. Meibomian.* part. III. pag. 305.

g) Baſileae 1540. fol. Vid. GESNER. c. l. quo loco & argumenta omnium ac ſingularum, viginti his libris contentarum epiſtolarum indicata leguntur.

h) IO. MANARDI *Epiſtolarum medicinalium libri XX. ad autographum collati & editi. Eiusd. in* IO. MESVAE *Simplicia & compoſita annotationes & cenſurae.* Baſil. 1549. fol. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 248.

*) Non autem Venetiis, vt in LINDENIO *renouato* pag. 633. erronee ſcribitur.

§. II.

Veſtigia NICOLAI LEONICENI & IO. MANARDI varii Italorum medici preſſerunt. ALOISIVS MVNDELLA, IOH. LANGIO i) & IOH. k) CRATONI magnum in modum laudatus, *XXIII. epiſtolas medicinales* conſcripſit, Baſileae 1538. in 8. l) impreſſas, ibidemque anno 1543. 4. prelo repetitas, quarum argumenta a CONRADO GESNERO in *Bibliotheca vniuerſali* pagina 30. recenſentur. IO. BAPTIST. THEODOSII *Medicinales epiſtolae LXVIII.* m) *in*

in quibus complures variaeque res ad medicinam physicenque spectantes disertissime traduntur, Basileae 1553. 8. prela reliquerunt. NICOLAI MASSAE *Epistolae medicinales & philosophicae*, singulae initio n), postea vero Venetiis 1558. 4. iunctim publicatae, duobus constant tomis, quorum priori o) varia potissimum theoretica, posteriori contra p) mera practica argumenta tractantur, diuersa quoque veterum medicorum loca obscuriora illustrantur. PETRI ANDREAE r) MATTHIOLI *Epistolarum medicinalium libri* s) *quinque*, Pragae 1561. t) fol. & Lugduni 1564. 8. separatim editi, continent, aeque ac aduersarii eius, MELCHIOR. u) GVILANDINI, *Epistolae quinque de stirpibus*, Patauii 1558. 4. expressae, multas res ad materiam medicam pertinentes. VICTORIS w) TRINCAVELLII *Epistolarum medicinalium* x) *libri tres*, variis, partim philosophicis, partim medicis quaestionibus atque controuersiis enodandis & diiudicandis occupantur. THADDAEI y) DVNI *Epistolae medicinales, in quibus de oxymelitis facultatibus & curatione pleuritidis, morborumque articularium tractatur*, quae Tiguri 1555. 8. & 1592. eadem forma, typis sunt expressae, ipso titulo profitentur argumentum suum. ANT. ALVAREZ *Epistolae & consilia medicinalia, omnibus, non medicis modo, sed etiam philosophiae studiosis, vtilissima*, vna cum *Defensione pro* IO. ALTIMARO Neapoli 1585. 4. luci exposita publicae, amplioris sunt ambitus; eorum tamen prima solum pars in conspectum prodiit. De HORATII contra AVGENII *Epistolis & consultationibus medicinalibus*, quae tomis tribus z), libris vero constant XXXVI. CONRINGIVS a) iam obseruauit, easdem non tam pro epistolis, quam pro peculiaribus, iisque ex parte valde diffusis, tractatibus habendas, quae tamen, ob rerum, quas contineant, vtilium copiam, legi omnino mereantur.

i) *Epistolar. medicinal.* lib. II. epist. XLIX. vbi peritissimus saeculi nostri medicus audit.

k) *Epiſtol. & conſil. medicinal.* lib. V. p. 259.

l) ALOISII MVNDELLAE *Epiſtolae medicinales, variarum quaeſtionum & locorum inſuper* GALENI *difficilium expoſitionem continentes, omnibus, qui veram artem exercere volunt, apprime vtiles. Acc. eiusd. Annotationes in* ANTONII MVSAE BRASAVOLAE *ſimplicium medicamentorum examen.*

m) Non autem LXXXVIII. vt in PASCHALIS. GALLI *Bibliotheca medica* p. 165 erronee numerantur.

n) Vide LINDEN. *renouat* pag. 839.

o) *Tomo primo tractantur ea, quae tum ad theoriam, tum ad praxin medicam pertinere videntur, & quaeſtiones etiam continentur de animarum immortalitate, de mundi creatione* &c.

p) *Tomo ſecundo methodus curandi vniuerſalis, & ad profliganda varia morborum genera conſultationes ſaluberrimae continentur, multae item* HIPPOCRATIS, GALENI, AVICENNAE, *aliorumque inſignium medicorum obſcurae enodantur ſententiae.* Minus eleganti autem latinitate conſcripta eſſe medici huius opera, CONRINGIVS iam in *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 20. annotauit.

r) De vniuerſis eius operibus iam dixi capit. V. §. 14.

s) SCHENCKIVS quidem in *Bibliothec. medic.* pag. 439. ſcribit: MATTHIOLI epiſtolarum medicinalium tomus II. in magna exſpectatione fuit. Verum enim vero, praeter libros V. nihil vlterius lucem vidit.

t) Non autem anno 1581. vt in LINDENIO *renouato* pag. 877. legitur.

u) Diuerſa eruditorum de hoc viro iudicia in BLOVNTII *Cenſur. celebr. autorum* pag 795. ſeqq. ex parte legi poſſunt. His addo, quod CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. X. §. 20. virum infinitae lectionis, & ingenii admirandi; in aliis tamen inſectandis iuſto vehementiorem, eum appellauerit; ISAACVS autem CASAVBONVS in *Caſaubonianis* pag. 15. ipſum & IANVM CORNARIVM inter criticos peſſimos numerauerit: quemadmodum etiam IACOB. FRIDER. REIMMANNVS in *Idea ſyſtematis antiquitatis litterariae* p. 299. ſequ. eiusdem tum virtutes tum naeuos depingere eſt conatus.

w) Vide capit. V. §. 15.

x) Impreſſi ſunt, vna cum conſiliis medicis eius, Baſileae 1587. fol.

y) Vid. PASCHAL. GALLI *Biblioth. medic.* p. 283. ſiue SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 490. vbi de ipſo eiusque ſcriptis, aeque ac in CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. V. §. 18. p. 195. bene iudicatur.

z) Hae optime Francofurti, ſequenti notatae rubrica, fuerunt impreſſae: HORATII AVGENII *Epiſtolarum & conſultationum medicinalium libri XXIV. in II. Tomos diſtributi. Acc. Eiusdem de*

de hominis partu libri II. Francofurti 1597. fol. *Eiusd. Epiſtolarum medicinalium tomi tertii libri XII.* Francofurti 1600. fol.

a) *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 32. HORATIVS AVGENIVS ſcripſit ingentia volumina de venae ſectione, & libros epiſtolarum, quae tamen nihil minus ſunt, quam epiſtolae, ſed integri potius tractatus. Lectu tamen omnia dignisſima. SCHENCKIVS pariter in *Bibliothec. medic.* p. 246. HORAT. AVGENII libros epiſtolarum & conſultationum medicinalium varia doctrina plenisſimos, vocauit.

§. III.

Germanorum medicorum, qui ſexto & decimo floruere ſaeculo, non nulli, quum ſcirent, ſe maximam eruditionis ſuae partem Italis debere, hac etiam in re Italos imitari, laudi ſibi duxerunt. IOH. LANGIVS, qui primus b) ſollertiam ſuam hoc in argumento demonſtrauit, epiſtolarum ſuarum medicinalium, quae tanti habentur pretii c), primum d) atque ſecundum e) librum ipſe edidit: quae, mortuo deinde autore, cura NICOL. REVSNERI, vna cum eiusdem praefatione, auctae praeterea tertio f) libro, Francofurti 1589. 8. iunctim diuulgatae, Hanouiae vero anno 1605. 8. g) titulo ornatae iſthoc: IOAN. LANGII, *Lembergii, V.* h) *Palatinorum Electorum Archiatri, Epiſtolarum medicinalium volumen tripartitum, denuo recognitum & dimidia ſui parte auctum*, denuo i) excuſae, omnique iure, *Opus varia ac rara cum eruditione, tum rerum ſcitu dignisſimarum explicatione refertum, vt eius lectio non ſolum medicinae, ſed omnis etiam naturalis hiſtoriae ſtudioſis plurimum ſit emolumenti allatura*, appellatae. Dolendum autem praeſtantisſimum librum iam dudum adeo rarum factum eſſe, vt noua eiusdem editio iam diu procuranda fuiſſet.

b) Vid. Praefatio, quam NICOL. REVSNERVS epiſtolis IOHAN. LANGII iunctim excuſis praemiſit, vbi claris verbis ſcribit: Ex Germanis ſolus LANGIVS hoc ſcriptionis genus felicisſime tractauit.

c) In CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 6. vocantur, epiſtolae longe elegantisſimae. IO. RHODIVS appellat easdem in *Bibliothec. medic.* p. 148. Epiſtolas optimas & omnino legendas.

gendas. TEISSIERVS autem in additamentis ad elogia doctorum virorum Thuanaea (*Eloges des hommes sçauans* par *Mr.* DE THOV) volum. I p. 258. non dubitauit easdem laudare, vt, vn liure rempli d'vne rare & profonde erudition.

d) Quoniam PASCHALIS GALLVS in *Bibliotheca medica* p. 181. Editionem Basileensem anni 1554. 4. pro prima habuit, nec error iste vel a IO. GEORG. SCHENCKIO, vel in LINDENIO *renouato*, emendatus fuit: non possum non e CONR. GESNERI *Enumeratione alphabetica chirurgorum illustrium* p. 405. annotare, primum librum harum epistolarum, quarum numerus est LXXXIII. rubrica insignitum isthac: IOAN. LANGII *Medicinalium epistolarum miscellanea*, Basileae 1533. 4. ex officina *Oporiniana* luci publicae fuisse expositum.

e) Secundus iste liber, LXI. epistolas continens, habens titulum praefixum: IO. LANGII *secunda epistolarum medicinalium Miscellanea*, Basileae 1560. 4. prelo exiit.

f) Exhibet iste haud plures quam sex epistolas, quarum tamen prima admodum est longa.

g) Non autem in folio, vt SCHENCKIVS in *Bibliotheca medica* pag. 319. erronee scripsit.

h) Non autem *quatuor*, vt plerique historici referunt. Vid. REVSNERI praefat. cit.

i) Hanoniae quoque hae ipsae epistolae, eaeque iunctae simul, anno 1602. 8. sunt diuulgatae. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 249.

§. IV.

CONRADI GESNERI *Epistolarum medicinalium libri III.* opera CASP. WOLPHII Tiguri 1577. 4. prelo progressi, quarum potior pars ad CRATONEM, GASSERVM & OCCONEM datae fuerunt, non minore, quam reliqua Germanici k) huius Plinii, scripta cum vtilitate legi possunt; minime autem putandum, omnes *Gesnerianas* epistolas l) collectioni isti insertas fuisse. Idem circa THOM. ERASTI m) *Epistolas* est mihi monendum, quarum multae diuersis in locis dissipatae inueniuntur, non nullae vero a THEOPHILO MADERO congestae, sub titulo: THOM. ERASTI *Disputationum & epistolarum medicinalium volumen doctissimum*, Tiguri 1595. 4. sunt impressae. IOH. CRATONIS *a Krafftheim consiliorum & epistolarum medicinalium libri VII. a* LAVR. SCHOLZIO

ZIO *a Rosenau* in hunc ordinem digesti, primumque separatim n) editi, postea iunctim, & quidem plenissime o) Francofurti 1671. 8. euulgati, autori suo iam dudum haud vulgarem pepererunt existimationem p), in quibus, quae ibidem inueniuntur, CRATONIS atque MONAVII, de medicis illa aetate viuentibus iudicia, vt & de eorundem scriptis, notatu maxime sunt digna. BALDVINI q) RONSSEI *Epistolae medicinales*, Lugduni Batauor. 1590. 8. & Amstelodami 1661. 8. separatim prelo depromptae, continent complures singulares obseruationes, vna cum aliis ad medicinam & diaeteticam pertinentibus rebus; *Langianis* tamen, quas imitari voluisse videri queat, epistolis minus sunt aequandae. IAC. HORSTII *Epistolae philosophicae & medicinales*, Lips. 1596. 8. exigui sunt momenti; & credo equidem, raras r) easdem inde factas esse, quoniam noua editio non habita fuit necessaria.

k) Elogia magni huius viri hic loci collecta proferre, nimis sane prolixum foret. Interim ex illis, quae BLOVNTIVS in *Censura celebrior. autor.* p. 661. seqq. congessit, facile quis de robore ingenii eius persuaderi poterit.

l) Ita, e. gr. CASP. BAVHINVS, praeter editas iam, non nullas eiusdem epistolas euulgauit, easque IO. BAVHINI *Plantis a diuis sanctisque nomen habentibus*, Basileae 1591. in 8. editis, adiiciendas curauit.

m) Vid. Capit. V. §. 18.

n) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 562. seq.

o) Inserta enim huic editioni sunt etiam alia quaedam schediasmatia CRATONIS. Sic tertio libro sociata est eius *microtechne, seu, parua ars medicinalis*: quarto *Commentarius* adiectus est *de vera praecauendi & curandi febrem pestilentem ratione*; quinto, *Commentarius* eius *de morbo gallico*: septimo denique eius *Analogismus, siue, artificiosus transitus a generali methodo ad exercitationem particularem*. Vt taceam, aliorum etiam autorum minora scripta, v. g. ANDR. AVRIFABRI *Historiam succini*; HIERON. CAPIVACCII *Libellum de recta cauteriorum administratione*, qui lib. I. & VII. habetur, CASP. HOFMANNI *Exercit. de Thermis Hirschbergensibus* &c. vna inserta esse. In SCHENCKII tamen *Bibliothec. medic.* p. 294. sequ. lego annotationem sequentem: doctissimi & artis vsu occupatissimi CRATONIS consilia medica & epistolas

 LAVR.

LAVR. SCHOLZIVS prioribus annis feorfim in lucem emifit, quibus clarisfimorum praeterea medicorum aliorum tum confilia, tum epiftolas, & medicos quoque libellos alios, adiecit. Wecheli per partes excuderunt ab anno 1591. 8.

p) Encomiorum, quibus ornatus fuit & accumulatus, pauca tantum allegabo. CONRINGIVS in *Introduct. ad art. medic.* cap. VII. §. 13. haec habet in laudem eius: Inter germanos, inquiens, prae coeteris ingens nomen adeptus eft πολυπειρότατος ὁ ἀρχίατρος, IOH. CRATO *a Krafftheim*, Wratislauienfis, cuius varia exftant fcripta confiliorum, epiftolarum, aliorumque opufculorum, reuera eximia & omnino lectu digna, quae omnia iunctim publici iuris fecit LAVR. SCHOLZIVS. In SIM. PAVLLI *Quadripartito botanico*, art. Fragaria, legitur fequens iudicium: Celeberrimus ille practicus, CRATO *a Krafftheim*, aeternam fui laudem omni pofteritati totius Europae ita confecrauit, vt phoenix medicorum practicorum merito fuo caefareus hic medicus appellari vel posfit, vel debeat, frendente ipfa inuidia. In SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 293. haec leguntur: IOH. CRATO *a Krafftheim*, trium imperatorum auguftisfimorum archiater ἰατρὸς φιλόσοφος, adeoque diuini HIPPOCRATIS iudicio, ἰσόθεος, quo eum elogio ZWINGERVS cohoneftauit. Quibus hunc virum laudibus ornauerit CAMERARIVS, *in Vita* MELANCHTHONIS p. m. 253. legi poteft.

q) Vid. Cap. V. §. 19. SCHENCKIVS in *Bibliothec. medic.* p. 85. vocauit illum reipublicae Goudanae medicum elegantisfimum.

r) Vid. SCHELHORNII *Amoenitat. litterar.* tom. II. pag. 436.

§. V.

E faeculo decimo feptimo diuerfi quoque in cenfum hic veniunt. PETRI CASTELLI *Epiftolae medicinales*, Romae 1626. 4. continent haud fecus ac reliqua fcripta s) docti huius viri, varias easque vtiles lectuque dignas res. VINCENTII ALSARII CRVCII *De quaefitis per epiftolam in arte medica centuriae IV. vbi varii cafus, obferuationes, confilia, refponfa, difputationes atque curationes, non fine promifcua doctrina, defcribuntur*, Venet. 1622. fol. expreffae, maximam partem pathologiam atque therapiam fpectant: qui fcopus in CONSTANTINI etiam GRANITI *Epiftolarum & confultationum medicarum libris VI.* Neapoli 1650. 4. excufis, obferuatus deprehenditur. IVLII CAE-

SARIS

SARIS BENEDICTI *Epistolarum medicinalium libri decem*, Romae 1649. 4. amplius patent, & cum theoreticis tum practicis occupantur argumentis. Longe vlterius vero tendunt acerrimi illius *Aristotelici* sectatoris, FORTVNII LICETI *Responsa* t) *de quaesitis per epistolas*, latiusque se diffundunt. Autor enim illorum multa non ad philosophiam solum ac medicinam, sed ad theologiam etiam spectantia u) hic proferre in medium, & pro cognitionis suae modo diiudicare est conatus. GABRIELIS w) NAVDAEI *Epistolae* x), Geneuae 1667. 12. impressae, similiter medicis finibus non manserunt inclusae. Idem de GVIDONE quoque PATINO dicendum, cuius *Lettres* y) *choisies, nouveau* z) *recueil des lettres choisies*, & *nouvelles lettres* a) *tirées du cabinet de* CHARLES SPON, ita sunt conscriptae, vt, praeter libera b), interdum vero etiam ad partium fauorem declinantia, iudicia, de celeberrimis medicis eorumque scriptis, multae etiam aliae res ad medicinam non aeque pertinentes ibidem obueniant. Similis farinae sunt & SAMVELIS SORBIERE *Lettres & discours sur diverses matieres curieuses*, Paris. anno 1660. 4. quas MORHOFIVS *Polyhistoris* tomo I. lib. I. cap. XXI. §. 44. laudauit; HEINRICVS *) autem MEIBOMIVS longe plurimi aestimauit. THOMAE quoque BARTHOLINI *Epistolarum medicinalium centuriae* c) *IV.* haud ita pridem Hagae Comitum recusae, etsi rem medicam, ceu scopum principem, in oculis ferant, hinc illinc tamen interdum rebus quibusdam ad antiquitates & historiam litterariam pertinentibus, intersperse & veluti expolitae d) comparent.

s) Legi possunt, quae, non citra singularem laudem G. C. SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conring. introduct.* cap. XI. §. 12. & part. II. p. 157. de ipso ipsiusque operibus pronunciauit.

t) Constant haec tomis septem, quorum primus Bononiae 1640. reliqui sex autem Vtini, & tomus quidem II. & III. 1646. tomus IV. 1647. tomus V. 1648. tom. VI. 1648. tom. VII. 1650. 4. sunt euul-

euulgati. Vid. NICERON. *Memoires* tom. XXVII. p. 373. ſeqq. vel, ſi ſis, OLDOINI *Athenaeum liguſticum* pag. 181. ſeqq.

u) MORHOF. *Polyhiſt.* tom. I. lib. I. cap. XXIV. §. 7. ſeqq. FORTVNIVS LICETVS iure optimo inter polygraphos numerandus, quo fit, vt non vsque adeo ſelecta ſemper ſcribat. Laudari tamen ob variam eruditionem meretur, quam in medicis, philoſophicis & philologicis habuit. Totus ad ſuperſtitionem vsque *Ariſtotelicus.* Miſit ille in lucem quaeſita per epiſtolas, ſeptem ſpiſſis voluminibus, quibus tractantur res varii argumenti, de quibus ipſum conſuluerant viri eruditi.

w) De magno hoc litterato vide BLOVNTII *Cenſur. celebrior. autor.* p. 1022. ſequ.

x) Vid. MORHOF. *Polyhiſt.* tom. I. lib. I. cap. XXIV. §. 52. NAVDAEI epiſtolae poſt mortem eius editae, Geneuae 1667. in quibus extat rerum litterariarum ſui temporis non exigua notitia. Multa eius ſunt de viris doctis iudicia, in quo tamen partium ſtudiis interdum aliquid tribuit. Ceterum rariora aliqua ab eius eruditione expectauerit quis, quam illic habentur.

y) Excuſae ſunt hae Lutetiae Pariſ. 1685. 12. & deinde auctiores Coloniae Agripp. 1691. eadem forma. In MORHOFII *Polyhiſtore* c. l. §. 96. ſequens legitur iudicium: Non fuit temere, qui audaciora & liberiora de libris & viris, publicis, priuatis, doctis, indoctis, iudicia conſignaret. Non putarim, illum editioni viuum deſtinaſſe has epiſtolas, uam poſt mortem eius editae ſunt. Perpetua hic in chymicos & pharmacopolas cauilla. De negotiis ſtatus & religionis, de rebus ſacris ſumma parrheſia iudicatur. Ne quid de facetiis dicam, quibus condiuntur epiſtolae. Infinita in illis obſeruari poſſunt, quorum maximus in hiſtoria litteraria non ſolum, ſed & medica & ciuili vſus eſt.

z) Tomes II. a Roterdam. 1695. 8. vid. *Bibliothec. Burckhardian.* part. I. pag. 172.

a) Tomes II. a Amſterdam 1718. 8. vide noua litteraria anni 1718. p. 267. & p. 366.

b) Qua ratione HENR. MEIBOMIVS in *Additam. ad* VAL. HENR. VOGLERI *Introduct. vniuerſal. in notitiam cuiuscunque generis bonorum ſcriptorum*, pag. 150. ſeq. ipſum, hac quidem in cauſſa, excuſare fuerit conatus, ſequentia oſtendunt verba: Cenſura forte libera & dictio mordax minus placet illis, quibus praeſtantiſſimi viri ingenium & mores incogniti. Eadem illa libertate, qua in ſermone vtebatur, ad amicos quoque ſcribebat, ſalibusque & iocis, non quaeſitis & affectatis, vt illos, ita epiſtolas condiebat. Quodſi inueniuntur quaedam iudicia praecipitata, alia certe tanto maiorem laudem merentur. Vt igitur latinarum quoque epiſtolarum editio maturetur [quam non paucis ad me ſcriptis augere potero]

e re

e re publica fuerit. Erat enim histori:e litterariae, praesertim in Galliarum regno, peritisſimus. Latinarum tamen PATINI epistolarum nullae hactenus in lucem sunt proditae publicam.

*) In *Additam. ad* VOGLERI *introduct.* p. 153. seq. SAM. SORBERIVS, variae eruditionis vir, nostro hoc saeculo institutis per Belgium & Angliam peregrinationibus, sub forma deinde epistolarum, quae ad statum litterarium & eruditos viros pertinentia obseruauit, adcurate annotare & publicare non neglexit. Et altera quidem eius epistola, de l'etat des sciences en Hollande, *à Monſ.* DE BAVTRV 1660. scripta, vti multa egregia de medicis & mathematicis philologisque belgicis habet; ita ab omnibus bene excepta est: Altera vero de Anglis, non minus curiosa, ob liberius de cultisſima & ob scientiarum promotionem nobilisſima gente iudicium, approbationem omnium non tulit. Vtraque gallica lingua a SORBIERIO scripta, prior relationibus, litteris & discursibus eius num. V. inserta est; posterior seorsim edita rarius haberi potest.

c) THOMAE BARTHOLINI *Epistolarum medicinalium, a doctis, vel ad doctos scriptarum, Centuria I. & II.* Hafniae 1663. 8. *Centuria III & IV.* Hafniae 1667. 8.

d) Vid. MORHOFII *Polyhistor.* tom. I. lib. I. cap. XXIV. §. 16. THOMAS BARTHOLINVS epistolarum centurias aliquot edidit, tum quas alii ad ipsum scripserunt, in quibus agitur de argumentis medicis, physicis & philologicis. Bene meritus est vir ille de omni doctrinae genere, nec in ipsa senectute sua desiit bene mereri, nec epistolas suas bono publico inuidit.

§. VI.

Minime vero Germanorum quoque medici, quos saeculum XVII. tulit, otiosos sese hoc in argumento gesserunt. Epistolae, quae in iunctim editis operibus GREG. e) HORSTII, senioris, DAN. f) SENNERTI, GVIL. g) FABRICII, *Hildani*, & BALTH. TIMAEI h) *von Güldenklee*, occurrunt medicinales, quarum capite superiori iam mentio facta fuit, maximam partem sunt practicae. Et *postremi* i) quidem quantum praesertim attinet *Epistolas & consilia*, partim germanice, partim latine conscriptas, diuisae sunt illae in sex omnino libros, atque ratione dispositae ista: vt libro I. de praecipuis supremi ventris affectibus; II. de morbis medii ventris fere omnibus; III. de plerisque infimi ventris affectibus; IV. de febri-

febribus; V. de arthritide partium externarum, & venenatis quibusdam morbis; & libro denique VI. de quibusdam ſcriptis & operationibus medicis, rebusque varii argumenti agatur. ANDR. LIBAVII *Rerum chymicarum epiſtolica forma ad medicos in germania excellentes conſcriptarum* k) *libri tres* omnis modi ad chemiam pertinentes res proponunt. In IO. VESLINGII *Epiſtolis medicis poſthumis*, à THOM. BARTHOLINO in lucem expoſitis publicam, & *Diſſertationi* eius *de inſolitis partus humani viis*, Hafniae anno 1664. 8. editae adiectis, variae ad anatomiam & materiam medicam ſpectantes l) obſeruationes inueniri poſſunt. In AVG. THONERI *Conſultationum & epiſtolarum medicinalium libris II.* quae *Obſeruationibus* eius *medicinalibus*, Vlmae 1651. 4. euulgatis adnexae ſunt, quaeque cum *Appendice epiſtolarum medicinalium* Tubingae 1653. 4. prodierunt, tam medicinales quam philoſophicae materiae occurrunt.

e) GREG. HORSTII *Epiſtolarum & Conſultationum medicarum libri* II. initio obſeruationibus eius medicinalibus, Vlmae 1628. 4. impresſis additi fuerunt, poſtea vniuerſis operibus Horſtianis, & quidem tomo eorundem II. ſunt inſerti. Videatur ſupra capit. V. §. 25.

f) DAN. SENNERTI *Epiſtolarum medicinalium, vna cum reſponſoriis* MICH. DÖRINGII, *Centuriae* II. inueniuntur in operum Sennertianorum, Lugduni 1676. fol. impreſſorum tomo VI. vid. capit. V. §. 25.

g) GVIL. FABRICII *Epiſtolarum ad amicos, eorumque ad ipſum, centuria, in qua paſſim medica, chirurgica, aliaque lectione digna continentur*, primum vna cum centuria quarta obſeruationum & curationum chirurgicarum, Oppenhemii 1619. 4. in conſpectum litterati orbis prodiit; inſequuto autem tempore operibus *Hildani* fuit ſociata. Vid. capit. V. §. 26.

h) Vid. Cap. V. §. 26.

i) BALTH. TIMAEI *a Güldenklee Epiſtolae & conſilia* ſeorſim etiam Lipſ. 1665. 4. ſunt impreſſa.

k) Harum liber primus atque ſecundus Francofurti 1595. tertius vero 1599. 8. prela reliquerunt.

l) Vide BARTHOLINI praefationem, vbi haec leges: Si fata magnum virum orbi ſeruaſſent, de pullitie Aegyptiorum perfectum opus habuiſſemus: at inter ſuſcepti argumenti initia, immatura mor-

morte praereptus, imperfecta caetera reliquit, schedasque tumultuaria quidem manu exaratas, sed curiosis hinc inde obseruationibus medicis refertas, quas inter alias occupationes, ne quid periret, ex lituris suis extraxi, & ex miscellaneis quisquiliis selectas exhibui.

§. VII.

Quemadmodum memorati hactenus medici Germani primarium scopum praefixum sibi habuere rem medicam; ita contra alii in epistolis suis extra oleas vagati, medicinam ceu πάρεργον tantum tractarunt. THOMAE *) REINESII *Epistolae ad* CASP. HOFMANNVM & CHRIST. ADAM. RVPERTVM, Lipsiae 1660. 4. exscriptae, multisque vitiis typographicis deformatae, exemplum huius rei suppeditant luculentumque m) eius documentum; in *Epistolarum* tamen huius ipsius REINESII *Farragine ad* NESTEROS, Lipsiae 1670. 4. edita, plura sibi profutura inueniet medicus. HERM. CONRINGII *Epistolae*, Helmstadii anno 1666. 4. prelo expeditae, teste MORHOFIO n), constant ex praefationibus, quas Polyhistor iste, partim alienis, partim propriis scriptis olim praemiserat, quas deinceps, titulo illo insignitas, vna collectione simul iunctas, edendas curauit. Perinde & HERM. CONRINGII *Epistolarum syntagmata duo ad* FERDIN. FÜRSTENBERGIVM & STEPH. BALVZIVM, *Vna cum responsis*, quae cum praefatione de vita & scriptis CONRINGII, Helmstadii 1694. 4. in lucem protulit CASP. COERBERVS, pauca ad artem medicam spectantia in sese continent. Ea contra, *Conringiana epistolica, siue, animaduersiones variae eruditionis ex* HERM. CONRINGII *epistolis miscellaneis nondum editis libatae, cura* CHRISTOPH. HENR. RITMEIERI, Lips. & Wolfferbyti 1719. 8. magis medici commodis o) inseruiunt. IO. BEVEROVICII *Epistolicae quaestiones, cum doctorum responsis*, Roterodami 1644. & 1665. 8. impressae, deinde vniuersis etiam eius operibus Francofurti 1674. fol. editis insertae,

eno-

enodandis quibusdam quaeſtionibus p) medicis, philologicis ac theologicis occupantur. IAC. *) TOLLII *Epiſtolae itinerariae, ex autoris ſchedis poſtumis recenſitae, ſuppletae, digeſtae, annotationibus, obſeruationibus & figuris adornatae, cura & ſtudio* HENR. CHRIST. HENNINII Amſtelod. 1700. 4. euulgatae, omnis generis ad rem bibliothecariam, antiquariam, ad phyſicam etiam & mineralogiam pertinentibus q) obſeruationibus ſunt inſtructae.

*) De magno iſthoc critico & antiquario conſuli poſſunt GOTTERI *Elogia clarorum Altenburgenſium*. p. 31. ſeqq. Quanti illum fecerit PAVLLVS COLOMESIVS, dum eum in Recueil de particularitez, medecin le plus ſauant de l' Allemagne, appellauit, apparet ex operibus eius Hamburgi a. 1709. 4. editis, p. 330. Similiter & GVIDO PATINVS in lettres choiſies vol. I. epiſt. 139. & vol. II. epiſt. 220. magna cum laude de eodem locutus eſt. HENR. quoque MEIBOMIVS *in additam. ad Vogleri introduct.* p. 149. ſeq. vniuerſas REINESII epiſtolas magnum in modum commendatas eſſe voluit ſtudioſis.

m) Haec enim in ipſius tituli ſuperficie leguntur: *In quibus multae inſcriptiones veteres hactenus ineditae vulgantur, emendantur, explicantur: varia etiam in ſcriptoribus antiquis corrupta loca notantur & reſtituuntur.* In MORHOFII *Polyhiſt.* tom. I. lib. I. cap. XXIII. §. 65. ſequentia de illo annotantur: THOMAS REINESIVS, medicus & conſul Altenburgenſis, tam in ſua arte, quam in omni litteratura fuit doctiſſimus, & ſcriptis editis omnibus ſatis notus. Eius extant variae epiſtolae, vna cum reſponſoriis, inter HOFMANNVM, CHRISTOPH. ADAM. RVPERTVM, CHRISTIANVM DAVMIVM, viros doctiſſimos. Magnum *Reineſianarum* epiſtolarum ad ſe ſcriptarum volumen in Bibliotheca ſua ſeruat illuſtris GVDIVS. Plures extiterunt ineditae in Bibliotheca *Boſiana*, quas ille ad viros doctos per Galliam, Italiam & Germaniam ſcripſerat. Eius epiſtolae ad HOFMANNVM & RVPERTVM editae ſunt Lipſiae 1660. 4. & in illis ad HOFMANNVM multa habentur de re medica & phyſica philologemata: in iis, quae ad RVPERTVM, multa quae pertinent ad interiorem hiſtoriam romanam, ad familiarum romanarum genealogiam, & ſimilia: in iis denique, quae ad CHRISTIANVM DAVMIVM, multa ſunt, quae ad latinitatem medii aeui pertinent, & ad autores vulgo incognitos.

n) *Polyhiſt.* tom. I. lib. I. cap. XXIV. §. 32. HERMANNI CONRINGII epiſtolae prodierunt Helmſtadii iunctim editae, quae prius

prius sparsim editae fuerunt, & librorum frontispiciis praefixae. Eius enim viri celebritate commoti multi, qui monumenta ingenii publicarunt, ipsius operam sollicitauerunt in praefationibus operibus suis praemittendis. Eas in vnum corpus redegit, quo continentur multa theologica, historica, physica, politica, philologica, prout argumenta librorum se ipsi obtulerunt. Adiecit quoque librorum suorum praefationes.

o) Vide noua litteraria anni 1719. pag. 583. vbi scribit: Man findet in dieser Sammlung Sachen aus allen Facultaeten, doch müssen sie mit gutem Vrtheil gelesen werden, wozu Herr *Ritmeier* den Wahlspruch ienes Theologi recommendiret · In necessariis vnitas; in non necessariis libertas; in omnibus charitas & veritas. Quam honorifice IOH. CHRISTOPH. WOLFFIVS de prima *Conringianorum* editione pronunciauerit, id ex praefatione *Casaubonianis* praemissa, pag. 37. apparet: Quod ad ipsa illa *Conringiana* attinet, varii generis obseruationes, vt CONRINGIVS erat πολυμαθέστατος, in iis leguntur, pleraeque tamen ad viros eruditos & librorum pretium agnoscendum pertinent. Iudiciis eius tanto plus tribuendum erit, quod deliberato animo in chartas coniecta sint.

p) Harum elenchus exstat in LINDEN. *renou.* p. 542. seq.

*) De ipso ipsiusque scriptis vide BVRMANNI *Traiectum eruditum* p. 368 seqq. Quoniam in vniuersa veterum mythologia mera mysteria chemica deprehendere sibi videbatur; ideo MORHOFIVS, qui eidem sententiae adstipulabatur, illum vocauit virum elegantis ingenii omniumque litterarum; in *Polyhistor.* tom. I. lib. I. cap. XI. §. 17.

q) Vid. STRVVII *Introduct. in notitiam rei litterariae* cap. II. §. 3. Laudanda est industria IAC. TOLLII, qui cum, indultu FRIDERICI GVILIELMI electoris, ex academia Duisburgensi itinera instituerет in Austriam, Vngariam atque Italiam, epistolas postea itinerarias scripsit, in quibus quid curiosi in rebus metallicis, antiquitatibus & bibliothecis reperit, exponit, ex quibus si non omnia, multa tamen hauriuntur singularia. Has post mortem TOLLII fidei suae commissas edidit HENR. CHRISTIAN. HENNINIVS Amstelod. 1700. 4. & notas haud inelegantes addidit.

§. VIII.

Recentioribus temporibus, medici in conscribendis epistolis maximam partem intra suos se cancellos continuerunt. IOAN. IAC. WALDSCHMIDII, & IOAN. DOLAEI *Commercium epistolare de diuersis argumentis rem medicam spectantibus*, Lugduni Batau. 1688. 12. impressum, insecuto tempore modo dicti r)

WALDSCHMIDII operibus, longe auctius vero s) operibus IO. t) DOLAEI, titulum prae ſe ferens: IO. DOLAEI *Commercium litterarium cum variis, de rebus philoſophicis & medicis*, adiectum fuit. PAEONIS & PYTHAGORAE [i. e. IO. IAC. HARDERI, & IO. CONR. PEYERI] *Exercitationes anatomicae & medicae familiares 100.* Baſileae 1682. 8. aeque ac FREDERICI RVYSCHII u) *Reſponſiones ad* IO. GAVBII & *aliorum epiſtolas anatomicas problematicas*, ſolam ferme anatomicam artem ceu metam ſibi praefixam habent: cui ſcopo etiam IO. BAPT. MORGAGNI, in allegatis w) iam *epiſtolis anatomicis* intendit. CHRIST. FRID. GARMANNI *et aliorum Centuria epiſtolarum argumenti miſcellanei, potisſimum phyſico-medici, ſelectioris & curioſi, e muſeo* IMM. HENR. GARMANNI, Roſtoch. & Lipſ. 1714. 8. amplioris, vt vel inſcriptio docet, ſunt ambitus. *Epiſtolae ſelectiores virorum clarisſimorum ad* G. C. SCHELHAMMERVM, quas CHRISTIANVS STEPHANVS SCHEFFELIVS, vna cum lectu digna enarratione vitae atque ſcriptorum Schelhammeri, in lucem x) expoſuit publicam, ſine dubio maioris longe vſus eſſent futurae, ſi reſponſoriae *Schelhammerianae* vna y) adiectae fuiſſent. *De epiſtolis itinerariis* FRANC. ERN. BRVCKMANNI, tanto applauſu exceptis, quae inde ab anno 1728. vsque ad praeſentem annum, Guelpherbyti, ſingulae in 4. prodierunt z), hoc tantum eſt, quod moneam, eas ad illuſtrandam hiſtoriam naturalem, & materiam medicam in genere; in ſpecie autem ad mineralogiam eſſe deſtinatas.

r) Vid. Cap. V. §. 28.

s) IOHANNES enim DOLAEVS, praeter *Waldſchmidianas* illas, aliorum quoque celebrium medicorum epiſtolas ad ſeſe datas, quarum integra pene centuria eſt, vna inferendas curauit.

t) Vid. Capit. V. §. 33.

u) Sedecim numerantur hic reſponſiones in vniuerſum, facto initio anno 1696. ſequentibus annis ſequutae ſunt reliquae, omnes Amſtelodami in 4. impreſſae, & elegantibus ectypis exornatae.

w) Vid.

w) Vid. huius capitis VI. sect. I. §. 7.

x) *Virorum clarissimorum ad* GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM *Epistolae selectiores, rem litterariam, philosophiam naturalem ac medicinam potissimum spectantes. Recensuit simulque vitam* SCHELHAMMERI *cum indice scriptorum eius, tam editorum, quam praelo destinatorum & promissorum, praemisit* CHRIST. STEPH. SCHEFFELIVS. Wismariae 1727. 8.

y) Haec eiusmodi res est, quae raro obseruatur, etsi IACOBVS THOMASIVS in praefatione ad epistolas BOXHORNII, & MORHOFIVS in *Polyhist.* tom. I. lib. I. cap. XXIII. § 5 sequentem admonitionem dederint: Illud tamen ego velim, in epistolarum scriptoribus semper responsorias adiungi; ita rectius de omnibus iudicaremus. Velim & tempora epistolarum sollicite adnotari. Illud denique magnopere reprehendendum est in plerisque epistolarum scriptoribus, nullum illis adiici indicem, qui de potissimis litterarum contentis docere posit. Vltimo autem desiderato in ista collectione satisfactum fuit.

z) In *Bibliotheca Burckhardiana* part. I. pag. 157. lego sequentia: FRANC. ERN. BRVCKMANNI *Centuria epistolarum itinerariarum, cum supplemento & indice. Acc. Epistola* I. G. BÜCHNERI *de memorabilibus Voigtlandiae subterraneis.* Wolffenbütt. 1728 -- 1741. 4. cum fig. Mihi autem earum haud plures quam LXXXIV. videre & legere hactenus licuit.

CAP. VI. SECT. III.

DE SCRIPTORIBVS PROBLEMATVM ET QVAESTIONVM MEDICINALIVM.

CONTENTA:

De Scriptoribus problematum & quaestionum medicinalium antiquioribus §. 1. 2. *De scriptoribus eiusdem argumenti saeculi XVI.* §. 3 -- 5. *& saeculi XVII.* §. 6 -- 8.

§. I.

Quum constitutum mihi sit, in isthac, quam nunc adgredior, sectione, illos tantum recensere autores, qui medicinales quaestiones, dialogos & proble-

blemata, ad formam & normam libri, vel ſaltim tractatus alicuius, concinnauerunt; ſecure adeo ſcripta huius generis ad phyſicam pertinentia, qualia ſunt *Problemata* ARISTOTELIS, ALEX. APHRODISEI, GELLI, AVERRHOIS, MARC. ANT. ZIMARAE, IVL. CAES. SCALIGERI, multorumque praeterea aliorum, hoc loco praeterire ſilentio potero; quippe ad philoſophicam potius, quam ad medicam ſpectantia bibliothecam. De COELII vero AVRELIANI *Problematibus & libris interrogationum & reſponſionum*, ceu dudum deperditis, etiam non erit, cur ſim ſollicitus. Ex vniuerſa igitur antiquitate, vnicas tantum CASSII a) *Medicas quaeſtiones & problemata* hic adducere potero: qui paruae molis libellus, Lutetiae Pariſiorum 1541. 8. graece primum editus, ab ADRIANO IVNIO latine b) verſus, optime autem a CONR. GESNERO graece & latine ſimul Tiguri 1562. 8. diuulgatus c), eiusmodi eſt, vt ex lectione illius facile appareat, autorem eius d), quod & DAN. e) CLERICVS demonſtrauit, methodicis, qui vocabantur, medicis adſtipulatum fuiſſe.

a) CASSIVM hunc *Iatroſophiſtam* cum CASSIO illo a CELSO memorato vnum eundemque eſſe, id probabile reddere conatus eſt CLERICVS in *Hiſtoria medicinae* pag. 424.

b) Latina hac verſio Lutetiae Pariſior. 1541. 4. eſt impreſſa, & ab HENRICO etiam STEPHANO *Principibus artis medicae* ſociata fuit.

c) Titulus eſt iſtiusmodi: CASSII *Iatroſophiſtae naturales & medicinales quaeſtiones LXXXIV. circa hominis naturam & morbos aliquot,* CONR. GESNERO *interprete, nunc primum in lucem editae. Eaedem graece, longe, quam antehac caſtigatiores, cum ſcholiis quibusdam.* Tiguri 1562. 8.

d) Quam honorifice de illo ADRIANVS IVNIVS in praefatione verſioni ſuae praemiſſa pronunciauerit, ſequentia eius teſtari poterunt verba: Quis autem hic ſcriptor fuerit, quoue temporum tractu vixerit, nihil equidem compertum habeo. Certe, quisquis tandem ſit, vt non infimae in re medica claſſis, ita lectione non perfunctoria, ſed ſaepius iterata digniſſimus eſt: adderem &, aequali cum veterum multis nominis autoritate, ni aliorum cenſurae prae-

praeiudicium dictare primus formidarem. Nihil enim hic fere legas, quod non medicam artem e professo sapiat.

e) *Histoire de la medecine* pag. 424.

§. II.

E numero ita dictorum latino-barbarorum, GENTILIS FVLGINAS, IAC. FOROLIVIENSIS, & HVGO BENTIVS, ob editas ab istis quaestiones medicas, locum hic inuenire possunt. Horum *primi* f) *Quaestiones*, initio Papiae & Venetiis 1492. fol. impressis diffusis eius *Expositionibus* AVICENNAE fuerunt vna adnexae, postea vero, titulum prae se ferentes hunc: GENTILIS *Fulginatis Quaestiones & tractatus extrauagantes nouiter collecti, & cum magna diligentia emendati*, Venet. 1520. fol. separatim prodierunt. IACOB. FOROLIVIENSIS g) non suis tantum in *Aphorismos* HIPPOCRATIS h) *Commentariis*, *quaestiones* LIX. adsociauit, sed *Commentarios* etiam *in tres libros* i) *artis paruae* GALENI *a se elucubratos*, *cum quaestionibus in eosdem* XCI. nec non *Expositionem super primo* k) *Canonis* AVICENNAE, cum *Quaestionibus* LX. nobis reliquit, ineleganti l) quidem latinitate conscriptis, propter res tamen ibi contentas lectu vtilibus. HVGONIS BENTII *Expositio luculentissima in quarti canonis* AVICENNAE *fen primam, cum eiusdem subtilissimis quaestionibus in calce voluminis appositis*, Venetiis anno 1523. fol. impressa est, de cuius autore iam capitis praecedentis §. 6. dicenda dixi.

f) GESNER. *Bibliothec. vniversal.* p. 267. GENT. FVLGINAS medicinae professor insignis, scripsit in medicinis multa egregia volumina. In CASTELLANI *Vitis medicorum illustrium* pag. 150. haec habentur: GENT. FVLGINAS, magni nominis medicus & Auicennae enarrator accuratissimus. CONRINGIVM melioribus practicis suae aetatis illum adnumerasse, discimus ex *Introduct. eius in art. medic.* cap. VII. *§.* 6.

g) GESNERI *Bibliothec. vniuersal.* p. 356. IAC. FOROLIVIENSIS, philosophus & medicus celeberrimae opinionis, scripsit in sua facultate perutilia opuscula. CASTELLANVS autem in *Vitis illustr. medicorum* p. 157. non adeo benigne de eodem iudicauit, scribens

l. c. IAC. FOROLIVIENSIS, nimiae ſubtilitatis medicus, artem ſophiſticis tricis impleuit.

h) Venet. 1490. fol. & anno 1547. fol.

i) Papiae 1514. fol.

k) Papiae 1512. fol.

l) Vid. GESNER. l. c. vbi ſcribit: Stilus eſt barbarus, vt eius ſaeculi, ſed rerum cognitione foecundus.

§. III.

E ſaeculo decimo ſexto plures longe hic in cenſum veniunt. Et ex illis quidem, qui dialogos medicinales elaborauere, ALOYSIO MVNDELLAE, IVLIO ALEXANDRINO, GEORG. PICTORIO, & ANT. MVSAE BRASAVOLO, prae reliquis m) locum aliquem me adſignare, fas eſt. ALOYS. n) MVNDELLAE *Dialogi medicinales decem, in quibus multa & varia tum artis theoremata, tum hiſtoriae, & experimenta doctisſime explicantur*, Tiguri 1551. 4. o) ſunt impresſi: quo eodem loco IVLII quoque ALEXANDRINI, *De medicina & medico, dialogus libris V. diſtinctus* 1557. 4. in lucem prodiit publicam; GEORGII porro PICTORII *Rei medicae totius compendioſa traditio, ſeu, dialogi medicinales VI.* Baſileae 1558. 8. lucem litterariam adſpexerunt: in eo tamen ſinguli inter ſeſe conueniunt, quod ceu ſcriptores rei medicae generales ſint aeſtimandi. ANTONIVS contra MVSA q) BRASAVOLVS, in *Examine omnium ſimplicium* r) *medicamentorum; examine omnium* s) *ſyruporum; examine omnium* t) *catapotiorum*, ſeu, *pilularum* &c. quae cuncta methodo dialogiſtica ſunt ſcripta, pharmaciam pro ſcopo habuit: quem eundem finem etiam modo nominatus GEORG. u) PICTORIVS, in *Dialogis VII. de tuenda ſanitate* w) *per ſex rerum non naturalium ordinem*, ratione diaeteticae, ſibi propoſuit, cuius liber Baſil. 1554. 8. prodiit.

m) Non nulli enim, qui inſtitutiones, vel compendia medicinae, ad modum colloquiorum, elucubrauere, capite quarto recenſiti ſunt; alii vero in aliis capitibus, vbi res poſtulare hoc viſa eſt, iam ſunt indicati.

n) Vid.

n) Vid. Cap. V. §. 16. & cap. VI. sect. II. §. 2.

o) In *Bibliotheca Riuiniana* pag. 204. editio Tigurina anni 1557. 4. allegatur, a SCHENCKIO atque LINDENIO praeterita.

p) Vid. CRATONIS *Consil. & epist. medic.* lib. I. p. 193.

q) Vid. Cap. V. §. 16. IOANNES LANGIVS in epistolis medicinal. lib. I. epist. LXIV. BRASAVOLVM & MANARDVM, eruditam NICOL. LEONICENI progeniem appellauit; quorum vtrique CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. II. §. 19. IOAN. BAPT. MONTANVM iure meritoque socium dedit. In GESNERI *Bibliotheca vniuersal.* pag. 62. haec leguntur: Stilus huius autoris vbique dilucidus ac simplex est, citra vllam ornatus affectationem. Plura de hoc viro, vt & de tota familia *Brasauoliana*, in BARVFFALDI commentario istorico-erudito, Ferrar. 1704. 4. edito legi poterunt.

r) Romae 1536. fol.

s) Venet. 1545. 8.

t) Basileae 1543. 4.

u) Vide ADAMI *Vitas medicorum germanorum*, pag. 184. sequ.

w) *Accedunt lectionum succisiuarum IX. dialogi; conuiuiorum libri III.*

§. IV.

Illorum, qui saeculo sexto & decimo quaestiones medicinales ac problemata ediderunt, non paruus est numerus. AMBR. LEO, qui suis in AVERRHOEN *Castigationibus*, Venetiis 1517. fol. euulgatis, famam x) acquisiuit & inclaruit, *Opus* etiam *quaestionum tum aliis plerisque in rebus cognoscendis, tum maxime in philosophia & medicina*, Venetiis 1523. 4. excudendum curauit. DOMINICI BVCII *Quaesita medicinalia, iuxta* GALENI *&* HIPPOCRATIS *sententiam examinata*, ad solam therapian spectantia, initio Venetiis 1551. 8. sunt excusa; postea Lugduni 1555. 16. & quidem MARC. ANT. SEVERINI y) *Quaestionibus medicinalibus aduersus non nullos antiquos & nostrae aetatis medicos*, aucta, vt & ibidem 1577. 12. vna cum adiectis *Quaestionibus medicinalibus* MARC. ANT MONTISIANI, recusa. ALOYSII z) TRISSINI *Problematum medicinalium libri sex ex* GALENI *sententia* Basileae 1547. 8. in lucem prodiere; residuorum a) autem librorum nullus vlterius in conspectum orbis

 lite-

literati venit. IVLII DELPHINI *Quaeſtiones medicinales*, Venetiis impreſſae 1559. 8. diuerſas medicae artis partes reſpiciunt. BERNH. BALDINI *Problemata*, *excerpta ex commentariis* GALENI *in* HIPPOCRATEM, Venetiis 1567. 8. prela reliquerunt. IVN. PAVL. CRASSI *Quaeſtiones medicae & naturales*, editae ab illo b) collectioni nonnullorum medicorum antiquorum graecorum Baſileae 1581. 4. adnexae ſunt. SALVI SCLANI *Quaeſtiones medicae & philoſophicae, commentariis eius in tres libros artis medicinalis* GALENI, Venet. 1597. 4. ſunt additae. Celebris c) illius ANDREAE CAESALPINI *Quaeſtionum medicarum libri duo* d) autem, qui *Quaeſtionibus* eius *peripateticis* Venetiis 1593. 4. ſubnexi fuere, rarioribus e) libris ſunt adnumerandi.

x) GESNER. *Bibliothec. vniuerſal.* pag. 32. AMBROS. LEO edidit *Caſtigationes in Auerrhoen, qui liber magnus eſt*, ac totius philoſophiae theſaurus. Sunt enim quaſi commentarii quidam ordine in ſingulos Ariſtotelis libros.

y) Sunt vero MARC. ANT. SEVERINI quaeſtiones medicinales ſeparatim etiam impreſſae, Venet. 1545. 4.

z) Vid. IMPERIALIS *Muſeum hiſtoricum* p. 87. ſeqq.

a) SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 31. ALOYS. TRISSINVS plura alia ex GALENO collegit problemata, quae typographus, ſe publicaturum, pollicitus eſt; verum nusquam hactenus comparuerunt.

b) Vide capit. VII. ſect. I. §. 13.

c) Quanti CONRINGIVS illum fecerit, ex *Introductionis eius in art. medic.* diuerſis locis, inprimis e capit. VII. §. 10. facile poteſt intelligi, vbi ſcribit: Fuit autem CAESALPINVS vir acutisſimi ingenii, exquiſiti iudicii, experientia praeterea inſigni praeditus, & philoſophiae peripateticae inſuper addictus, veritatis denique amantisſimus. Nec minus SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conringii introduct.* cap. III. §. 34. benigne iudicauit, quod ſcripta CAESALPINI omnia ſint elegantisſima: quanquam credendum videtur, eum hoc tantum de operibus medicis intellectum voluiſſe. IACOBVS DOVGLASSIVS pari ratione in *Bibliographia anatomica* p. 164. ſeqq. multa cum laude de ipſo locutus candideque ſimul profeſſus eſt, eum circuitum ſanguinis diu ante HARVEVM agnouiſſe.

d) In

d) In priore libro, XIII. quaestionibus absoluto, maximam partem theoreticae; in posteriore autem, qui XXIV. in se continet quaestiones, practicae proponuntur materiae.
e) Vid. Kurze Nachricht von den Büchern vnd deren Vrhebern in der Stollischen Bibliothec, part. IV. pag. 375. seqq.

§. V.

Italos medicos sequuti sunt hac etiam in re aliarum nationum medici haud omnino nulli. LEONH. FVCHSII *Libri tres, difficilium aliquot quaestionum, & hodie passim controuersarum, explicationes continentes*, Basileae 1540. 4. editi, non sine vtilitate f), vt pleraque opera FVCHSII, legi poterunt. MART. HENRICI *Pulcherrimarum quaestionum medicarum tomus primus*, Papiae 1567. 4. non fuit continuatus. MARTINI WEINRICHII *Problemata physica & medica ex scriptis* IO. BAPTISTAE MONTANI g) *collecta*, Wittenberg. 1590. 8. multam merentur existimationem; rariora vero sunt inuentu. AVGVSTINI h) VASQVEZ *Quaestiones medicae practicae & chirurgicae*, Salmanticae 1589. 4. publicatae & excusae, eodem quoque anno, nec non eadem forma, Francofurti recusae, ipso titulo profitentur argumentum libri. Amplioribus contra finibus circumscribitur ANDREAE KRAGII *Laurea Apollinea Monspeliensis, contexta & conserta quaestionibus difficillimis XIII. problematibus paradoxis variis LXVI. Consultatione & curatione morborum II. Orationibus IX. Praelectionibus II.* Basileae 1587. 4. quoniam in hoc opere diuersae, tam ad theoriam, quam ad praxin pertinentes, materiae sunt pertractatae.

f) Vide capit. V. §. 17.
g) Vide capit. V. §. 13.
h) Vide ANTONII *Bibliothec. Hispan. nou.* T. I. p. 139.

§. VI.

Saeculum quoque decimum septimum inopia talium scriptorum minime laborauit. Ex Hispanis

quidem merito ſuo referendus huc CASP. A REIES, qui in *Elyſio* ſuo *iucundarum quaeſtionum* i) *campo, omnium litterarum amoeniſſima varietate referto*, centum, easque potiorem ſui partem medicas quaeſtiones, magno eruditionis apparatu, diiudicare eſt conatus: titulus tamen huius operis, quod iure MORHOFIVS k) ſcriptoribus locorum communium *) adnumerauit, paullo l) iactabundior eſt. E Gallis ſuccurrunt NICOLAVS HABIGOTVS, GABRIEL NAVDAEVS, & FRANCISCVS BAYLIVS. Horum *primi* librum gallice ſcriptum, *Problesmes medecinales & chirurgiques*, a Paris 1617. 8. vlterius equidem non noui, quam, quod illum allegatum inueni in *Bibliothecae Meibomianae* parte III. pag. 299. nec hoc tamen ignoro, CONRINGIVM m), occaſione alius cuiusdam ab iſto autore editi libri, bene de hoc HABIGOTO iudicaſſe. GABR. NAVDAEI *Pentas quaeſtionum iatro - philologicarum*, quae primum ſingulae n) diuerſis in locis exſcriptae, lucem ſalutauerant litterariam, poſtea, titulum modo dictum prae ſe ferentes, in integram pentadem o) collectae, ſimul Geneuae 1647. 8. ſunt excuſae. De FRANCISCO contra BAYLIO, cuius iam alibi p) mentionem feci, hoc vnicum notabo, *Problemata* eius *phyſica & medica, in quibus varia veterum & recentiorum errata deteguntur*, Hagae comitum 1678. 12. ſeparatim prelo prodiiſſe.

i) Bruxellis 1661. fol. & Francofurti 1670. 4. Recenſio huius aliquanto rarioris libri habetur in *Den ſummariſchen Nachrichten von auserleſenen, mehrentheils alten, in der Thomaſiſchen Bibliothec vorhandenen Büchern* Part XIII. p. 79. ſeqq. & XVII. p. 423. ſeqq.

k) *Polyhiſt.* tom. I. lib. I. cap. XXI. §. 48. vbi ſequentia: Mire ingenioſi ſunt autores in titulis locorum communium excogitandis per omnia ſcientiarum genera: quemadmodum poſtillarum ſcriptores, quorum facile quis integrum lexicon confecerit. Ita CASPAR A REIES librum inſcripſit *Campum elyſium iucundarum quaeſtionum*, quum collectanea tantum varia contineat.

*) Ipſe tamen CASPAR A REIES, IO. NIC. PECHLINO obſeruat. medicar. libro III. obſ. 26. eruditus ac diligens pulcherrimarum rerum compilator, audit.

l) In huius namque frontiſpicio ſequentia leguntur verba: *Liber medicis inprimis maxime delectabilis, theologis deinde, iurisperitis, & omnium denique bonarum diſciplinarum ſtudioſis, philoſophis, philiatris, philologis, philomuſis ſumme vtilis, ac ab omnibus expetitus.*

m) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 33.

n) Vid. *Hiſtoriam medicinae litterariam* STOLLII p. 226. vbi annotatum inuenies, quaeſtionem I. Romae 1622. II. Caeſenae 1634. III. Patauii 1634. IV. Patauii 1635. & V. Lugduni batauorum 1639. in lucem prodiiſſe.

o) Argumenta earum ſunt ſequentia: *Qu.* I. *An magnum homini a venenis periculum?* II. *An vita hominum hodie, quam olim, breuior?* III. *An matutina ſtudia veſpertinis ſalubriora?* IV. *An liceat medico fallere aegrotum?* V. *De fato & fatali vitae termino.*

p) Vide capit. V. §. 22.

§. VII.

Inter Italos ſaeculi decimi ſeptimi medicos, locum hic occupent ANDREAS CHIOCCVS & PAVLLVS ZACCHIAS. Prioris *Quaeſtionum philoſophicarum & medicarum libri tres* Veronae 1593. 4. & deinceps Venetiis 1604. 4. impreſſi ſunt. PAVLLI ZACCHIAE *Quaeſtiones medico-legales*, quae ſaeculo ſuperiori pro praecipuo libro in medicina forenſi habebantur, ſingulae q) initio Romae luci fuerunt expoſitae; deinde auctiores Amſtelodami & Lugduni in gallia publicatae; tum a IOH. DANIELE HORSTIO, largioribus r) additamentis adauctae Francofurti 1666. fol. prelo denuo ſubſtratae; optime denique ac pleniſſime s) a GEORGIO FRANCO Francofurti 1688. fol. editae: quanquam GVNTH. CHRISTOPH. t) SCHELHAMMERVS in repetitis toties editionibus multa adhuc inuenit emendanda.

q) Vid. MANDOSII *Bibliothec. roman.* volum. I. pag. 102. ſequ. vel, ſis, LINDEN. *renou.* p. 873.

r) PAVLLI ZACCHIAE *Quaeſtionum medico-legalium tomi III. a variis mendis purgati, paſſimque interpolati, & nouis recentiorum autorum inuentis ac obſeruationibus aucti a* IOANNE DANIELE HORSTIO, *cum indicibus locupletiſſimis.* Francofurti 1666. fol.

s) Vid. *Bibliothecam Riuinianam*, pag. 469.

t) In *Additamentis ad Conring. introduct. in art. medic.* cap. III. §. 37. PAVLI ZACCHIAE Quaeſtiones medico-legales medicis aeque

ac iure conſultis in pretio ſunt; ſed in quibus tamen hodie non nulla eſſent emendanda.

§. VIII.

Agmen ſcriptorum hac in ſectione productorum in ſcenam claudant medici germani: quos inter ſequentibus u) locum adſignare iuuabit. DAN. SENNERTI *Quaeſtionum medicarum controuerſarum liber* Wittembergae 1610. 8. vna cum tractatu eius de peſte, ſeparatim in lucem fuit prolatus. IOAN. MATTHAEI *Quaeſtionum medicarum, & iucundarum, & lectu dignarum, & practico inprimis neceſſariarum, enodatio ſcholaſtica*, Francofurti 1603. 8. impreſſa, initio conſtabat quaeſtionibus XXXI. & X. caſibus medicis rarisſimis; inſecuto autem tempore ita augebatur, vt ſequenti ornata titulo: IO. MATTHAEI *Centuria difficultatum medicarum, tam iucundarum, quam vtilium, ex veterum & recentiorum medicorum libris erutarum, in quaeſtiones redactarum, & more ſcholaſtico breuiter diſcuſſarum*, Herbornae Naſſou. 1616. 8. euulgaretur, caſus autem X. medicinales, qui editioni anteriori inſerti fuerant, omitterentur. GREG. HORSTII *ſenioris Centuria problematum medicorum therapeuticorum* Wittebergae 1610. 8. prodibat; poſtea vero operibus eius w) iunctim editis adiecta fuit. *Quaeſtiones medicae* FELICIS PLATERI, quas manu exaratas autor reliquerat, poſt mortem illius, a THOMA PLATERO, rubricam gerentes iſthanc: FELICIS PLATERI *Quaeſtionum medicarum paradoxarum & endoxarum, iuxta partes medicinae diſpoſitarum, centuria poſthuma*, Baſileae 1625 8. excuſae, Lutetiae vero Pariſiorum 1632. 8. recuſae ſunt, legique merentur; MELCH. tamen SEBIZII *Miſcellanearum quaeſtionum medicarum faſciculi LIII.* Argentorati 1630. ſeq. 8. impreſſi, vlterius progrediuntur, referti praeterea quoque ſunt multimoda eruditione. MARTINI contra RVLANDI *Progymnaſmata alchemiae, ſiue Problemata chymica, nonaginta & vna quaeſtionibus dilucidata*, Francofurti 1607.

1607. 8. diuulgata, intra cancellos chemiae subsistunt. Ast MART. RVLANDI, iunioris, *Problematum medico-physicorum libri duo,* qui pariter Francofurti 1608. 8. prelis exiuere, paullo vlterius progrediuntur.

u) De illis enim, qui ad exemplum CASP. WECKERLINI, EVSEB. SCHENCKII, MAVRIT. BLVMII, GVERNERI ROLFINCII, multorumque praeter nominatos aliorum, vnam pluresue decadas quaestionum & problematum medicinalium, sub forma dissertationis proposuere, non est mihi hoc loco sermo. Eum enim in praesenti bibliotheca mihi propositum teneo scopum, vt melioris praecipue notae libros annotem atque commendem.

w) Vide capit. V. §. 25.

CAP. VI. SECT. IV.

DE SCRIPTORIBVS VARIARVM LECTIONVM ET MISCELLANEORVM MEDICINALIVM.

CONTENTA:

Variarum lectionum scriptores critici, §. 1. 2. *Miscellaneorum medicinalium scriptores antiquiores*, §. 3 - 5. *Scriptores recentiores*, §. 6 - 10.

§. I.

Postquam, restitutis liberalibus artibus ac disciplinis, critica quoque ars sensim refloruit; e medicorum quoque filiis non nulli diuersis speciminibus suae in hac scientia acquisitae sollertiae atque industriae ediderunt documenta. GARCIAE LOPII *Commentarii de varia rei medicae lectione,* Antwerpiae 1564. 8. euulgati, quos IOH. RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 148. ceu lectu dignos commendauit, primis huius generis operibus sunt accensendi, rariores autem sunt hodie. Celeberrimi illius HIER. a) MERCVRIALIS *Variae lectiones,* quatuor b) ab initio constantes libris, Basileae deinceps 1576. 8. quinto, &

Lu-

Lutetiae Pariſior. 1585. 8. ſexto libro auctae in conſpectum orbis litterati prodierunt; optime tandem ac plenisſime c) Venetiis 1588. 4. & 1598. 4. luci ſunt expoſitae publicae, magnoque applauſu exceptae. De MARSILII d) CAGNATI *Variis obſeruationibus* notandum, duos illarum initio tantum libros Romae 1581. 8. prelo exiiſſe: quum autem hi ab eruditis nimium quantum approbati e) eſſent, mox, inſcriptae: MARSILII CAGNATI *Variarum obſeruationum libri IV. quorum duo poſteriores nunc primum acceſſere*, eodem loco, Romae nempe, 1587. 8. ſed auctiores adeo, recudebantur, inſerendi ſubſecuto tempore IANI GRVTERI *Theſauro critico.* Dolendum vero, librum earum quintum, quem manu exaratum reliquit autor, quique olim inter manu-ſcripta bibliothecae *Naudaeanae* f) delituit, nondum in lucem prolatum eſſe publicam. SALVSTII g) SALVIANI *Variarum lectionum de re medica Libri III.* Romae 1588. 8. editi, parem autori induſtrio gloriam, ac modo laudata opera MERCVRIALI atque CAGNATO, pepererunt; adnumerandi vero noſtra hac aetate libris rarioribus.

a) Vid. capit. V. §. 23.

b) HIERON. MERCVRIALIS *Variarum lectionum libri IV. in quibus quam plurium, maximeque medicinae ſcriptorum, infinita pene loca, vel corrupta reſtituuntur, vel obſcura declarantur. Accedit* ALEXANDRI TRALLIANI *de lumbricis epiſtola, eiusdem* MERCVRIALIS *opera & diligentia graece & latine nunc primum edita.* Venet. 1570. 4. Omiſſa autem eſt haec TRALLIANI epiſtola in editionibus hanc Venetam ſecutis variarum lectionum, ea contra tractatui MERCVRIALIS *De morbis puerorum* eadem eſt adiecta, quod iam ſupra capitis huius II. ſect. I. §. 14. annotare me, memini.

c) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 425.

d) Vid. CHIOCCVM *De medicis & philoſophis Veronenſibus* p. 49. ſeqq. & ERYTHRAEI *Pinac.* lib. I. p. 97. ſequ.

e) Quanta cum laude CASPAR. HOFMANNVS earum meminerit, teſtabuntur *Variae* eius *lectiones* lib. V. cap. XXVII. p. 241. ſequ. pro more tamen ſuo in nonnullis etiam eodem loco refutare eum eſt conatus.

f) Vid.

f) Vid. LABBEI *Bibliothec. nou. manuscript.* p. 233.
g) Vide ERYTHRAEI *Pinacothecam* lib. III. pag. 751. seq.

§. II.

Praeterlapso saeculo, CASPAR HOFMANNVS & THOMAS REINESIVS in hoc argumento & scribendi genere eminuerunt; quibus merito CASPARVM BARTHIVM, GERH. IOH. VOSSIVM, & CLAVD. SALMASIVM, etsi professione medici hi non fuerint, prae reliquis h) addere me, oportet. CASP. HOFMANNI *Variarum lectionum libri VI. in quibus loca multa* DIOSCORIDIS, ATHENAEI, PLINII, HIPPOCRATIS, ARISTOTELIS, GALENI, *aliorum, qua illustrantur, qua explicantur*, Lips. 1619. 8. impressi, a DAN. GEORG. MORHOFIO i) sua iam aetate rarioribus accensiti fuere libris. THOMAE REINESII *Variarum lectionum libri tres priores, in quibus de scriptoribus sacris & profanis, classicis plerisque, disseritur: loca obscura multa illustrantur, difficilia explicantur, corrupta emendantur: recentiorum etiam quorundam circa ea frustrationes, interpretumque in quam plurimis graecis allucinationes notantur*, Altenburgi 1640. 4. in lucem editi, & a MORHOFIO *Polyhist.* tom. I. lib. V. cap. I. §. 9. opus multa doctrina refertissimum, appellati, etiam eiusmodi praeda sunt, quae raro in casses quaerentium incidit. Posteriores vero tres variarum lectionum libros quod attinet, illi plane in tenebris remansere, praeter excerpta ex iisdem k) non nulla, quae ipse REINESIVS in *Defensione variarum lectionum contra iniquam censuram poëtae Lipsiensis*, Rostoch. 1653. 4. exhibuit. CASP. BARTHII *Aduersariorum commentariorum libri LX.* Francofurti 1624. fol. excusi, approbationem quidem eam non l) inuenerunt, quam autor, ob impensam iisdem laborum m) molem, sibi promisit atque sperauit; optandum nihilominus foret, vt & reliqui, quos manuscriptos n) reliquit; libri simili cura in lucem fuissent publi-

cam

cam expositi, quoniam eius viri in scriptoribus medii aeui versatissima atque perquam diffusa lectio medicis quoque persaepe profuerit. GERARDI IO. o) VOSSII *De theologia gentili, & physiologia christiana, siue, de origine ac progressu idololatriae, ad veterum gesta, ac rerum naturam reductae, deque naturae mirandis, quibus homo adducitur ad Deum, libri IX.* optime Amstelodami 1668. fol. impressi, a PAVLLO p) autem COLOMESIO, DAN. GEORG. q) MORHOFIO, IAC. FRID. r) REIMMANNO & multis aliis, inusitatis plane encomiis ornati, diuersas ad medicinam, & inprimis materiam medicam s) spectantes res, easque pulcherrimas omnino lectuque dignas in sese complectuntur, quas, solum titulum si adspicias, nunquam ibi *) quaesiueris. De CLAVD. SALMASII *Exercitationibus Plinianis in* CAII IVLII SOLINI *Polyhistora*, quarum iam supra t) memini, hoc vnum notare iuuat, eas, ob sui praestantiam u), cuiuis homini litterato profuturas; *Exercitationes* vero *de homonymis hyles iatricae* medicis inprimis plane necessarias fore.

h) Quodsi enim recensere illos luberet, qui in suis miscellaneis, semestribus, otiis, coniectaneis, syluis, singularibus, praecidaneis, analectis, stricturis, spicilegiis &c. velut in transitu tantum ex arte medica delibarunt aliqua, fines instituti mei plane migraturus essem. Commode autem medicus plerisque huius argumenti scriptoribus, vbi LVDOV. COELII RHODIGINI *Lectiones antiquas*, Francof. 1666. fol. & *Aduersaria* ADRIANI TVRNEBI, ipsi SCALIGERO quantiuis pretii aestimata, quae Lutet. Paris. 1580. fol. excusa, exceperis, carere poterit atque supersedere.

i) *Polyhist.* tom. I. lib. V. cap. I. §. 9.

k) Apparet hoc e dicta Defensione p. 41. & e diuersis aliis locis; siquidem sub finem huius tractatus p. 167. REINESIVS aperte scribit: Haec sunt, quae ad Kuranidas notata olim e posterioribus variarum excerpta debui tibi.

l) Vide MORHOF. *Polyhist.* tom. I. lib. V. cap. I. §. 10. In CASP. BARTHII *Aduersariis*, vastissimo opere, vel potius vastioris operis parte (longe enim plures libri, vt audio, inediti seruantur) multa quidem non contemnenda reperiuntur loca, & auctores haud raro eximie explicantur: sed tamen non vsque adeo placet eruditioribus. Est enim in iudiciis praeceps, in emendando temerarius pluri-

pluribus etiam friuolis & inanibus indulget. Alios quoque doctos viros similiter de eodem iudicasse, & COLOMESIVM praecipue vocasse illum virum multae quidem lectionis, sed naris haud prorsus emunctae, obseruauit MOLLERVS ad loc. cit. in notis.

m) Quam ironice REINESIVS in variis lectionibus p. 5. hac de re loquutus sit, sequentia eius verba testantur: Ad vicies octies centum omnis generis auctores, quantum talium nec ARISTARCHVS, nec VARRO, nec PLINIVS, nec ATHENAEVS, quos omnium fuisse instructissimos a multa lectione, nemo nescit, CASPAR BARTHIVS in amplissimo opere aduersariorum profitetur legisse; eoque non nullos ita sibi deditos habet, vt eum non huius tantum seculi, sed quorumuis caeterorum, philologis & criticis praeferre non dubitent, & simile ab vno homine nihil vnquam in litteras missum videri posse, velint.

n) De scriptis CASP. BARTHII nondum impressis notitiam amplamque satis eorum indicem suppeditant acta eruditorum germanica, part. XI. num. VI. p. 925. seqq. vnde docemur, aduersaria eius constitisse CLXXX. libris, quorum tamen haud plures LX. lucem adspexere litterariam. Reliqui, testibus modo allegatis actis, penes certam quandam familiam equestrem Saxonicam deposita exstare dicuntur, exceptis libris CXXXVto & CLVIImo, qui incendio quodam infeliciter exorto conflagrauerint.

o) Vid. BLOVNTII *Censura celebrior. auctor.* p. 969. seq.

p) Vid. Opera, cur. FABRICIO edit. p 437. De tant de liures, qu'a fait le fameux GERARD VOSSIVS il n'y en a point, qui ait eu & qui ait encore plus de reputation, que celuy-ci de origine & progressu idololatriae.

q) *Polybist.* tom. I. lib. I. cap. XXI. §. 29. Liber est profecto totus aureus, & magno apparatu rerum refertus. Pene idem habuisse consilium videtur huius libri argumento, quod habuit commentario suo in Solinum SALMASIVS, in quem omnes suos locos communes exhausit.

r) Vide *Catalogum Bibliothecae Reimmannianae* tom. I. pag. 954. Opus, ab autore, multis curis calamitatibusque domesticis contrito, quotidianis laboribus, & ortis inde variis languoribus infracto, annum etiam aetatis 63. iam egresso, institutum: sed non absolutum plane & ad finem perductum, imo ne expolitum quidem & ad vnguem exactum; Attamen ea industria & dexteritate elaboratum, vt ex omnibus VOSSII operibus primum locum tenere videatur. Genus enim dicendi est compositum, & expeditum & aequale. Delectus verborum elegans; & apta & quasi rotunda constructio. Dispositio spontanea nec anxie quaesita. Et argumenti ea nobilitas, rerumque tanta copia, vt pandectae philosophico-theologico-historicae dici mereatur. Sane de theologia

gentili non extat opus vberius, liberalius, illustrius. Et si nihil scripsisset autor praeter hoc systema vnicum, dignum tamen esset eius nomen, vt perennaret, omnisque posteritas id ipsum cognosceret ac veneraretur.

s) Ita e. c. lib. III. & IV. regno animali; lib. V. vegetabili; & lib. VI. minerali occupatur.

*) Ea de caussa, GROTIVS quoque exarata ad G. I. VOSSIVM epistola iure scripsit: Proximis diebus, aliquid nactus otii, legi ea, qua omnia tua soleo, auiditate ac animi affectu, tua de idololatria. In qua contra fecisti, quam nunc fieri solet. Plerique enim titulos suos opere non implent: tu aliter nos decipis, plus dando, quam eras pollicitus.

t) Vid. capit. VI. sect. I. § 8.

u) Vid. MORHOF. *Polyhistor.* tom. I. lib. I. cap. XXI. §. 14. Vastum illud SALMASII in SOLINVM opus, quod ego oceanum eruditionis philologicae vocare soleo, mirifice mihi placet, non, quod non multis abstinere potuisse in illo commentario, ac per leges methodi debuisse, SALMASIVM, iudicem; sed, quod ex locuplete penu, velut ex horreo quodam, liberali manu tot tantasque opes promat, magno vsui omnibus futuras.

§. III.

Quemadmodum enarratorum huc vsque scriptorum scopus primarius fuit, vt arti criticae suam dicarent operam: ita alii w) medici, seposita illa, medicinam potius ipsam in oculis tulerunt, diuersasque ad omnes salutaris artis partes spectantes obseruationes, modo sub titulo Miscellaneorum medicorum, modo sub alia x) epigraphe, lectori exponere voluerunt. GALEOTTI MARTII *Liber de promiscua doctrina,* Francofurti 1602. 12. editus a MORHOFIO y) admodum laudatus, eiusdemque autor a CONRADO z) GESNERO, vir multae lectionis, vocatus fuit. THADDAEI DVNI *Miscellaneorum de re medica liber,* epistolis eius, iam cap. VI. sect. II. §. 2. allegatis Tigurique impressis, medicinalibus adiectus est. In MARSILII CAGNATI *Opusculis variis,* Rom. 1603. 4. euulgatis diuersi ad medicinam & physicen spectantes tractatus *) docti huius medici iunctim exscripti typis inueniuntur. IO. COSTAEI *Miscellanearum dissertа-*

sertationum decas, diu post mortem autoris, qui & alias scriptis suis multam magnamque sibi adquisiuit gloriam a), Pataui anno 1658. in 12. prodiit. A IVLIO b) GVASTAVINO *Locorum de medicina selectorum libros II.* accepimus, quorum liber I. Lugd. 1616. 4. liber II. Florentiae 1625. 4. lucem adspexit; liber contra III. in manuscriptorum foris c) hactenus delitescit. IO. BAPT. CORTESII *Miscellaneorum medicinalium decades X. in quibus pulcherrima ac vtilissima quaeque, ad anatomen, chirurgiam, & totius fere medicinae theoriam & praxin spectantia continentur*, Messanae 1625. fol. impressae, exhibent multa pulchra, vtilia partim & rara; & rara quidem quod attinet, inter ea vel maxime excellit chirurgia curtorum, quam & ipse exercuit, & decade III. horum miscellaneorum ex instituto descripsit. IO. BAPT. SITONI *Iatrosophiae miscellanea, seu, Miscellanea medica curiosa*, saepius d) impressa, & quidem vltima vice Pataui 1723. 4. curante COGROSSIO, prelo repetita e), merentur etiam legi. FRANCISCI contra BOSELLI *Amaltheum medico-historicum, in tres apparatus digestum*, Pataui 1668. 4. aeque ac IO. NARDII *Noctes geniales*, Bonon. 1656. 4. emissas, de cuius scriptis non adeo bene DAN. GEORG. f) MORHOFIVS iudicauit, commode & sine damno medicus negligere poterit.

w) Quandoquidem autem eiusmodi autorum, qui scripta miscellanea ediderunt, maximus est numerus; eorum equidem potissimos tantum seligam, reliquis vel praeteritis omnino, vel leui saltem brachio tactis.

x) Non minus enim ingeniosos in hoc inuentionis argutae genere sese praestitere medici, ac reliqui locorum communium scriptores, de quibus MORHOFIVS in *Polyhist.* tom. I. lib. I. cap. XXI. §. 48. scribit: Mire ingeniosi sunt autores in titulis locorum communium excogitandis, per omnia scientiarum genera, quemadmodum postillarum scriptores.

y) *Polyhistor.* tom. I. lib. I. cap. XXI. §. 42. Exiguus liber est, sed continet multa memorabilia medica, physica, philologica, mathematica.

z) *Bibliothec. vniuerfal.* p. 264. vbi appellatur GALEOTTVS *Narnienfis.*

*) E. gr. *De Tiberis inundatione*; *de romani aëris falubritate*; *de morte, cauffa partus*; *de ligno fancto*; *de populari aegritudine, quae* 1591. & 1593. *vrbem romam inuafit*; *de vrbana febres curandi ratione.* Vid. LINDEN. *renouat.* p. 782.

a) Vid. RHODII *Bibliothec. medic.* p. 145. COSTAEI fcripta omnia bona.

b) Quam honorifice de ipfo loquutus fit CONRINGIVS, teftatur eius *Introductio in art. medic.* cap. V. §. 9. vbi autem erronee illum habuit pro Neapoli oriundo.

c) Tefte RHODIO in *Bibliothec. medic.* p. 147.

d) Patauii 1641. 8. Coloniae 1676. 4. Einfidelii 1649. 4. Vide *Bibliothec. Riuinian.* p. 251.

e) Vide *Giornale de' Letterati d'Italia* tom. XXXV. pag. 466. fequ.

f) *Polyhift.* tom. II. lib. I. cap. V. §. 2. pag. 27.

§. IV.

E medicorum germanorum numero multi hic locum tueri poterunt. ANDREAE LIBAVII *Singularia* g), *in quibus de abftrufioribus difficilioribusque non nullis in philofophia & medicina quaeftionibus differitur*, fine dubio huc pertinent: multa enim ibi ad hiftoriam naturalem materiamque medicam fpectantia proferuntur. HENRICI SMETII *Mifcellanea medica, cum praeftantisfimis quinque medicis*, THOMA ERASTO, HENRICO BRVCAEO, LEVINO BATTO, IOAN. WEYERO, & HENR. WEYERO *Communicata*, & *in libros XII. digefta*, Francofurti 1611. 8. multis tamen mendis typographicis deformata, excufa, propter h) argumenti vtilitatem, iam dudum nouam eamque emendatiorem editionem meruiffent. IO. FREITAGII *Noctes medicae*, Francof. 1616. 4. omnibus quidem, vt titulus habet, medicaftris & vmbraticis doctoribus praecipue funt oppofitae; lectu tamen & vtiliores & iucundiores futurae, nifi autor zelo fuo, inprimis aduerfus PARACELSVM, faepe nimium indulfiffet, eoque abreptus terminos i) modeftiae transfiliiffet. Qua ratione porro, & in quantum IO. CAR. ROSENBERGII *Rofa nobilis iatrica, feu, animaduer-*

aduersiones & exercitationes medicae Hippocraticae & Hermeticae nouae ac notatu dignae, Argentorat. 1624. 12. excusa, huc referenda sit: equidem dicere non k) habeo, quum eum librum oculis vsurpare nunquam mihi licuerit. Ea contra, de MELCHIOR. SEBIZII *Exercitationibus* l) *medicis*, CHRISTIANI LANGII *Miscellaneis* m) *medicis curiosis*, & de LAVR. denique STRAVSSII *Exercitationibus* n) *medicis*, certo adscuerare possum, ea scripta singula locum hic tueri posse suum: quemadmodum & praestantissima illa *Selecta* o) *medica* IOAN. ANTONIDAE VAN DER LINDEN, vna cum ANT. DEVSINGII *Fasciculo* p) *Dissertationum selectarum, ab autore collectarum* q) *ac recognitarum*, in censum scriptorum miscellaneorum vtilium merito sunt referenda.

g) Constant partibus quatuor: quarum I. & II. Francofurti 1599. 8. III. & IV. pars vero ibidem 1601. 8. edita fuit: quarum argumentum e plenioribus, in LINDENIO *renouato* pag. 50. exhibitis, earundem titulis clarius hauriri potest.

h) Vide *Commerc. litterar. Norimberg.* an. 1732. pag. 320. HENRICVS SMETIVS, vir sane magnus, cuius doctrina seculo XVI. maxime effloruit; cuiusque testes exstant *Miscellanea medica*, quae ad medicinam theoreticam & practicam multum conferunt, historiamque medicinae *Paracelsicae* ante omnia illustrant. Non minus honorificam horum miscellaneorum mentionem fecit & G. C. SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 12. Procul dubio autem omnium hoc ipso in libro obuiarum rarissima aeque ac notatu maxime digna est *Obseruatio de rustico caeco per nares vidente.*

i) Quanta cum animi vehementia idem in DAN. SENNERTVM inuectus fuerit, iam capit. III. sect. II. §. 4. me referre, memini.

k) Interim video, tractatum isthunc in *Bibliotheca Riuiniana* optime disposita p. 251. Miscellaneis medicis fuisse adnumeratum.

l) Optime plenissimeque hae Argentorati 1672. 4. fuerunt impressae, & dissertationibus non tantum quibusdam, verum etiam historia illa memorabili, de foemina quadam Argentoratensi, quae ventrem supra modum tumidum gestauit, vltra decennium, & tum cum hydrope vterino, tum molis carnosis 76. fuit conflictata, auctae.

m) Lipsiae 1666. 4. & 1669. 4. Quaternionibus circiter absoluuntur tredecim, lectuque sunt non iniucunda. Ceterum de ipso au-

tore pariter atque de vniuersis illius operibus iam a me dictum fuit superius capite V. §. 28.

n) Giessae 1670. 8. Inueniuntur hic XX. dissertationes, quas LAVRENT. STRAVSSIVS in GREGOR. HORSTII Compendium institutionum medicarum olim conscripserat, quas insequuto tempore iunctim edendas curauit.

o) Lugduni batau. 1656. 4. V. LINDEN. *renouatus* pag. 517. sequ.

p) Groeningae 1660. 12.

q) Continentur ibi XV. dissertationes, quarum I. *de morborum quorundam superstitiosa origine & curatione*; II. *de morbo Manschlacht vulgo dicto*; III. *de lycanthropia*; IV. *de surdis ab ortu, mutisque, ac illorum cognitione*; V. *de ratione & loquela brutorum animantium*; VI. *de vnicornu*; VII. *de lapide bezoar*; VIII. *de manna*; IX. *de saccharo*; X. *de mandragorae pomis, pro dudaim vulgo habitis*; XI. *de mandragorae mangoniis*; XII. *de agno vegetabili*; XIII. *de anseribus scoticis*; XIV. *de pelicano*, & XV. *de phoenice*, agunt.

§. V.

Minime autem & reliquarum gentium medici huc pertinentes praetereundi mihi sunt, quotquot saeculo hoc XVIImo vixere. Et ex Danis quidem THOMAS BARTHOLINVS, & CASP. BARTHOLINVS; e Gallis vero PETRVS PETITVS, nec non NICOLAVS DE BLEGNY in censum hic veniunt. THOMAE BARTHOLINI *Acta medica & philosophica Hafniensia*, quinque r) constantia voluminibus, quae vna ligata satis spissum librum formae, quam dicunt, quadripartitae efficiunt, fructus sunt extremorum vitae eius laudabiliter actae conatuum, continentque in sese complures pulchras, singulasque medicinae partes illustrantes, obseruationes celeberrimorum, tum temporis florentium, Danicorum, vt & quorundam extraneorum, medicorum, maximam partem & vtilissimas lectu & iucundissimas: quanquam MORHOFIVS *Polyhist.* tom. II. lib. II. part. I. cap. 2. §. 9. meliorem selectum in hac collectione, non citra caussam, optauerit. Nec CASPARI BARTHOLINI, *Thomae* filii, *Exercitationes miscellaneae varii argumenti*, Lugduni batau. 1675. 8. impressae, sunt contemnendae, ostenditque integer earum titulus s), quid in iisdem quaerere

rere debéas. PETRI PETITI *Miscellanearum obseruationum libri IV.* ad criticam magis & philologiam, quam medicinam spectantes, Vltraiecti 1683. 8. t) lucem adspexerunt. De NICOLAO contra DE BLEGNY hoc solum annotabo, eius Lutetiae Paris. 1679. primum coeptas & per aliquod tempus continuatas, quas gallice vocat, *Nouvelles Decouvertes sur toutes les parties de la medecine*, ob vtile argumentum, non in germanicam u) tantum, sed in latinam quoque a THEOPH. BONETO linguam translatas atque ita inscriptas: NICOL. DE BLEGNY *Zodiacus medico-gallicus, seu, miscellanea medico-physica gallica*, Geneuae 1680. seqq. 4. luci publicae w) expositas fuisse.

r) Quorum volumen I. 1673. II. 1675. III. & IV. 1677. volumen denique V. 1680. 4. Hafniae multis exornata figuris, prodiere.

s) Scil. I. *De variolis puerorum, &, an foetus sanguine materno nutriatur?* II. *Basiliscum ex ouo galli non excludi, & de modo impraegnationis oui*; III. *de vstione bregmatis*; IV. *vnde odor violaceus in cauda vulpina?* V. *de brassicae vsu apud puerperas*; VI. *de fumana herba*; VII. *de liquoris styptici interno vsu, cum experimentis* FRANC. REDI *circa vsum externum*; IIX. *An cor, praeter motum, aliud ad sanguificationem conferat?* IX. *An fundus vteri, ventriculi &c. recte anatomicis dicatur?*

t) Non autem in 4. vt erronee in LINDEN. *renouato* pagina 903. scribitur.

u) NICOLAI DE BLEGNY *Monats-Anmerckungen vber alle Theile der Artzney-Kunst, aus dem französischen vbersetzet von I. L. M. Hamburg* 1680. seqq. 8. Vide *Bibliothec. Meibom.* part. III. p. 323.

w) Quum Zodiacus iste per quinquennium sese extendat, id solum hic annotabo, annos 1682. & 1683. sine nomine BLEGNII praescripto exiisse.

§. VI.

Recentiore aetate scriptorum miscellaneorum numerus haud obscure creuit: quorum tamen praecipui fere erunt sequentes, quos nunc recensebo. IOSEPHI LANZONI *Libri IV. aduersariorum*, Ferrariae 1714. in 8. quae in operibus medico-physicis & philologicis IOS. LANZONI, Lausannae 1738. 4. iunctim excusis, libro V. & VI. quem vtrumque manu

exaratum autor reliquerat, auctiora recuſa ſunt, philologiae & rei antiquariae ſunt dicata. Contra ea, *Animaduerſiones* eiusdem *variae ad medicinam, anatomiam & chirurgiam maxime facientes*, Ferrariae 1683. 8. impreſſae, viſibus medicis magis ſunt accommodatae. GEORGII FRANCK DE FRANCKENAV *Satyrae medicae XX. Acceſſ. Diſſert. VI. varii & rarioris argumenti, cum oratione de ſtudiorum noxa, editae ab autoris filio* GEO. FRID. FRANCK DE FRANCKENAV, Lipſiae 1722. 8. complectuntur omnis modi, ad diuerſas artis medicae partes x) ſpectantia, vt & alia argumenti curioſioris y) ſchediaſmatia, lectu omnino non iniucunda, AVGVSTI QVIRINI RIVINI *Diſſertationes medicae* z) *XLVII. in vnum faſciculum collectae*, Lipſ. 1710. 4. propter *Cenſuram officinalium medicamentorum*, quam in illis exercuit autor, contradictioni fuerunt obnoxiae. ENGELBERTI KAEMPFERI *Amoenitatum exoticarum politico-phyſico-medicarum faſciculi V. in quibus continentur variae relationes, obſeruationes & deſcriptiones rerum perſicarum & vlterioris Aſiae, multa attentione in peregrinationibus per vniuerſum orbem collectae*, Lemgouiae 1712. in 4. propter fide dignas relationes de omnis generis exoticis ſimplicibus magni ſunt faciendi. GEO. WOLFG. WEDELII *Exercitationes* a) *medico-philologicae, ſacrae & profanae, varias lectiones, experimenta, & commentarios curioſos exhibentes*; quae inde ab anno 1686. vsque ad annum 1720. per ſingulas decadas in lucem prodiere publicam, mea minime indigent laude; quum, ob ſui praeſtantiam, iam dudum factum ſit, vt omnium applauſum meruerint. IO. IAC. BAIERI *Adagia medicinalia, doctrinae promiſcuae diſcurſibus illuſtrata*, quae initio ſingulatim b), ad inſtar diſſertationum, ab anno 1711. ad 1717. Altorfi prelo emerſerunt, inſecuto tempore, ornata hoc titulo: *Centuria adagiorum medicinalium*, Francofurti & Lipſiae 1718. in 4. iunctim ſunt diuulgata, in quibus illuſtratio diuerſorum prouerbiorum medi-

medicis vsitatorum, quibus enodandis olim IVAN SOROPAN DE RIEROS c) primum lapidem strauerat, feliciter fuit continuata. Pari modo & *Obseruationes medicae atque chirurgicae*, quas SAM. SCHAARSCHMIDIVS per singulas hebdomadas integri triennii particulatim prius emisit, Berolini, quasque nuper ibidem loci, anno 1743. 4. sociatas vno fasciculo imprimendas curauit, commode locum hic tuebuntur suum. Adnumerari quoque miscellaneis medicis vel maxime possunt IO. HENR. DE HEVCHER opera curante CHRISTIANO FRIDERICO HAENELIO Lipsiae 1745. 4. iunctim edita; quibus addendum denique NICOL. ANDRY *Examen de divers points de l'anatomie, de chirurgie, de physique, de medecine*, à Paris 1725. 8. quum contra DAN. WILH. TRILLERI *Obseruationum* d) *criticarum in varios graecos, & latinos auctores libri IV.* Francofurti 1742. in 8. euulgati, nullatenus e) intra fines medicos se continuerint.

x) Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 247. seq. vbi elenchus omnium hic contentorum tractatuum legitur.

y) Huc refero sequentia: *De impuberibus generantibus & parientibus; de hominibus sine hepate, lieue, renibus, vesica &c. viuentibus; de vaticiniis aegrorum; de linguis peregrinis, ab aegris & rudibus prolatis; de vitro & ὑαλοφάγοις; de ouis paschalibus* &c.

z) Harum tituli in *Bibliotheca Riuiniana* pag. 247. euolui poterunt.

a) Earum centuria prima Ienae 1702. 4. iunctim collecta prodiit. Centuriae autem alterius quinque tantummodo decades fuere ad finem perductae: quarum prima 1704. secunda 1708. tertia 1711. quarta 1715. & quinta denique 1720. eodem loco, pari quoque forma, luci expositae sunt publicae. Themata materiarum, magno cum eruditionis apparatu in illis deductarum, in *Historia bibliothecae Fabricianae*, part. VI. p. 37. seq. allegantur & exponuntur.

b) Vid. BAIERI *Biograph. profess. medic. Altorf.* p. 172. vnde apparet, syllogen I. & II. anno 1711. III. & IV. 1712. V. 1713. VI. & VII. 1714. VIII. & IX. 1717. diuulgatas fuisse.

c) Vid. MORHOF. *Polyhist.* tom. I. lib. I. cap. XXI. §. 105. vbi sequentia leguntur: Scripsit IVAN SOROPAN DE RIEROS librum medicum, e prouerbiis hispanicis concinnatum, vbi prouerbia medica examinat & commentario illustrat. Titulus libri est: *Medicina espannola contenida en prouerbios vulgares eunra lengua.* Singularis ille prouerbiorum vsus est, qui nemini alias in mentem

 venit,

venit, quo in artis medicae doctrinam illa adhibentur. Eſt vero elegans liber, & multa habet ad eam rem pulchre aptata adagia.

d) Videantur noua litteraria anni 1742. pag. 805. ſeq. vbi magna cum laude hocce opus recenſitum habetur.

e) Quod ſi enim e lib. I. excipias caput XXIII. e libro II. capita IV. XI. XXII. XXIV. & e libro III. caput V. maxime autem caput eiusdem libri XXV. omnibus aliis potius conatus magni huius critici, quam medicis autoribus impenſi apparent.

§. VII.

Tempus eſt nunc, de illo quoque miſcellaneorum medicorum genere agendi, quorum autoribus placuit, ſua ſubticere nomina, & de his quoque ſcitu maxime neceſſaria proferendi in medium. *Annales phyſico-medici*, tanta excepti beneuolentia eruditorum, quanta ſe ipſi commendant vtilitatis laude, ſiue, vt habet inſcriptio germanica, *Sammlungen von Natur vnd Medicin, auch hierzu gehörigen Kunſt- vnd Litteratur-Geſchichten*, maximam ſui partem f) a IOHANNE KANOLDO procurati, & Wratislauiae ab anno 1717. vsque ad 1729. in 4. per partes diuulgati, nec non, poſt fata KANOLDI, ab ANDREA ELIA BÜCHNERO, hoc tempore praeſide academiae naturae curioſorum, lingua germanica g) continuati, partibus conſtant XXXVIII. vna cum quatuor ſupplementis, & indicibus eodem pertinentibus, in quibus omnis generis, ad phyſicen, mathematicen, medicinam, litteraturam ſpectantes eaeque perquam vtiles, obſeruationes coaceruatae inueniuntur. Paris pretii, paris etiam ambitus eſt COMMERCIVM, quod vocatur LITTERARIVM *Ad rei medicae & ſcientiae naturalis incrementum inſtitutum, quo, quicquid nouiſſime obſeruatum, agitatum, ſcriptum vel peractum eſt, ſuccincte dilucideque exponitur;* quod a ſollertiſſimis h) quibusdam noricae ciuitatis medicis anno 1731. coeptum ad hunc vsque diem tanto ſtudio *) eſt continuatum, vt quauis ſeptimana quaternio vnus in dicta vrbe typis exſcriptus prodierit, quo cum republi-

ca

ca litteraria communicatur, quasi per modum nouorum quorundam litterariorum, de rebus variis ad artem medicam physicenque pertinentibus, quicquid vnita & sociata studia horum doctorum medicorum in medium contulerunt.

f) Plura tamen huc etiam contulere vterque eius collega D. KVNDMANNVS, & D. BRVNNSCHWIZIVS.

g) Haec continuatio, Erphordiae impressa ita inscribitur: *Miscellanea physico-medico-mathematica, oder, angenehme, curiöse und nützliche Nachrichten von physical vnd medicinalischen, auch dahin gehörigen Kunst- vnd Natur-Geschichten, zusammen gelesen von* D. ANDR. ELIA BÜCHNER. Erffurt. 1731. seqq. 4.

h) E. g. IO. CHRISTOPH. GOETZIO, CHRISTOPH. GVIL. PREISLERO; CHRIST. IAC. TREW; CHRIST. IOANNE STOCKIO.

*) Falso itaque in LAVR. HEISTERI *Bibliotheca chirurgica* p. 12. narratur: dolendum vero opus tam vtile non amplius continuari.

§. VIII.

Quemadmodum adductarum modo collectionum Wratislauiensium, aeque ac commercii litterarii Noribergensis, autores, f. collegae, praeter medicinam, de physicis etiam, mathematicis atque astronomicis fuere solliciti; ita contra alii, in miscellaneis suis, angustioribus sese circumscripserunt ipsi limitibus, citra omnem exorbitantiam, intra solius medicinae terminos consistentes. *Acta medicorum Berolinensium, in incrementum artis & scientiarum collecta & digesta*, quae Berolini, inde ab anno 1717. vsque ad 1730. XX. voluminibus comprehensa, quae iunctim ligata efficiunt duo sympegmata formae octopertitae, prelis prodiere, a IOH. DAN. GOHLIO, stilo quidem parum latino sunt conscripta; nihilo tamen minus varias, ad anatomen, chirurgiam, materiam medicam, & imprimis ad praxin clinicam pertinentes perquam pulchras continent obseruationes. Eandem ad metam collimant *Selecta medica Francofurtensia*, anatomen inprimis practicam, chirurgiam, materiam medicam, ipsamque vniuersam medicinam, tam clinicam, quam forensem, variis casibus & obseruationibus

bus illuſtrantia, quae acta medicorum Berolinenſium, morte IOH. DAN. GOHLII interrupta, ſollerter redintegrarunt, & inde ab anno 1736. quo volumen I. Francofurti ad Viadrum in 8. fuit prelo expeditum, ad praeſens vsque tempus, commodis pariter ac delectationi medicorum inſeruientia, continuauerunt. Perquam etiam commode locum hic tueri poſſunt *Satyrae medicorum Sileſiacorum*, Wratislauiae 1736. in 8. edi coeptae, & ad noſtrum vsque tempus peculiaribus ſpeciminibus continuatae, quae varias obſeruationes, caſus, experimenta, tentamina, ex omni medicinae ambitu petita, exhibent; non obſtante, quod in nouis litterariis Lipſienſibus anni 1737. pag. 59. latinitas harum opellarum vitioſa cenſoria virga fuerit notata. De ſocietatis medicae Edinburgenſis obſeruationum ſpeciminibus, quae anglicano idiomate inſcribuntur: *Medical Eſſays and obſeruations of the ſociety in Edinbourgh*, quaeque anno 1733. Edinburgi initium cepere, anno autem 1743. i) abſoluta parte quinta, deſierunt, hoc vnicum annotare iuuabit, ea, ob ſui praeſtantiam, multis placuiſſe, integraque ex idiomate anglico in gallicanam, pauca vero quaedam, PAVLLO GOTTL. WERLHOFIO k) interprete, in latinam tranſlata eſſe linguam.

i) Videantur noua litteraria Lipſienſia anni 1744. pag. 1. ſeqq.

k) *Actorum medicorum Edinburgenſium ſpecimina duo, de medicamento alterante ex mercurio, & de aurigine. Ex anglico ſermone latine reddidit* PAVL. GOTTL. WERLHOF. Acc. *Epiſtola ad* IO. SAM. DE BERGER, *de iisdem argumentis, & Camerariano auriginis remedio.* Hannouer. 1735. 4.

§. IX.

Quod ſi iam actorum, memoriarum, ephemeridum, miſcellaneorum & commentariorum illorum in ſpecie mentio mihi facienda eſſet, quae a diuerſis, tam praeteriti decimi ſeptimi, quam, quod iam voluitur, decimi octaui ſaeculi ſocietatibus eruditis, ſub protectione magnorum principum ſtabilitis, Lon-

Londinensi, Parisiensi, Berolinensi, Petropolitana & reliquis, in lucem prolata fuere publicam; quam plurima recensendi scripta occasio mihi suppeditaretur. Quum vero dictae societates minime ad solius medicinae, sed simul etiam ad aliarum disciplinarum & artium commoda atque incrementa prouehenda, fuerint institutae: vix consultum duco, hisce immorari diutius; maxime, quum lectorem harum rerum curiosum ad BVRCHARDI GOTTH. STRVVII & LVD. MART. KAHLII *Bibliothecam philosophicam* tom. I. p. 431. remittere mihi sit integrum. Academiam tamen naturae curiosorum, ad augmentum medicinae ac physices promouendum vnice fere fundatam, nec non ephemerides, siue miscellanea, ab eadem elaborata & in lucem exposita litterariam, non possum omnino praeterire. Etiamsi enim labor iste, DANIELE l) CLERICO, DAN. GEORG. m) MORHOFIO, immo ipso illius praeside, IO. GEORG. n) VOLCKAMERO, iudicibus, propter imparitatem membrorum seu collegarum illam constituentium, non vbique ad votum cesserit; nihilo tamen minus opus istud amplum multisque voluminibus o) constans, iam longe vtilius vsuique communi accommodatum magis fuit redditum, postquam WILHELMVS ANDREAS KELLNERVS vniuersali & locupletissimo illud indice p) instruxit.

l) *Histoir. de la medecine* p. 368. On void encore en diuers pays de l' Europe des societez etablies par des grands princes, pour trauailler à l' anancement de la medecine. C'est dans ces societez, que je forme le projet de tant de nouueaux liures, qui sortent tous les jours, & dans lesquels on prend à tache de traiter de quelque *plante*, en particulier, ou de quelque *animal*, ou *mineral*, par rapport aux vsages, qu'ils peuuent auoir dans la medecine. Ce dessein est assurement beau, & digne de l' occupation des plus habiles gens. Mais ie ne sais, par quel malheur il n' est quelque fois pas trop bien exécuté, ni pour quoi vne partie de ces liures contiennent plûtot vn recueil de tout ce, qui a été dit sur vn suiet, que de ce, qu' on en a dû dire? On remarque même, qu'il y en a quelques vns,

vns, où, pour ne rien oublier, l' on rapporte iusqu' à des fables de vieilles, comme ſ'il n' y auoit pas d' ailleurs aſſez de menſonges dans l' hiſtoire naturelle; & l' on croit apres cela ſ'étre bien acquité de ſa tache.

m) *Polybiſt.* tom. II. lib. II. part. I. cap. I. §. 16. In germania collegium naturae curioſorum ſingulis annis magnam obſeruationum ſyluam edit, quae hinc illinc corraduntur, quibus tamen molitionibus ſcopus iſte non obtinetur, qui quaerebatur, accurata ſcilicet aliqua hiſtoria naturalis. Subleſtum enim relationum & obſeruationum fundamentum eſt, quod ab aliena manu habemus. Quemadmodum enim in grammaticis prurigo quaedam eſt, regulas conficiendi; & in dialecticis, diſtinctiones inueniendi & terminos; ita in phyſicis etiam morbus quidam inualuit, nouas ſemper obſeruationes cudendi, quae non raro prodeunt ex libidine aliqua paradoxologiae, & nouaturiendi ſtudio magis, quam veritatis, a quibus niſi temperetur, veteris morbi recidiuam patiemur, vt pro hiſtoriis fabulas habeamus. Simile iudicium legitur etiam citati tomi & libri capite II. §. 9. his verbis: Germanorum ſocietas magna parit ſingulis annis obſeruationum volumina, e quibus ſi quis in compendium traxerit noua illa, & quorum illi ſe primos inuentores vel obſeruatores venditare poſſunt, exiguum quis libellum ex iſta ſcriptorum mole facile confecerit. Et habet ſane illa collectio, e locis tam diuerſis, autorum cuiuscunque generis, aliquid incerti. Inter eos enim ſaepe ſunt homines aliqua tantum prurigine famae laborantes, qui, cum & ipſi principum miſceri archiuis percupiant, aliquid corradunt obſeruatiuncularum, quibus interdum plus mendacii ſubeſſe deprehendas, quam veritatis.

n) Vide *Epiſtolas ſelectiores ad* GVNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM pag. 202. ſeqq. Certe nutanti indies magis magisque ſtatui academiae noſtrae de auxilio praeſidioque mature videtur diſpiciendum, quod & robore ſuo eam fulciat, & a caſu, qui imminet proxime, praeſeruet ac tueatur. Qua ratione autem fiat, quod vix vlla ſperari poſſit malo latius continuo ſerpenti medicina, obſcurum ſane tibi, collega honoratisſime, neutiquam eſſe poteſt, qui tot iam annis prouinciae huic admotus adiunctusque fuiſti ſumma cum laude, & de hac re conqueſtus es apud me ſaepe numero. Quod ſi omnes, aut ſaltem maior pars, tui eſſent ſimiles, vt non niſi argute inuenta, limata iudicio, & ingenio perpolita, in faſtos noſtros referenda mitterent, aut commonſtratis quoque modeſte iis, quae indecora habentur, patientes recte monentibus aures praeberent, tum equidem, bene ac praeclare nobiscum agi, exiſtimarem, crederemque, emendari aliquando in melius poſſe corruptionem ac labem, quae nobis infeſta eſt. Nunc, quum contraria potius omnia accidant, &, in parcisſima ſegete eruditorum, & in litterarum pariter ac artis doctrina probe excultorum virorum, largisſima

ma & infausta existat eorum messis, qui proletaria quaeuis, & in compitis ac triuiis vix tuto absque irrisionis periculo decantanda, summa tamen secreti atque arcani religione, non sine tristissimarum naeniarum accentu, nostris quotidie inferant sacrariis: quid emolumenti inde inposterum habitura sit medicorum respublica, clarum est cuiuis, cui oculi non sunt hebetes. Plura cit. loc. possunt legi. Neque enim a me ipso impetro, vt vlteriores magni huius machaonis hic recitem atque repetam querelas. Sufficit, quemuis doctum facile persuasum iri, Morhofium minime partium studio aliquid indulsisse, dum ita indicaret, vt supra ipsissimis eius verbis audiuimus.

o) Coepta sunt illa edi, IOANNE LAVRENTIO BAVSCHIO & IO. MICH. FEHRIO praesidibus, porro IO. GEORG. VOLCKAMERO, LVC. SCHROECKIO, IO. IAC. BAIERO & ANDR. ELIA BÜCHNERO auspicibus, ad haec vsque tempora continuata, partimque Francofurti & Lipsiae, partim Ienae, Wratislauiae & Norimbergae, pluribus formae quadripartitae voluminibus constantia, sunt impressa; quum initio eadem, forma octopartita, prelo prodiissent, inscriptione instructa sequenti: *Miscellanea curiosa medico-physica academiae naturae curiosorum, siue, Ephemeridum medico-physicarum germanicarum curiosarum annus primus, continens celeberrimorum medicorum, in & extra germaniam, obseruationes medicas, physicas, anatomicas, botanicas, pathologicas, chirurgicas, therapeuticas, chymicas. Praefixa epistola inuitatoria ad celeberrimos Europae medicos.* Lipsiae 1670. 8.

p) *Index vniuersalis & absolutissimus rerum memorabilium ac notabilium medico-physicarum, quae in Decuriis III. ac Centuriis X. Ephemeridum academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae naturae curiosorum, ab anno 1670. vsque ad annum 1722. seorsim hactenus editarum exstant, adiuncta sylloge alphabetica autorum, quorum obseruationes & tractatus in vasto hoc opere comprehenduntur, operose & studiose concinnatus a D.* WILHELM. ANDREA KELLNERO, Norimberg. 1740. 4.

§. X.

Antequam praesenti coronidem imponam capiti, breuiter adhuc adnotandum mihi esse, video, haud ita pridem Venetiis collectionem quandam lucem adspexisse publicam, in qua omnia excerpta, omnesque recensiones librorum ad medicinam resque physicas pertinentium, quotquot in actis eruditorum latinis hinc inde dispersae inueniuntur, in vnum corpus collectae q) habentur, ista inscriptione orna-

ornatam: *Opuscula omnia actis eruditorum Lipsiensibus inserta, quae ad vniuersam mathesin, physicam, medicinam, anatomicam, chirurgicam & philologiam pertinent.* Obseruatum autem est in nouis litterariis Lipsiensibus anni 1740. pag. 689. seqq. hunc conatum atque laborem valde confusum, nullo seruato ordine, pluribusque laborantem defectibus, nec non multis mendis typographicis deformatum prodiisse; adeo, vt autores, seu collectores actorum eruditorum consilium ceperint de emendando hoc instituto. Constituerunt enim secum ipsi, manum admouere in posterum, & peculiaria, ad quamlibet ita dictarum facultatum pertinentia, volumina concinnare lucique exponere publicae, in quibus omnes ad quamcunque disciplinam spectantes recensiones, quae in actis illis sparsae passim deprehenduntur, multo accuratiori ordine seruato, plenius quoque & aptius dispositae, sint compariturae. Quod si fiat, medicis quoque eiusmodi labor non nisi vtilis atque iucundus esse poterit.

q) Videantur noua litteraria Lipsiensia anni 1740. pag. 689. seqq.

CAP. VII.

DE COLLECTIONIBVS MEDICIS.

§. I.

Collectionum quidem medicarum praecipuarum lectu dignam consignationem iam dudum nobis exhibuit IOH. ALBERTVS FABRICIVS in *Graecae* suae *bibliothecae volumine* XII. quoniam vero harum variae ibidem sunt praetermissae, aliae contra nimis concise delibatae tantum a), aliae denique suis hinc inde defectibus laborant atque erratis; non iniucundum fore,

fore, credidi, historiae litterariae studiosis, si de collectionibus partim vtilibus atque momentosis, partim raris quidem, sed nihilo minus tamen plane inutilibus, obseruationes ob oculos eorum exponantur sequentes.

a) Probaui hoc iam ratione *Articellae*, quae dicitur, aliarumque quarundam collectionum. Videantur *Der kurzen Nachrichten von den Büchern vnd deren Vrhebern in der Stollischen bibliothec.* pars XIII. p. 397 - - 414. & pars XIV. pag. 469 - 486.

§. II.

Quum vero eiusmodi opera ad vnum eundemque non colliment scopum, coniunctis scilicet in quibusdam collectionibus diuersis tractatibus, qui de omnismodi totius artis medicae partibus agunt; in aliis contra talibus tantum selectis libris, qui hanc illamue medicinae partem seorsim respiciunt: consultum mihi visum est, ad eo distinctius proponendam hanc rem, diuidere hoc ipsum caput in duas sectiones; ita, vt in priore, de collectionibus medicis generalibus, in posteriore vero, de collectionibus medicis specialibus, acturus sim: idque ea ratione, vt seriem chronologicam semel probatam hic quoque sequar, & vbiuis maxime necessaria proferre in medium coner.

CAP. VII. SECT. I.

DE COLLECTIONIBVS MEDICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

De collectionibus medicis generalibus saeculi XV. §. 1 - 3. *Saeculi XVI.* §. 4 - - 14. *Saeculi XVII.* §. 15. 16.

§. I.

Initium hic faciendum, video, ab ita dicta *Artisella*, siue, *Articella* a), qui quippe liber, suam ob aetatem

tem b), multiplicem editionem c), pristinam autoritatem d), & ob sui, nostro quidem tempore, raritatem, notatu omnino dignus videtur. Inscriptio operis eiusmodi est: *Articella. Ista sunt opera, que in hoc preclaro libro continentur. I. Liber* IOANNITII, *qui dicitur isagoge in greco. II. Libellus de pulsibus* PHILARETI. *III. Libellus* THEOPHILI *de vrinis. IV.* HYPPOCRATIS *Aphorismi in ordinem collecti. V. Aphorismi eiusdem cum commento* GALIENI. *VI. Liber pronosticorum, cum translatione noua & antiqua. VII. Liber regiminis acutorum continens quatuor particulas. VIII. Liber epidimiarum* HYPPOCR. *cum commento 8. particulas continens. IX. Libellus* HYPPOCR. *qui intitulatur de natura foetus. X. Liber* GALIENI, *qui dicitur tegni, siue, ars parua. XI. Libellus* GENTILIS DE FVLGINEO *de diuisione librorum* GALIENI. *XII. Libellus de lege* HYPPOCR. *& libellus, qui dicitur, iusiurandum.* Venetiis 1513. fol.

a) Vocabulum hoc esse diminutiuum ab *Ars*, quo conatus est editor exprimere latine *Microtechnen* hoc ipso opere contentam & pro libro primario habitam; id equidem iam monere me, memini, in *den Nachrichten von der Stollischen Bibliothec*, part. XIII. p. 399. vbi obseruatum simul a me, IOH. ALB. FABRICIVM *Bibliothec. graecae* vol. XII. p. 651. sine ratione scripsisse, *Artis cella*.

b) Fuit enim haec omnium saeculo XV. impressarum collectionum medicarum omnino prima.

c) Ita mihi innotuere ex LINDENIO *renouato*, REINESIO, FABRICIO & *Bibliotheca Meibomiana*, sequentes, exempli gratia, editiones. Venet. 1483. 1487. 1493. 1513. 1523. fol. Lugdun. 1515. 1534. 8. & Argentorat. 1535. 8. In *Bibliotheca* quidem *Almeloveeniana* p. 89. seq. adducitur etiam editio Lugdunensis anni 1527. 4. ego vero vix crediderim consignationem istam esse completam.

d) Vid. REINES. *Epist. ad* HOFMANN. & RVPERT. p. 38. vbi ex MANARDO obseruauit, huius voluminis tantam fuisse seculis barbaris autoritatem, vt quisque, instar tabularum Mosaicarum, id coluerit.

§. II.

Fundamenta autem huius operis posuit, & prima veluti eius stamina duxit, procul dubio Salernitano-

tanorum medicorum aliquis, idque si non decimo iam tertio, saltim quarto decimo saeculo: qui nimirum translationes e) quorundam librorum *Hippocraticorum* atque *Galenicorum*, a CONST. AFRICANO, ARNOLDO VILLANOVANO, NICOLAO RHEGINO aliisque adornatas, eum in finem collegit, vt iuuentuti, in Salernitano collegio litteris operam nauanti, enchiridion aliquod atque compendium artis medicae, optimorumque, qui de eadem scripserunt, autorum in manus traderet. Haec ipsa adeo collectio, etiamsi tam eo tempore, quo manu exarata tantum exstabat, quam postea, quando typis exscripta fuit, diuersas a GREG. A VVLPE, HIER. DE SALIIS, atque aliis quibusdam nacta sit accessiones atque emendationes: fateri tamen nihilominus nos oportet, hoc opus esse ex numero illius generis librorum, qui rariores quidem sunt, parum tamen bonae frugis habent. Id quod pluribus in allegata modo *Stollianorum* librorum recensione ex instituto probatum dedi.

e) Hae ipsae tamen versiones non e graecis fontibus, sed maximam sui partem ex Arabum interpretationibus sunt transfusae.

§. III.

Aphorismi Rabbi MOSES f), IOH. DAMASCENI, & RASIS *cum prognosticis* YPOCRATIS, *quae fuerunt inuenta in suo sepulcbro in capsa eburnea*, Bononiae anno 1489. 4. primum vna impressi, deinde vero Venetiis anno 1497. & 1508. folio, vt & Basileae 1579. 8. supplementis tamen quibusdam adiectis, recusi, admodum rari sunt hodie, paruo tamen rei medicae damno, carere hac collectione possumus; quum vtilissimos aeque ac selectissimos illos IANI DAMASCENI aphorismos, pariter atque RHASIS, in operibus horum medicorum simul editis inuenire nobis liceat. *Fasciculus medicinae compositus per* IOHANNEM DE KETHAM, *in quo continentur* 1) *Iudicia*

vrinarum cum ſuis accidentibus. 2) *Tr. de Flebotomia.* 3) *de Cyrogia* g) 4) *de matrice mulierum & impraegnatione.* 5) *Conſilia vtilisſima contra Epidimiam.* 6) MVNDINI *Anatomia totius corporis humani.* 7) RHASIS *Tr. de aegritudinibus puerorum & earum cura*, Venetiis 1495. fol. luci expoſitus, ibidemque anno 1500. & 1522. eadem forma, auctior tamen h), prelo denuo ſubſtratus, pertinet ad illud librorum genus, qui, quum raro inueniantur, exigui quoque ſunt vſus, ſtilo praeterea barbarisſime, vt ita loquar, latino ſcripti. *)

f) Hoc nomine venit MOSES MAIMONIDES.

g) Seu potius, *Chirurgia.*

h) Poſteriori enim editioni acceſſit ALEX. ACHILLINI *Anatomia & liber de venenis omnium mineralium.*

*) GESNER. *Bibliothec. vniuerſ.* p. 429. Faſciculus medicinae, liber ſermone impurisſimo conſcriptus.

§. IV.

Saeculo decimo ſexto in conſuetudinem veluti abibant collectiones medicae. MAGNINI, *Mediolanenſis, regimen ſanitatis; (qui liber* ARNOLDO VILLANOVANO *adſcribitur.) Opuſculum de flebotomia. Aſtronomia* HIPPOCRATIS *de variis aegritudinibus & morbis. Secreta* HIPPOCRATIS. AVERROES *de venenis. Item quid pro quo apothecariorum, cum non nullis* AVICENNAE, quod opus Argentorati anno 1503. 4. excuſum, & Lugduni 1517. ſimili forma recuſum, eidem, cui praecedens, cum ob raritatem, tum ob perexiguam ſui vtilitatem, accenſendum eſt classi. Illa e contrario collectio, quam ALBANVS TORINVS curauit, paullo maioris i) eſt momenti. Titulus eius eſt eiusmodi. *De re medica huic volumini inſunt :* SORANI EPHESII *peripatetici & vetuſtisſimi archiatri, in artem medendi iſagoge, hactenus non viſa.* ORIBASII *Sardiani* k) *fragmentum de victus ratione, quolibet anni tempore vtili, antea nunquam editum.* C. PLINII SECVNDI *De re medica* l) *libri V. accuratius*

re-

recogniti, ac, nothis ac pseudepigraphis semotis, ab innumeris mendarum millibus, fide vetustissimi codicis, repurgati. L. APVLEII *Madaurensis, philosophi platonici, de herbarum virtutibus vere aurea & salutaris historia, e tenebris* m) *eruta, & a situ vindicata. Accessit his, vice coronidis, libellus vtilissimus de Betonica, quem quidam* ANT. MVSAE, *non nulli* L. APVLEIO *adscribendum autumant, nuper excusus. Praeterea rerum & verborum locupletissimus index.* Basileae ex officina Andr. Cratandri 1528. fol.

i) Splendidissime enim adornata est. Charta candida atque firma, characteres maiores, elegantes ac mundi, atramentum nigerrimi coloris, omnia litterarum compendia, quas abbreuiaturas dicere solemus, hinc sunt proscripta; index quoque longe antecellit omnes superiorum collectionum indices; minime tamen comparandus cum HENR. STEPHANI labore, principibus artis medicae impenso. Quantum autem ad scripta hoc opere contenta adtinet; dixi de illis ex instituto in *den Nachrichten von der Stollischen Bibliothec.* Part. XIII. p. 409. seqq.

k) Error hic est, quem cum multis aliis TORINVS errauit; neque enim Sardibus oriundus fuit ORIBASIVS, sed, teste EVNAPIO, Pergamo.

l) Neutri PLINIORVM, nec seniori, nec iuniori, hosce libros recte tribui; multo minus autem PLINIO VALERIANO, solide probauit IVST. GODOFR. GÜNZIVS in *Libello de auctore operis de re medica, vulgo* PLINIO VALERIANO *adscripti,* Lipsiae 1736. 4. edito.

m) In eo quoque errauit TORINVS, quod credidit, botanicum APVLEII opus nunquam antea impressum fuisse. In *Bibliotheca* enim *Riuiniana* p. 573. sequens editio indicatur: APVLEII, *Platonici, Herbarium ad* MARCVM AGRIPPAM. Romae 8. mai. ap. *Philippum de Lignamine. Edit. antiquiss.* c. fig. illum. Quum igitur isthaec editio viris in notitia libraria versatissimis, e. gr. LINDENIO, MERCKLINO, DAN. CLERICO, immo vel ipsi IOH. ALB. FABRICIO, vt & ANT. MONGITORI in *Bibliotheca Sicula* T. I. p. 76. seq. omnino incognita manserit; non est, quod quis miretur, historiam illam herbarum APVLEII, quae Basileae & Lutetiae Parisior. vno eodemque anno, nempe 1528. fol. edita fuit, hactenus pro prima & antiquissima, erronee tamen, fuisse habitam.

§. V.

COELII AVRELIANI, *Siccensis, tardarum passionum libri.* V. ORIBASII, *Sardi, Euporiston libri* III. *Medicinae compendium lib.* I. *Curationum lib.* I. *Trochiscorum confectio, lib.* I. Basileae 1529. fol. n) vere sunt ex censu librorum vtilium. Quandoquidem autem isthaec opuscula insecuto tempore & melius & plenius euulgata sunt, facile quis praesenti collectione, quam IOH. SICHARDVS minus accuratam procurauit, carere poterit. OCTAVII HORATIANI *Rerum medicarum libri IV.* o) *per* HERMANNVM *comitem a* NVENAR *restituti.* ALBVCASIS, *Chirurgicorum omnium primarii libri* III. *Primus de cauterio cum igne, & medicinis acutis per singula corporis humani membra, cum instrumentorum delineatione. Secundus de sectione & perforatione, phlebotomia, & ventosis, de vulneribus, extractione sagittarum, & coeteris similibus, cum formis instrumentorum. Tertius de restauratione & curatione dislocationis membrorum, cum typis instrumentorum. Argentin. ap. Io. Schottum* 1532. fol. nitide impressi sunt, nec non, propter scripta ALBVCASAE, haud contemnendae vtilitatis; rarior tamen auis in paucorum casses incidens.

n) Non autem in 8. qui est error LINDENII *renouati* p. 858.

o) *Quorum* I. *logicus, de curationibus omnium fere morborum humani corporis;* II. *de acutis & chronicis passionibus;* III. *de mulierum accidentibus & curis eorundem.* IV. *de physica experientia agit.* Quam parum vero inscriptioni primi atque vltimi horum librorum cum rebus in iisdem contentis conueniat, CLERICVS indicauit in *Histoire de la medecine* pag. 495. seqq.

§. VI.

Physica S. HILDEGARDIS, *elementorum, fluminum aliquot germaniae, metallorum, leguminum, fructuum & herbarum, arborum & arbustorum, piscium denique, volatilium & animantium terrae naturas & operationes IV. libris mirabili experientia posteritati tradens.* ORIBASII *Medici de simplicibus libri V.* THEODORI *Physici dieta,*

ta, docens, quibusnam salubriter vtendum, vel abstinendum. ESCVLAPII *Liber vnus, de morborum, infirmitatum, passionumque corporis humani caussis, descriptionibus & cura.* Argentor. ap. Io. Schottum 1533. fol. collectionibus illius generis annumeranda venit, quae exterius quidem pulchrae & visu magnificae comparent, interius autem exigui p) sunt pretii. Etiamsi enim physica s. HILDEGARDIS omnium a germanis editorum operum physicorum & antiquissimum & rarissimum q) habetur; ob stilum tamen & scribendi genus summe barbaricum r), simulque ob propositas ibi opiniones superstitiosissimas pariter ac absurdissimas de viribus & virtutibus simplicium, totum pene eiusmodi est argumenti, vt honori ac famae istius inter diuas habitae abbatissae non nimium derogaturus sit, qui physicam hanc pandectas fabularum anilium appellauerit.

p) Videantur *die Nachrichten von der Stollischen Bibliothec* part. XIV. p. 469. seqq. quo loco particulatim hanc collectionem recensui.

q) SALMASIVS certe in *Exercitationibus Plinianis*, vt testatur index autorum adioctus, non allegauit illud. REINESIVS porro, qui, in *Variis lectionibus*, de scriptoribus medii aeui, perpulchras obseruationes dedit, ne minimam quidem eiusdem facit mentionem. CONRINGIVS quoque in *Introductione in artem medicam*, aeque ac MORHOFIVS in *Polyhistore* physico, silentio illud praetereunt. REIMMANNVS denique, in notitia librorum nulli secundus, fatetur, in *Historia litterar. germanorum* tom. II. p. 307. ingenue, vlterius sibi hanc ipsam physicam non innotuisse, quam quod allegatam eam a VOSSIO libro IV. *De ortu & progressu idololatriae* p. 87. seqq. inuenerit.

r) Legatur tantum praemissus physicae elenchus summorum capitum cuiusque libri, idque oculis fugitiuis saltim: vnde ex lemmatibus, de *Brunnecrasso, bachminza, rümisch menta, himmelschlüssela, holzduba, ringelduba, schnepfa, amsla, droesla, isenbardo, wespa*, multisque eiusdem farinae aliis, facile quis coniiciat, quam faceta quamque iucunda sit ipsa harum rerum tractatio.

§. VII.

Si cui contigerit nancisci GEORG. KRAVT *Experimentarium medicinae*, Argentinae ap. Io. Schottum

tum 1544. fol. impressum; is facillime supersedere poterit collectione praecedente. Complectitur enim opus modo nominatum non solum *Physicam* HILDEGARDIS, ORIBASII *libros V. de simplicibus*, THEODORI *Diaetam*, &, ESCVLAPII *librum de morborum, infirmitatum, corporisque accidentium caussis, descriptionibus & cura;* sed exhibet etiam praeterea TROTVLAE *curandarum aegritudinum muliebrium, ante, in, & post partum, librum vnicum, nusquam* s) *antea editum, quo foeminei sexus accidentes morbi & passiones, infantium & puerorum a partu cura, nutricis delectus, & reliqua iisce adnata, experimenta denique variarum aegritudinum, cum quibusdam medicamentis, decorationi corporis inseruientibus, edocentur;* & OCTAVII HORATIANI *rerum medicarum libros IV.* Typi pariter ac charta sunt eiusmodi, vt contentus iisdem possessor libri esse queat; ipsa tamen haec collectio est e numero librorum rariorum.

s) Erroneum adeo est, quod IO. ALB. FABRICIVS *Bibliothec. graec.* volum. XIII. p. 191. scripsit: HILDEGARDIS *de Pinguia*, cuius quatuor libri physicorum *cum* TROTA, *seu* TROTVLA *Salernitana*, & aliis medicis antiquis latinis, prodiere Argentorati 1533. & 1544. fol. apud clarissimum CAVEVM male distinguitur ab HILDEGARDI, abbatissa monasterii S. Ruperti in monte ad Bingiam, siue, in Pingis prope rhenum fluuium, circa A. C. 1180. cuius reuelationes habemus; certum enim est, TROTVLAM in editione illa physicae *Hildegardianae*, quae Argentinae 1533. expressa fuit, non inueniri.

§. VIII.

Potioris longe momenti est Aldina nonnullorum veterum latinorum medicorum collectio, cuius inscriptio talis est: *Medici antiqui omnes, qui latinis litteris diuersorum morborum genera & remedia persecuti sunt, vndique conquisiti, & vno volumine comprehensi,* t) *vt eorum, qui se medicinae studio dederunt, commodo consulatur.* Venetiis ap. Aldi filios 1547. fol. Dolendum autem, insigne hoc opus nimis raro in conspectum venire. MELETII *De natura structuraque hominis*

minis opus. POLEMONIS *Naturae signorum interpretatio.* HIPPOCRATES *De hominis structura.* DIOCLIS *ad* ANTIGONVM *regem de tuenda valetudine epistola.* MELAMPI *De naeuis corporis tractatus*, NIC. PETREIO *interprete.* Venet. 1552. u) 4. Ista quoque sylloge raris quidem accensenda est libris; sed iis, qui exigui simul sunt momenti.

t) Continentur: CORNELIVS CELSVS *De medicina.* QVINTI SERENI *medicina.* TROTVLAE *Curandarum aegritudinum muliebrium ante, in & post partum, liber vnicus.* IANI CORNARII *Epistola de Hippocraticae medicinae dignitate.* MARCELLI *Epistola ad filios.* LARGI DESIGNATIANI *Epistolae.* PLINII SECVNDI *Epistola de medicina.* CORN. CELSI *Epistola ad* IVL. CALLISTVM. *Eiusdem epistola ad* PVLLIVM NATALEM. VINDICIANI *Epistola ad* VALENTINIANVM *Imperatorem.* MARCELLVS *De medicamentis.* SCRIBONII LARGI *De compositione medicamentorum liber.* SORANI EPHESII *In artem medendi isagoge saluberrima.* C. PLINII SECVNDI *De re medica libri V.* L. APVLEII *Madaurensis, de herbarum virtutibus, historia.* ANT. MVSAE *Libellus de betonica.* AEMILIVS MACER *De herbarum virtutibus, cum* IO. ATROCIANI *Commentariis.* STRABI GALLI *Hortulus.* COELII AVRELIANI *Chronicon libri V.* THEODORI PRISCIANI, *seu*, OCTAVII HORATIANI, *Rerum medicarum libri IV.* *Vid.* IO. ALB. FABRICII *Bibliothec. latin.* lib. IV. cap. 12.

u) Non autem 1652. qui est error LINDENII *renouati* p. 842.

§. IX.

De Balneis omnia, quae exstant apud graecos, latinos & arabes, tam medicos, quam quoscunque caeterarum artium probatos scriptores, qui vel integris libris, vel quoque alio modo hanc materiam tractauerunt, nuper hinc inde accurate conquisita & excerpta, atque in vnum tandem volumen redacta. In quo aquarum ac thermarum omnium, quae in toto fere terrarum orbe sunt, metallorum item, & reliquorum mineralium naturae, vires & vsus exquisitissime explicantur. Venetiis apud Iuntas 1553. fol. Autores, quorum scripta in hac collectione, aut integra, aut excerpta, habentur, a IO. ALB. FABRICIO in *Bibliotheca graec.* volum. XII. p. 723. seqq. ordine elemen-

mentario recensita leguntur; quorum prolixum indicem denuo huc transscribere w), idem foret, ac, nec tempori nec chartae parcere. Sufficiat hoc loco indicasse; opus hocce inter libros rariores locum inuenire; eoque, quo primum euulgatum est, anno, a completi operis forma parum absuisse; successu autem temporis, & postquam scripta alia huius argumenti longe pulchriora solidioraque in lucem litterariam publice sunt exposita, idem admodum imperfectum x) vsuique parum commodum merito iudicari.

w) Horum praecipui, quique prae reliquis momentum trahant, forsitan erunt sequentes: ALCADINVS *De balneis Puteolanis.* ALEARDVS PINDEMONTIVS *De balneis Calderii.* ANTON. FVMANELLVS *De aquis Calderianis.* IO. ANTON. PANTHEVS *De fontibus Calderianis.* ANTON. GVAINERIVS *De balneis ciuitatis Aquensis in Monteferrato.* CONRADVS GESNERVS *De germaniae & heluetiae thermis.* GVIL. GRATAROLVS *De thermis Rheticis agri Bergomatis.* GEORG. FRANCIOTTVS *De balneo Villensi.* IO. ELYSIVS *De totius Campaniae balneis.* LVDOV. PASINVS *De thermis Patauinis.* LAVRENT. BERTOLINVS *De balneo Corsennae.* LVDOV. ZIMALIA *De balneis S. Pancratii.* MATTHAEVS BENDINELLVS *De balneis Luccensibus Villae & Corsennae.* MENGVS BLANCHELLVS *De balneis.* MICH. SAVONAROLA *De balneis & thermis* &c.

x) Quod si enim residua eiusdem argumenti scripta in vnum corpus cogenda essent, altero, immo tertio tanto maior inde exstitura foret collectio: quum iam saeculo XVI. ANDR. BACCII *Libri VII. de thermis*, Venetiis 1571. & 1588. fol. exeusi, nec non auctiores Patauii 1711. fol. recusi sint. Vid. *Giornale de' Letterati d'Italia* tom. VIII. p. 77-120. Ex quo libro simul apparet, errasse IO. ALB. FABRICIVM, quando in *Bibliographia antiquaria* pag. 649. putauit, postremam BACCII editionem Venetiis 1712. fol. prodiisse.

§. X.

Circiter medium saeculi sexti decimi Regiomonti lingua germanica prelo exibat sequens sylloga: *Arzeney-Buch, darin befunden werden* 1) TARQVIN. OCYORI, *seu*, SCHNELLENBERGII *zwanzig Wurzel vnd Kräuter mit ihrer Eigenschaft vnd Gestalt wieder die Pestilenz.*

ſtilenz. 2) MAGNI HVNDT *Regiment wieder etliche Kranckheiten der Bruſt, wieder das Podagram, wieder die Franzoſen.* 3) IOH. VON PARISIIS *neue Wund-Arzeney.* 4) LAVR. BVRRES *neue Wund-Arzeney.* 5) IOH. CHARETANI *Wund-Arzeney.* 6) LANFRANCI *Chirurgia.* 7) EVRICII CORDI *wieder die grauſame Plage des Steins Webethun.* 8) HIERON. BOCK *Regiment wieder das Haupt-Webethun vnd Bräune.* 9) *Für allerley Webethuns, Kranckheiten vnd Gebrechen der Zähne.* 10) IOH. SCHOENERI *bewährte Arzeney vor mancherley Kranckheiten des Leibes.* 11) *Neuer* ALBERTVS MAGNVS *de ſecretis naturae, gebeſſert durch* QVINT. APOLLINAREM. 12) *Regiment der Geſundheit vor die jungen Kinder.* 13) TARQVINII SCHNELLENBERGII *Büchlein von Balſamen, Oelen, Wund-Träncken, Pflaſter vnd vnguentum zumachen.* Königsberg 1555. 4. bey Iohann Daubmannen mit Figuren. Opus iſtud, vna cum antecedente, referendum eſt inter raros libros, quo tamen, ratione argumenti ipſius, noſtro hoc tempore vix indigemus.

§. XI.

Quemadmodum *Aldi*, editis iunctim latinis medicis, magnam famam conſecuti fuerant: ita viginti poſt annis, editione cum latinorum tum graecorum medicorum ſimul procurata, longe maiorem acquirere, & de orbe litterato bene mereri ſtuduit HENR. STEPHANVS. Collectionis eius excellentisſimae & nunquam ſatis laudandae titulus eſt iſthic: *Medicae artis principes poſt* HIPPOCRATEM & GALENVM. *Graeci latinitate donati:* ARETAEVS, RVFFVS EPHESIVS, ORIBASIVS, PAVLVS AEGINETA, AETIVS, ALEXANDER TRALLIANVS, ACTVARIVS, NIC. MYREPSVS. Latini: CORNEL. CELSVS, SCRIBON. LARGVS, MARCELLVS EMPIRICVS. *Aliique praeterea, quorum vnius nomen ignoratur. Index non ſolum copioſus, ſed etiam ordine artificioſo omnia digeſta ba-*

habens. HIPPOCRATIS *aliquot loci cum* CORNEL. CELSI *interpretatione. Anno* 1567. fol. *Excudebat* HENR. STEPHANVS, *illustris viri* HVLDRICHI FVGGERI *Typographus.* Locus impressionis non est nominatus; adeoque nescio, qui factum sit, vt non nulli auderent, modo Lutetiae Parisiorum y), modo Lugduni z), modo Geneuae a) nomen, in quibusdam catalogis, titulo adiicere? Hoc vero certum, scripta omnium hac sylloga contentorum medicorum, quae singula mere latina hic habentur, adeo nitide & emaculate impressa & expressa comparere, integram quoque collectionem indice tanto labore confecto adeoque vtili & commodo instructam esse, vt nihil magis sit dolendum, quam quod eximium hocce summeque vtile opus, ob sui raritatem, nimis comparatu sit difficile; quodque facta a D. BOERHAAVIO spes nouae editionis, morte huius docti viri, euanuerit.

y) Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 219, RHODII *Introduct. ad medicin.* pag. 140.

z) Vid. *Bibliothec. Almeloueenian.* pag. 63.

a) Vid. *Catalog. vniuersal. Willerianum.* p. 331.

§. XII.

Quoniam autem in *Stephanica* ista collectione diuersi tractatus comparent, quorum in titulo nulla facta fuit mentio; sciendum, praeter iam nominatos, CASSII FELICIS, *Iatrosophistae, quaestiones medicas, siue problemata;* SEXTI *Platonici libros* II. *de medicina ex animalibus;* PHILARETI *de pulsuum differentia libellum;* THEOPHILI, *de exacta retrimentorum vesicae cognitione, libellum; Incerti* b) *autoris de podagra libellum;* Q. SERENI SAMMONICI *de medicina praecepta saluberrima;* Q. RHEMNII FANNII, *siue,* REMI FAVINI PALAEMONIS *de ponderibus & mensuris, librum;* vna cum quibusdam HIPPOCRATIS, LARGI DESIGNATIANI, CORN. CELSI, PLINII SECVNDI, & VINDICIANI *Epistolis*, praestanti huic operi inserta

ferta esse: SORANVM contra, IOH. ALEXANDRINVM, MOSCHIONEM, NONVM, praecipue autem notatu adeo dignum illum COELIVM AVRELIANVM, nescio, qua de caussa, obliuioni datos, planeque omissos fuisse.

b) ANDREAE RIVINI coniectura est, libellum isthunc deberi DEMETRIO PEPAGOMENO. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 219.

§. XIII.

Clarissimorum quorundam medicorum libri quatuor: I. De pulsibus ex GALENO *collectus & quasi in formulam redactus,* II. *De iudiciis vrinarum*, IOH. VASSAEO *auctore*. III. *Morborum internorum methodica curatio, per* IACOBVM SYLVIVM *selecta*. IV. *De ratione victus in febribus secundum* HIPPOCRATEM. *Auctore* BRVDO, *Lusitano medico, Dionysii filio, opus omnibus rem medicam exercentibus vtilissimum. Coloniae Agrippinae ap. Petrum Horstium* 1579. 8. An isthaec sylloge tantae sit vtilitatis, quanta in titulo iactatur, equidem dubito: siquidem excerpta ex GALENO atque HIPPOCRATE non omnino optimo delectu sunt inde petita, liber ipse vero variis mendis typographicis multo magis foedatus est. E contrario, *Medici antiqui graeci:* ARETAEVS, PALLADIVS, RVFFVS, THEOPHILVS, a IVNIO PAVLO CRASSO *latinitate donati*, qui Basileae anno 1581. 4. apud *Petrum Pernam* sunt impressi, maiori correctionis & emendationis laude sese commendant; quanquam & hac quoque ipsa sylloge facile carere poterit, qui HENR. STEPHANI *Principes artis medicae* possederit. ANDREAE RIVINI *Collectanea veterum bonorum scriptorum de medicina* Lipsiae 1654. 8. emissa, haud vlterius noui, quam, quatenus illa in LINDENIO *renouato* p. 53. allegata vidi. Oportet autem rariora eorundem inueniri exemplaria, quum ne in ipsa quidem *Riuiniana Bibliotheca* eorum mentio occurrat. Interim e I. A. FABRICII *Biblioth. graec.* volum. XII. p. 614. id disco, quod

quod SEXTI PLACITI *Medicina ex animalibus*, SERENI SAMMONICI, *Praecepta de medicina*, MARCELLI EMPIRICI, *seu*, VINDICIANI, *Carmen de medicina*, *& Epistola ad* VALENTINIANVM, RHEMNII FANNII *Libellus de ponderibus & mensuris*, CONSTANTINI AFRICANI *De animalium virtutibus naturalibus tractatus*, & THEODORI *Diata*, in iisdem collecta fuerint.

§. XIV.

Prius quam sectioni huic priori finem imponam, de illis collectionibus, in quibus diuersorum medicorum epistolae & consilia vna impressa sunt, exhibita, pauca quaedam adhuc in medium adferam. Eiusmodi collectionum vetustissima, ni fallor, erit ea quae sequitur, ita inscripta: *Epistolae medicinales diuersorum auctorum*, IO. MANARDI, NIC. MASSAE, ALOISII MVNDELLAE, IO. BAPT. THEODOSII, IOH. LANGII. *Cum indicibus duobus, quorum prior epistolarum argumenta, posterior rerum ac vocum toto opere memorabilium elenchum continet.* Lugduni 1557. fol. Insecuto tempore LAVR. SCHOLZIVS *a Rosenau* peculiares tum epistolarum, tum & consiliorum syllogas in lucem exposuit publicam. Prioris generis sylloga hoc ornata titulo comparuit: *Epistolarum philosophicarum, medicarum ac chymicarum, a summis nostrae aetatis philosophis ac medicis exaratarum; volumen; opus, cum ob remediorum saluberrimorum copiam, tum ob variam doctrinam, ac varii generis difficilium & obscurarum quaestionum explicationem, non solum medicis, verum etiam philosophis, vtile ac necessarium*, Francofurti 1598 fol. Posterioris vero, ita inscripta: *Consiliorum medicinalium conscriptorum a praestantissimis atque exercitatissimis nostrorum temporum medicis, liber singularis. Opus, cum ad grauissimorum affectuum curationem, tum ob doctrinae varietatem, omnibus medicinam exercentibus summe necessarium, ac maxime fructuosum*, eodem loco eodemque anno 1598. eadem etiam folii forma, est excusa;

cusa; vtraque vero postea Hanouiae 1610. fol. recusa. Eiusdem viri docti opera & cura, IOH. quoque CRATONIS A KRAFFTHEIM *Consiliorum & epistolarum medicinalium libri* VII. *vna cum inmixtis multis aliorum medicorum epistolis*, initio singulatim c), sunt editi, vltima autem vice tandem Moeno-Francofurti 1671. constantes aliquot formae octopartitae voluminibus, iunctim optimo habitu prodiere.

c) Vid. MERCKLINI LINDEN. *renouat.* p. 562.

§. XV.

Recentioribus ex temporibus, locum forsitan hic aliquem meruerint collectiones sequentes: *Epistolae* HIPPOCRATIS, DEMOCRITI, HERACLITI, DIOGENIS, CRATETIS, *aliorumque ad eosdem. Nunc primum editae graece simul ac latine per* EILHARDVM LVBINVM. *Ex officina Commeliniana.* 1601. d) 8. ex parte huc e) pertinent, nitidissimis atque elegantissimis exscriptae characteribus, IOHAN. WITTICHII *Consilia, obseruationes, atque epistolae medicae nobilissimorum ac doctissimorum germaniae medicorum collecta*, Lipsiae 1604. 4. impressa, propter argumentum suum, potiorem adhuc locum hic obtinere possunt. *Consilia medicinalia, tum mixtim praestantissimorum italiae medicorum, tum seorsim* ANT. MARIAE VENVSTI, *de grauissimis humani corporis malis curandis, vna cum* IVLII CAESARIS CLAVDINI *breuibus quidem sed summe vtilibus aliquot tractatibus, collecta, digesta, polita ac edita a* IOSEPHO LAVTENBACHIO. Francofurti 1605. 4. lectu sunt vtilia, atque bonae frugis. Idem dici potest quoque de *Consiliis medicis celeberrimorum quorundam germaniae medicorum, collectis, & partim etiam ex idiomate germanico conuersis a* IOAN. BRENDELIO. Francofurti 1615. 4.

d) Non autem anno *1600.* vt vult LINDENIVS *renouatus* pag. 257. seq.

e) Idque propter HIPPOCRATIS & DEMOCRITI epistolas.

§. XVI.

§. XVI.

IO. HORNVNGI *Cista medica, in qua epistolae clarissimorum germaniae medicorum, familiares & in re medica, tam quoad hermetica & chemica, quam etiam galenica principia, lectu iucundae & vtiles, cum diu reconditis experimentis asseruantur.* Norimbergae anno 1625. 4. prodibat in publicum litterati orbis conspectum, Lipsiae mox anno 1661. eadem forma denuo imprimenda. *Virorum clarissimorum ad* GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM *Epistolae selectiores, rem litterariam, philosophiam naturalem ac medicinam potissimum spectantes. Recensuit, simulque vitam* SCHELHAMMERI, *cum indice scriptorum eius, tam editorum, quam praelo destinatorum & promissorum praemisit* CHRISTIANVS STEPH. SCHEFFELIVS. Wismariae 1727. 8. continent multa pulchra lectuque perquam digna: vtiliores vero melioresque f) futurae fuissent, si responsoriae D. SCHELHAMMERI iisdem adiectae legerentur.

f) Vid. cap. VI. sect. II. §. 8.

CAP. VII. SECT. II.

DE COLLECTIONIBVS MEDICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

De Collectionibus anatomicis, §. 1. 2. De Collectionibus scriptorum materiae medicae, §. 3 - 5. De Collectionibus therapeuticis, §. 6 - 12. De Collectionibus pharmaceuticis, §. 13 - 15. De Collectionibus chirurgicis, §. 16 - 21. De Collectionibus diaeteticis, §. 22. 23.

§. I.

In recensendis collectionibus particularibus, ab anatomia initium facere lubet. GVIL. HARVEI, IAC. PRIME-

PRIMEROSII, AEMIL. PARISANI, ROGER. DRAKE, HENR. REGII, IOH. WALAEI *Disceptationes de motu cordis, sanguinis & chyli in animalibus*, Lugduni Batauor. anno 1647. 4. iunctim luci expositae, ob controuersias circa sanguinis circuitum obortas, legi merentur. *Collegium anatomicum clarissimorum trium virorum*, IVL. IASOLINI, MARC. AVREL. SEVERINI, BARTHOL. CABROLII, *collectore* IO. GEOR. VOLCKAMERO, Hanouiae 1654. 4. lucem salutabat litterariam; mox autem, titulo insignitum: *Celeberrimorum anatomicorum*, SEVERINI, IASOLINI & CABROLII, *Varia opuscula anatomica*, auctius a) Francofurti anno 1668. 4. diuulgabatur. ANT. DEVSINGII *De motu cordis & sanguinis, itemque de lacte & nutrimento foetus in vtero dissertationes. Accedunt disquisitiones & dissertationes variae.* Groeningae 1655. 12. Haec collectiuncula complectitur aliquot scripta aliorum b) praeterea medicorum, qui de eadem materia egerunt, quorumque non nullis cum DEVSINGIO hac super re lis intercessit. SIBOLDI HEMSTERHVYSII *Messis aurea, seu Collectanea anatomica, continentia trium praestantissimorum anatomicorum opuscula.* I. IO. PECQVETI *Experimenta noua anatomica.* II. THOM. BARTHOLINI *De lacteis thoracicis historiam anatomicam, cum eiusdem de iisdem dubiis: & vasorum lymphaticorum historiam nouam.* III. OLAI RVDBECKII *Ductus hepaticos aquosos: vasa glandularum serosa: obseruationes: Epistolas variorum:* primum Leidae anno 1654. 12. deinceps vero Heidelbergae 1659. 8. edita, ipso titulo abunde luculenterque indicant, quid in iis quaerendum sit. GALENI *Libellus de ossibus, graece & latine, cum* VESALII, SYLVII, HENERI, EVSTACHII *Exercitationibus ad eandem* GALENI *doctrinam, editus a* IO. VAN HORNE. Lugdun. batauor. 1665. 12. & ipse collectiones inter anatomicas locum commode inueniet.

a) Adiunctae quippe sunt illis *Obseruationes non nullae de chirurgia infusoria,* vna cum THEOD. ALDIS, seu, SLADII, *Dissertatione epistolica de generatione animalium, contra* HARVEIVM.

b) *Accesserunt* : I. *Notae, ad dissertationem de motu cordis & sanguinis, viri alicuius clarissimi.* II. *Commentarius auctoris in dissertationem eandem aduersus notas praedictas.* III. *Obiectiones viri clarissimi* D. IO. ANDR. SCHMITZII *aduersus dissertationem de lacte; atque responsiones auctoris; aliaque huc spectantia.* IV. *Dissertatio de lacte* IOANN. ANTON. VAN DER LINDEN. V. *Exercitatio physiologica de lacte,* HERM. CONRINGII. VI. *Dissertatio de venae sectione in pleuritide, ipsius* DEVSINGII. VII. *Eiusdem* DEVSINGII *oratio panegyrica de iudicii difficultate.*

§. II.

Pulcherrima tamen citra controuersiam magnificentissimaque simul, addo & plenissima collectionum anatomicarum est illa, quae sequenti instructa epigraphe comparuit: *Bibliotheca anatomica, siue, recens in anatomia inuentorum thesaurus locupletissimus, in quo integra atque absolutissima totius corporis humani descriptio, eiusdemque oeconomia, e praestantissimorum quorundam anatomicorum tractatibus singularibus, tum hactenus in lucem editis, tum etiam ineditis, concinnata exhibetur. Adiecta est partium omnium administratio anatomica, cum variis earundem praeparationibus curiosissimis. Digesserunt, tractatus suppleuerunt, argumenta, notulas & obseruationes anatomico-practicas addiderunt* DANIEL LE CLERC, & IO. IACOB. MANGETVS, *M. M. D. D. Cum indicibus necessariis figurisque aeneis.* Geneuae 1685. fol. ibidemque eadem forma altera vice anno 1699. impressa. Totum opus duobus voluminibus absoluitur. Volumine priori pars tantum prima, de infimo ventre agens, continetur. Posteriori autem quinque reliquae exhibentur partes, quarum II. de thorace; III. de capite; pars IV. de ossibus, musculis, neruis, vasis aliis & glandulis; pars V. de oeconomia animali; & pars VI. denique de administratione anatomica agit. Octoginta prope tractatus hic inueniuntur; inter quos pleraque scripta anatomica

FRANC.

FRANC. GLISSONII, THOM. WHARTONI, THOM. WILLISII, RICHARDI LOWERI, IO. SWAMMERDAMII, REGNERI DE GRAAF, THEOD. KERCKRINGII, CAR. DRELINCVRTII, IOSEPHI DV VERNEY, GVIL. BRIGGS, MARCELLI MALPIGHII, CAR. FRACASSATI, LAVR. BELLINI, CASP. ASELLII, GVIL. HARVEI, THO. BARTHOLINI, NIC. STENONIS, OLAI RVDBECKII, MICH. LYSERI, GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI, multorumque aliorum, in hac praestanti optimoque selectu instituta collectione legenda sistuntur.

§. III.

Anatomen excipiat materia medica: cuius intuitu sequentes considerandae veniunt collectiones. *Insignium medicorum volumen, in quo continentur:* IO. SERAPIONIS, *arabis, de simplicibus medicinis opus praeclarum & ingens:* AVERRHOIS *de iisdem liber eximius.* RHAZIS, *filii Zachariae, de eisdem opusculum perutile. Incerti autoris de centaureo libellus, hactenus* GALENO *inscriptus. Dictionum arabicarum iuxta atque latinarum index valde necessarius. In quorum emendata excusione, ne quid omnino desideraretur,* OTT. BRVNFELSII *singulari fide & diligentia cautum est.* Argentorat. 1531. fol. Eidem huic laborioso ac de re botanica bene merito viro c) debemus sequens etiam opus ita inscriptum: *Noui herbarii tomus II. per* OTTON. BRVNFELSIVM, *recens editus.* Argentorat. 1531. d) fol. ap. Ioann. Schottum. *Acc.* I. *Exegesis omnium simplicium* DIOSCORIDAE, *& quomodo iis, quae in officinis seruantur, respondeant.* II. SCRIBON. LARGI *de simplicibus fragmentum.* III. IO. MANARDI *Annotationes aliquot simplicium, e scriptis eius extractae.* IV. NICOL. LEONICENVS *de falsa quarundam herbarum inscriptione a* PLINIO. V. PANDVLPHVS COLLINVTIVS *de interpretatione simplicium, quae sunt apud* PLINIVM, *calumniis* LEONICENI *respondens.* VI. HERM. A NVENAR

Censurae aliae herbarum super eadem re. VII. LEONH. FVCHSII *Annotationes de simplicibus a medicis hactenus perperam intellectis & aestimatis.* VIII. IOACH. SCHYLLERI *Iudicium de caryophyllis.* IX. HIER. TRAGI *Dissertationes fere quinquaginta de herbarum nomenclaturis.* X. MARC. GATINARIAE *Annotatio vna & altera de taraxaco, cichorea, iua, esula & soldanella.* XI. IAC. DE MANLIIS *Interpretatio simplicium, secundum ritum officinarum.* XII. HIER. TRAGI *Herbarii apodixis germanica, ex qua facile vulgares herbas omnes licebit perdiscere.* Vtraque collectio suum habet vsum; posterior tamen amplioris est ambitus maiorisque simul momenti, quam prior: vtraque nilominus rarioribus annumeranda est libris.

c) Vid. STOLLII *Historiam medicinae litterariam:* vbi p. 624. seqq. de ipso pariter ac de herbario eius ex instituto plura dixi.

d) Ita in titulo quidem anni numerus ponitur; reuera tamen anno demum 1532. lucem vidisse hunc librum, testantur verba in calce libri posita: Argentorati apud Ioannem Schottum, librarium 14. Febr. 1532. vnde clare patet, tomum istum anno quidem 1531. coeptum forte, sed 1532. anno demum ad coronidem deductum fuisse.

§. IV.

CONR. GESNERO duas debemus collectiones. Harum prior ita est inscripta: VALER. CORDI *Annotationes in* PEDACII DIOSCORIDIS *de medica materia libros V. longe aliae, quam antehac sunt euulgatae. Acc.* I. *Eiusdem historiae stirpium libri VI. posthumi, nunc primum editi, adiectis stirpium iconibus & breuissimis annotatiunculis.* II. *Sylua obseruationum variarum, qua rerum fossilium in germania plurimarum, metallorum, lapidum, & stirpium aliquot rariorum notitiam persequitur.* III. *De artificiosis extractionibus liber.* IV. *Compositiones medicinales aliquot non vulgares.* V. BENED. ARETII, *Stocc - Hornii & Nesi, in Bernatum heluetiorum ditione montium, & nascentium in eis stirpium, breuis descriptio.* VI. CONR. GESNERI *de hortis germaniae liber recens, vna cum descriptione tulipae turcarum, chamaecerasi montani,*

tani, chamaemespili, chamaenerii, & conizoidis. Omnia a CONR. GESNERO *collecta & praefationibus illustrata.* Tiguri 1561. fol. & Argentor. 1561. fol. Posterior sequentem in fronte praefert titulum: *De omni rerum fossilium genere, gemmis, lapidibus, metallis, & huiusmodi, libri aliquot* e); *plerique nunc primum editi opera* CONR. GESNERI. Tiguri 1565. 8. Vtraque collectio bonae est notae ac frugis; vtraque vero etiam, aeque ac omnia *Gesneriana* scripta, raro inuenitur.

e) Continentur: I. IO. KENTMANNI *nomenclaturae rerum fossilium, quae in Misnia praecipue & in aliis quoque regionibus inueniuntur.* II. *Eiusdem Calculorum, qui in corpore ac membris hominum innascuntur, genera 12. depicta descriptaque cum historiis.* III. *De metallicis rebus ac nominibus obseruationes variae & eruditae, ex schedis* GEORG. FABRICII, *quibus ea potissimum explicantur, quae* GEORG. AGRICOLA *praeteriit.* IV. SEVERINI GOEBELII *De succino libri II. cum corollario* CONR. GESNERI. V. VALER. CORDI *De halosantho, seu, spermate Ceti liber, cum corollario* CONR. GESNERI. VI. S. EPIPHANII *De XII. gemmis, quae erant in veste* AARONIS, *liber, graece & latine, cum corollario* CONR. GESNERI. VII. FRANC. RVEI *De gemmis aliquot, iis praesertim, quarum D.* IOANNES *in apocalypsi meminit, & aliis, quarum vsus hodie apud omnes percrebuit, libri duo.* VIII. CONR. GESNERI *De rerum fossilium, lapidum & gemmarum maxime, figuris & similitudinibus liber, cum iconibus plurimis.*

§. V.

Circa medium saeculi decimi septimi prodibat collectio sequens, grata tum temporis manu suscepta: *Viridaria varia regia & academica publica, in vsum magnatum ac φιλοβοτάνων collecta ac recognita, opera ac studio* SIM. PAVLLI. Hafniae 1653. 12. Continentur: I. *Catalogus plantarum horti regii Hafniae.* II. *Catalogue des plantes, qui sont de present cultiuees au iardin du Roy de Paris, depuis deux ans & demy, qu'il est dresse 1636.* III. *Appendix earum plantarum, quae in proxime praecedenti indice aut catalogo omissae sunt.* IV. *Catalogus plantarum tam exoticarum quam indigenarum, quae 1651. in hortis regiis Warsauiae nasci obseruatae sunt.* V. *Appen-*

dix plantarum, quae ex Hungaria praeterito anno ab Hortulano in hunc hortum transplantatae sunt. VI. *Catalogus alter plantarum horti regii sub arce regia.* VII. *Catalogus tertius plantarum indigenarum, quae in locis paludosis, pratensibus, arenosis & syluis circa Warsauiam nascuntur.* VIII. *Catalogus plantarum horti medici Oxoniensis, eas ordine alphabetico accurate exhibens, 1648.* IX. *Catalogus plantarum horti gymnasii Patauini 1642.* X. *Catalogus plantarum horti academici Lugduno - Bataui, quibus is instructus erat 1649.* XI. *Index plantarum indigenarum, quae in locis paludosis, pratensibus, arenosis & syluestribus prope Lugdun. Batau. nascuntur.* XII. *Appendix plantarum, quae horto publico academico Lugduno-Batauo accesserunt.* XIII. *Catalogus plantarum horti Groeningensis ordine alphabetico conscriptus & editus 1646.* XIV. *Catalogus tuliparum.* XV. *Catalogus caryophyllorum hortensium.* XVI. *Catalogus seminum exoticorum.* XVII. GVIL. LAVREMBERGII *Botanotheca, h. e. modus conficiendi herbarium viuum, in vsum studiosorum medicinae conscriptus.* Quia vero ex illo tempore longe alia facies est hortorum istorum, cum regiorum, tum academicorum, aucto inprimis exoticarum plantarum in immensum hodie numero, quae in iisdem sunt obuiae; facile hinc coniicias, collectionem illam nostra aetate multarum & additionum & emendationum egere.

§. VI.

In therapeuticis longe plures exstant collectiones: quarum non nullae ita adornatae sunt, vt morbos in genere; aliae vero ita, vt hunc vel illum in specie morbum f) respiciant. Ad priorem classem referre licet sequentes: ANT. CERMISONI *Consilia;* GENTILIS DE FVLGINEO *Consilia; Eiusdem Receptae super I. Fen. IV.* AVICENNAE *de febribus; Eiusdem Tr. de balneis;* FRANC. CABALLI *Liber de animali pastillos theriacos & theriacam ingrediente.* Venetiis 1497. fol. IO. MATTHAEI, DE GRADI, *Consilia secundum viam*

AVI-

AVICENNAE *ordinata. Acc. Rabbi* MOYSIS *de regimine vitae quinque tractatus;* RAYMVNDI LVLLII *de secretis naturae Libri II.* BLASII ASTARII *Praecipua quaedam consilia, nunc primum in lucem edita.* Venetiis 1521. fol. BAVERII DE BAVERIIS *XC. Consilia, ad diuersas corporis aegritudines deseruientia;* CASP. TORELLAE *Consilium de aegritudine pestifera & contagiosa ouina cognominata, quam Hispani Modorillam vocant;* ANGELI DECEMBRIS *Consilia de cognitione & curatione pestis;* PET. ANT. RVSTICI *Nouissima expositio capitulorum de igne persico, seu, Carbone, & Althoyn, seu, Anthrace.* Papiae 1521. fol. Singulae hae tres collectiones sunt eiusmodi, vt nostra aetate difficulter fortasse inueniendus sit, qui illis denuo imprimendis expendere sumtus vellet; GENTIL. tamen DE FVLGINEO & MATTH. DE GRADI Consilia haud sine fructu omni consuli ac legi possunt; quorum posterior IOH. quoque RHODIO g) non sine laude dimissus est.

f) Ex. gr. de morbis mulierum; de febribus; de peste; de sudore anglico; de morbo gallico; de morbis veneficis &c.

g) In *Introduct. ad medicinam* pag. 142.

§. VII.

Collectiones therapeuticas speciales quod adtinet, locum hic primum adsignabo illis, quae scripta de morbis mulierum continent. Talium tres diuersae h) latinae habentur editiones. *Primam* harum CASP. WOLPHIVS, inscriptam: *Volumen* i) *gynaeciorum, de mulierum grauidarum, parturientium & aliarum natura, morbis & affectibus,* Basileae 1566. 4. excudendam curabat. *Secunda,* CASP. BAVHINI cura, itidem Basileae 1586. 4. attamen auctior k) luci exponebatur publicae. *Tertia* vero, eaque vltima, quae non ea solum omnia; quae praecedentes continent editiones, in se complectitur, sed praeterea etiam additamentis insignibus l) adaucta est, opera ISRAELIS

SPACHII, sequente ornata epigraphe in publicum prodibat: *Gynaeciorum, siue, de mulierum tum communibus, tum grauidarum, parientium & puerperarum affectibus & morbis, libri graecorum, arabum, latinorum veterum & recentium, quotquot exstant, partim nunc primum editi, partim vero denuo recogniti, emendati, necessariis imaginibus exornati, & optimorum scriptorum autoritatibus illustrati, opera & studio* ISR. SPACHII. Argentinae 1597. fol. Dici adeo vere de tribus hisce collectionibus potest: Primam esse bonam, meliorem alteram, tertiam denique optimam m), adde &, plenissimam n). Germanica e contrario collectio, quae, sine mentione anni, Erfordiae prodiit, quid laudis, quidue vituperii mereatur? dicere equidem non habeo; quum ea mihi vlterius non innotuerit, quam e *Bibliotheca Riuiniana* pag. 394 vbi sequenti inscriptione ornata comparet: *Ehestands Arzeney-Buch, darinnen* I. EVCHAR. ROESLIN *schwangerer Frauen vnd Hebammen Rosengarten.* II. IOH. CVBA *Frauen-Arzeney.* III. ALB. MAGNI *Heimlichkeiten der Weiber.* IV. LVDOV. BONATIOLVS *von sorglichen Zufällen der schwangern Frauen.* V. BARTH. MERLINGER *Kinds-Pflegung.* Erffurth 8. mit Figuren.

h) Vid. IOH. ALB. FABRICII *Bibliothec. graec.* volum. XII. pag. 699. seqq.

i) Continentur: I. CASP. WOLFII *Harmonia gynaeciorum, siue de morbis muliebribus, liber collectus digestusque ex* CLEOPATRA, *ex* MOSCHIONIS *latino veteri interprete, & ex libro matricis dicto, &* THEOD. PRISCIANI *libro tertio ad* SALVIANVM, *qui gynaecia inscribitur* II. *Ex* ALBVCASIS, *medici arabis, libro secundo methodi medendi capita, a 72. ad 78. de ratione curandi aliquot affectus mulierum, & extrahendi foetus, secundinas* &c. III. EROTIS *medici, liberti* IVLIAE, *quem aliqui* TROTVLAM *inepte nominant, muliebrium liber, longe quam ante emendatior.* IV. NIC. ROCHEI *Liber de morbis mulierum curandis* V. LVDOV. BONACIOLI *Muliebrium libri duo.* VI. IAC. SYLVII *Commentarius de mensibus mulierum & hominis generatione.* VII. MOSCHIONIS *de morbis muliebribus liber, distinctus in capita* CLXIII. *graece ex codice manuscripto Bibliothecae Augustanae, cum* CONR. GESNERI *scholiis & emendationibus, nunc primum editus opera & stu-*

& *studio* CASP. WOLFII. VIII. *Anonymi medicamenta quaedam aduersus affectus cutis & capillorum capitis, capita 7. graece in manuscripto codice reperta ad* MOSCHIONIS *calcem.*

k) Duobus constat voluminibus. *Volum.* I. *exhibentur* I. FELICIS PLATERI *icones de mulierum partibus generationi dicatis, vna cum explicationibus.* II. MOSCHIONIS *Liber περὶ γυναικείων, graece cum* GESNERI *scholiis.* III. CASP. WOLPHII *Harmonia gynaeciorum.* IV. EROTIS *Muliebrium, siue, de passionibus mulierum, liber.* V. NIC. ROCHEVS *De morbis mulierum.* VI. LVDOV. BONACIOLI *enneas muliebris ad* LVCRET. BORGIAM, *Ferrariae ducissam, ex vetusto exemplari a mendis innumeris integritati & ordini restituta. Sed omissa praefatio, quae ruborem ducissae* IVLIO II. *non ignotae incutere potuit, legiturque in prima editione Ferrariensi, sine temporis nota in fol.* VII. IAC. SYLVIVS *De mensibus mulierum & hominis generatione.* VIII. IAC. RVEFF *De conceptu & generatione hominis, & iis, quae circa haec potissimum considerantur, libri sex. Volumine* II. *inueniuntur :* IX. HIER. MERCVRIALIS *De morbis muliebribus, circa conceptum, partum, nutritionem partus, & vniuersum vteri statum libri* IV. X. IO. BAPT. MONTANI *De affectibus vterinis libellus, cum eiusdem decem consiliis muliebribus.* XI. VICTOR. TRINCAVELLI *Consilia muliebria tria.* XII. ALBERT. BOTTONI *De morbis muliebribus liber.* XIII. IOANNIS LE BON *Therapia puerperarum.* XIV. AMBROS. PARAEI *De hominis generatione liber.* XV. ALBVCASIS, *Arabis, de morbis muliebribus capita cum instrumentis chirurgicis.* XVI. FRANC. ROVSSETI *De partu caesareo liber,* CASP. BAVHINI *Opera e gallica lingua latine versus.* XVII. IO. ALBOSII *Descriptio lithopaedii Senonensis.*

l) Accesserunt: XIIX. CASP. BAVHINI *De partu caesareo ad* FRANC. ROVSSETVM *Appendix.* XIX. MAVR. CORDAEI *Commentarii in librum priorem* HIPPOCRATIS *De morbis mulierum.* XX. MART. AKAKIAE *De morbis muliebribus libri duo, nunc primum in lucem editi.* XXI. LVDOV. MERCATI *Gynaeciorum siue, de mulierum, virginum, & viduarum, de sterilium & praegnantium, de puerperarum & nutricum passionibus, morbis & symptomatis libri IV.*

m) Loquor hic tantum de interiori pretio, & de conditione scriptorum in ea contentorum. Exteriora enim quantum adtinet, ratione chartae, impressionis, atque characterum, vili admodum habitu incedit, nec cum nitidissimis illis splendideque expressis collectionibus IOH. SCHOTTI comparari vllatenus potest.

n) Intelligendum autem hoc est de temporibus illius saeculi. Post annum enim 1597. tot gynaeciorum scriptores prodierunt in scenam, vt parum absit, quin nona eorundem collectio pari mole

 eadem-

eademque quantitate exhiberi queat. De cetero, elenchum autorum *Spachianae* huius collectionis, qui in LINDENIO *renouato* p. 1079. exhibetur, falsum plane ac imperfectum esse, monere hac occasione non nolui.

§. VIII.

Venetam variorum *De febribus* scriptorum collectionem, collectionum, quae exstant, omnium esse infimam pessimamque, de eo alio loco o) ex instituto dixi. Istius hic est titulus: *De febribus opus sane aureum, non magis vtile, quam rei medicae profitentibus necessarium. In quo trium sectarum clarissimi medici habentur, qui de hac re egerunt. Nempe graeci, arabes & latini, quorum nomina* p) *versa pagina indicabit. Cum indice, tum capitum, tum rerum accommodatissimo.* Venetiis apud *Gratiosum Perchacinum, expensis* CASP. BINDONI 1576. fol. Textus vbique locorum innumeris, saepius plane enormibus, vitiis est foedatus. Index, vnica tantum constans plagula, nullius omnino est vsus: tota quoque totius operis dispositio & veluti oeconomia est eius modi, vt ex subnexa statim titulo serie medicorum in eo contentorum, clarissime apparere possit, non TORINVM aliquem aut GESNERVM rem direxisse & ordinasse q), sed editorem, CASP. BINDONVM, omnia pro arbitrio proprio dispofuisse. Mirari adeo subit, qua ratione inducti tot eruditi viri, interque eos inprimis IO. FREINDIVS r) & IO. ALB. FABRICIVS, s) sibi ipsis aliisque persuadere potuerint, huic collectioni IO. FERNELIVM manum admouisse. Vt enim taceam, editorem ne verbulo quidem in praefatione praemissa eius rei meminisse; IOHANNEM quoque RHODIVM t) in *Introductione ad medicinam, & bibliotheca medica,* vulgari isti opinioni iam dudum contradixisse; alia etiam u) praeterea adsunt argumenta, quae hanc ipsam sententiam non dubiam solum, sed & plane fide indignam w) reddere queant.

o) Vid. Die Nachrichten von der Stollischen Bibliothec Part. XIV. pag. 482. seqq.

p) Sunt

p) Sunt vero sequentia: *Graeci*, HIPPOCRATES, GALENVS, PAVL. AEGINETA, ALEX. TRALLIANVS, AETIVS, ORIBASIVS, NONIVS *medicus*. *Arabes*: AVICENNA, RASIS, ABIMERON AVENZOAR, AVERROIS, ISAAC, SERAPION, HALY-ABATIS, ACTVARIVS. *Latini*: CORN. CELSVS, SERENVS, PLIN. SECVNDVS, GARIOPONTVS, CONST. AFRICANVS, BERN. GORDONIVS, PETRVS DE ABANO, ARNALDVS DE VILLANOVA, PHILONIVS, NICOLAVS NICOLVS. Non integra autem horum medicorum opera, sed ea tantum, quae de febribus scripsere, quaeri hic debent, quorum interdum breuis tantum epitoma, eaque saepe admodum macilenta & imperfecta, hic comparet.

q) Certe alias inter arabes medicos ACTVARIVS, inter latinos autem PHILONIVS locum inuenturi non fuissent, quorum praesertim posterior mera est chimaera, e libro VALESCI DE TARANTA, quem *Philonium* inscripsit, ridicule effictus.

r) *Histoire de la medecine* Part. III. pag. 128.

s) *Bibliothec. graec.* Volum. XII. pag. 725. seq.

t) Vid. CONRINGII *Introduct. in art. medic.* Part. II. p. 146. vbi leguntur sequentia: auctores de febribus Venetiis folio impressos falso FERNELIVS creditur collegisse.

u) Namque primo, FERNELIVS viginti iam annis ante erat mortuus, quam haec collectio in lucem prodiret. Quod si dicat quis, manu scriptam eam ab ipso esse relictam; certe tot soloecismi litterarii minime hic comparerent, quia FERNELIVS, ceu vir apprime doctus, 2) nunquam inter arabas ACTVARIVM, multo minus PHILONIVM aliquem fictitium & chimaericum inter latinos medicos, fuisset numeraturus. Adde denique 3) quod GVIL. PLANTIVS, in *Vita* FERNELII, ne vnica quidem syllaba huius rei meminerit.

w) Scribit quidem l. c. FABRICIVS: Video & laudari collectionem scriptorum de febribus, vulgatam Lugduni 1517. 4. sed in eam nunquam incidi. Verum enim vero nec hinc, si vel maxime concedamus, hanc collectionem reuera exstare, probari potest, a FERNELIO eandem fuisse curatam.

§. IX.

Distribuitur autem hoc opus, constans vnico volumine eoque mediocri, formae quam folii dicunt, in tres tomos. Horum in *primo*, eoque minimo, *Medici graeci*, inde a pagina 1. ad vsque paginam 67. in *secundo arabes*, a pagina 67. ad paginam 183. in *postremo* demum *latini medici* a pagina 183. ad paginam 314.

314. inueniuntur. In imprimenda hac collectione operas typographicas non secutas esse ordinem illum x), qui in indice autorum fuerat notatus, sed in primo & secundo tomo multa immutasse & traiecisse; nec libros indicatos esse, ex quibus excerpta de febribus in plerisque sunt mutuo sumta: id in bibliotheca Stolliana iam y) est monitum. Num vero recusa Venetiis anno 1594. fol. haec ipsa collectio meliorem sortem experta sit? equidem dicere non habeo; quum ea ad manus meas nunquam peruenerit. Pariter nec caussam indicare possum, cur inter graecos ARETAEVS, COELIVS vero AVRELIANVS inter latinos, in opere hoc, vt vocatur, aureo, sint praetermissi? quum tamen meliori iure, quam NONVS, SERENVS atque PLINIVS, digni fuissent, qui huc reciperentur.

x) Vitiosus tamen & hic ipse ordo est; longe alia enim serie & graecanici & arabici locandi fuissent medici, si ratio temporis, quo quisque vixit, habita fuisset.

y) Part. XIV. pag. 484. seqq. vbi etiam annotaui simul, quibus locis quaerenda sint & inuenienda ex. gr. excerpta ex PAVLO AEGINETA, AETIO, ALEXANDRO TRALLIANO, ACTVARIO, CORNELIO CELSO? &c.

§. X.

Quum inter febres pestis saeuissime grassetur; factum inde, vt de hac quoque diuersae existerent collectiones. PETRI PINTORIS *Libellus, Aggregator sententiarum doctorum omnium de praeseruatione & curatione pestilentiae intitulatus.* Romae 1499. fol. nondum mihi obtigit inspiciendus: quare nec scire mihi licet, num iste liber, & quatenus, locum hic tueri queat? Certius est, collectionem illam, quam IOACH. CAMERARIVS in lucem exposuit publicam, huius loci esse. Inscribitur isthaec: *Synopsis commentariorum de peste, autoribus* HIER. DONZELLINO, IO. PHILIP. INGRASSIA, CAESARE RINCIO, & IOACH. CAMERARIO. *Noribergae* 1583. 8. Transfusa

fusa quoque eadem est in idioma germanicum, & Lichae in comitatu Solmsensi, 1597. 4. impressa, vt testatur *Bibliotheca Riuiniana* pag. 343. Recentissimis temporibus, tum IO. BOECLERVS, tum IO. KANOLDVS peculiarem collectionem diuersorum scriptorum de peste Massiliana ediderunt. Prioris, inscripta gallice: *Recueil des obseruations, qui ont été faites sur la maladie de Marseille, redigés en ordre par* M. BOECLER, a Strasbourg 1721. 8. continet aliquot epistolas medicorum quorundam gallicorum, quorum quisque contendit, pestem minime esse contagiosam. Posterioris collectio, titulum praefert istum: *Einiger Marsilianischen Medicorum in französischer Sprache ausgefertigte, vnd ins teutsche vbersezte Sendschreiben von der Pest in Marsilien, ans Licht gestellet, vnd mit einigen Reflexionen von dem wahren Vrsprunge der Pest aus vnd in Orient, begleitet von* D. IOH. KANOLD. Leipzig 1721. 4. Vtraque, ob singulares opiniones, meretur & legi & expendi.

§. XI.

De febre britannica sudorifera GVIL. GRATAROLVS sequens opus, sine mentione vel loci, vel anni, vel typographi, in forma octopartita emisit: PETRI DE ABANO *Liber de venenis.* *Acc.* GVIL. GRATAROLI *consilium de praeseruatione a venenis.* HERMANNI *a* NVENARE *De nouo hactenusque germaniae inaudito morbo, sudatoria febre, quem vulgo sudorem britannicum vocant, libellus.* SIM. RIQVINI, IOACH. SCHILLERI, *Aliorumque doctissimorum medicorum curationes sudoris anglici expertae. Omnia opera* GVIL. GRATAROLI *ex manuscriptis exemplaribus collata, aucta & illustrata* 8. De arthritide sequens collectio innotuit: IAC. SYLVII, IO. FERNELII, ANT. GALLI, HIER. THRIVERII, GEMMAE FRISII, ADA. BOGARDI, ANDR. VESALII, CORN. BAESDORPII, PET. BRVHESII, DAN. VLIERDENI, CAR. GOSVINI,

VINI, IO. ZOMERII, FRANC. FABRICII, *Consilia de arthritidis praeseruatione & curatione, opera & studio* HENR. GARETII *in lucem edita.* Francof. 1592. 8. De Lue gallica plures vna collectiones vulgatae sunc. Harum prima hoc titulo innotescit: *Morbi gallici curandi ratio exquisitissima, a variis iisdemque peritissimis medicis conscripta: nempe* PET. ANDREA MATTHIOLO, IO. ALMENAR, NIC. MASSA, NIC. POLL, BENEDICTO DE VICTORIIS. *His accessit* ANGELI BOLOGNINI *De vlcerum exteriorum medela opusculum.* Basileae 1536. 4. Alteram longe spissiorem plenioremque ALOYSIVS LVISINVS edidit ita inscriptam: *De morbo gallico omnia, quae exstant apud omnes medicos, cuiuscunque nationis, qui vel integris libris, vel quoquo alio modo huius affectus curationem methodice aut empirice tradiderunt* z), *diligenter hinc inde conquisita, erroribus expurgata, & in vnum corpus redacta ab* ALOYSIO LVISINO, *in quo de ligno indico, salsa Parillia, radice chynae, argento viuo, coeterisque rebus omnibus, ad huius luis profligationem inuentis, diffusissima tractatio habetur. Tomus prior* Venetiis 1566. fol. *Tomus posterior* ibidem 1567. fol. Hancce collectionem, etsi a IO. FREINDIO contemtam, HERM. BOERHAAVIVS, praemissa lectu digna praefatione. Lugduni batauorum 1728. fol. nitidissime recudendam curauit. Longe autem ampliorem hac collectionem visuri essemus, si omnium autorum, qui inde ab anno 1567. de foedissimo hoc morbi genere aliquid edidere, scripta in vno volumine ob lectoris oculos ponenda forent.

z) Praestantissimi scriptorum sunt: NIC. LEONICENVS, SEBAST. AQVILANVS, NATAL. MONTESAVRVS, ANT. SCANAROLVS, CASP. TORRELLA, IAC. CATANEVS, IO. ALMENAR, IO. DE VIGO, LEONH. SCHMAVS, PET. MAYNARDVS, HIER. FRACASTORIVS, ALOYS. LOBERA, ANT. MVSA BRASAVOLVS, NIC. MASSA, GAB. FALLOPPIVS, PETR. ANDR. MATTHIOLVS, IO. MANARDVS, NIC. POLL, ANT. FRANCANCIANVS, BERNH. TOMITANVS, ALEX. TRAL. PETRONIVS &c.

§. XII.

§. XII.

Stomacaces quoque, seu scorbuti, vt vulgo appellatur, malum occasionem dedit nonnullorum medicorum scriptis in vnum colligendis fasciculum. DAN. SENNERTI *Tractatus de scorbuto, cui accesserunt eiusdem argumenti tractatus & epistolae* BALDVINI RONSEI, IO. ECHTII, IO. WIERI, IO. LANGII, SAL. ALBERTI, MATTH. MARTINI, Witteberg. 1629. 8. omnino huc referendus. Locum quoque hic tueri potest SEVER. EVGALENI *Liber de morbo scorbuto, cui access.* BALTHAS. BRVNNERI & HENR. BRVCAEI *de eodem morbo libelli.* Amstelodami 1720. 8. impressus. De morbis autem veneficis sequens legi merebitur collectio: GEO. ABRAH. MERCKLINI *Sylloge physico-medicinalium casuum, incantationi vulgo adscribi solitorum, maximeque prae ceteris memorabilium, decurias* VI. *complectens, cum huc spectantibus iudiciis & curationibus.* Norimberg. 1698. 4. *Acc. loco mantissae:* I. *Quaestio solennis, an monstra varia illa excreta reuera in corpore fuerint, vel extrahantur, an vero praestigiae daemonis sint, extra saltem talia in corporis superficie ostentantis?* II. HELMONTII *Tr. de receptis iniectis, de iniectis materialibus, de iniaculatorum modo intrandi.* III. LAEVIN. FISCHERVS *De morbis magice per sagas inductis naturaliter curandis.* IV. BARTH. CARRICHTERI *Ratio medendi morbis ab incantatione dependentibus.* V. *Collectanea & secreta Myliana ad morbos magicos.*

§. XIII.

Tantum de collectionibus therapeuticis! Iam notatu digniores, quas peperit pharmacia, tangere est animus. *Luminare maius. Cinthius vt totum radiis illuminat orbem. Illuminat latebras sic medicina tuas. Lumen apothecariorum. Thesaurus aromatariorum.* Venet. 1520. fol. Quo breuior titulus huius operis, eo est iactabundior. Prolixe vero in recensionum

ſionum librorum bibliothecae Stollianae parte XIII. pagina 403. ſeqq. vbi notitiam huius ipſius, ſaepiſſime a) quidem vulgatae, nihilo tamen minus rarae, collectionis dare ſtudui, demonſtraui, in tenebris omnino nobis hodie ambulandum fore, ſi ope harum lucernarum, officinas pharmaceuticas perluſtrare vellemus. Luminare maius IO. IAC. MANLIVM, lumen vero apothecariorum, ſeu, luminare minus, QVIRICVM DE AVGVSTIS, & theſaurus denique aromatariorum, PAVLLVM SVARDVM, agnoſcunt autores. Duo illa luminaria maiore ex parte ſequuntur ordinem, qui in antidotario MESVES inuenitur; theſaurus contra aromatariorum ordine alphabetico proponit compoſitiones medicas. Interim ſinguli hi tres libri barbaro ore latinizant, ſuntque eiusmodi, vt commode iisdem noſtra hac aetate ſuperſedere poſſimus.

a) Venet. 1517. 1520. 1551. 1556. 1561. fol. Lugduni 1536. 4.

§. XIV.

Editio illa vniuerſorum IO. MESVAE operum, quae cum annotationibus IAC. SYLVII, IO. MANARDI & ANDR. MARINI, Venetiis 1561. fol. excuſa, & ibidem 1575. fol. 1602. fol. & 1623. fol. recuſa fuit, continet plurima diuerſorum medicorum b) ad pharmaciam ſpectantia ſcripta. *De doſibus, ſeu, de iuſta quantitate & proportione medicamentorum opuſcula illuſtrium medicorum*, MATTH. CVRTII, BENED. VICTORII, BARTH. MONTAGNANAE, GENT. FVLGINATIS, THO. DE GARBO, ALKINDI, GVIL. RONDELETII, PET. GORRAEI. Venet. 1579. 8. & Lugdun. 1584. 8. hodie raro inueniuntur, rarius etiam quaeruntur. *Diſpenſatorium Galeno-chymicum, reuiſum & locupletatum per* PET. VFFENBACHIVM, Francof. 1631. 4. complectitur pharmaceutica IO. RENODAEI & IOSEPH. QVERCETANI opera. PHIL. GVIBERTI *Medici officioſi opera latine edita*, Pariſ. 1649. 8. conti-

nent varios pharmaceutici, chirurgici & diaetetici argumenti tractatus c): & EMANVEL. KOENIGII *Thesaurus remediorum e triplici regno.* Basileae 1693. 4. inter pharmaceuticas d) collectiones suum etiam meretur locum.

b) Access. I. PET. APPONI *Supplementa a membris nutritionis vsque ad cor.* II. FRANC. DE PEDEMONTIO *Supplementum fere omnium, quae* MESVE *proposuit.* III. NIC. PRAEPOSITI *Antidotarium paruum.* IV. IO. PLATEARII *Expositio in eundem.* V. IO. DE S. AMANDO *Expositio & dubitationes, earumque solutiones.* VI. GENT. FVLGINATIS *De complexione, proportione & dosi medicamentorum libellus.* VII. *De substitutis medicinis ex antiquis auctoribus,* i. e. *Quid pro quo.* IIX. *Expositio quorundam nominum rerum ad rem medicam facientium,* i. e. *Synonyma.* IX. *Liber* SERVITORIS *de praeparatione medicinarum,* i. e. *liber XXVIII.* ALBVCHASIS. X. *Instructio aromatariorum atque aromatariae institutio* SALADINI ESCVLANI. XI. ABENGVEFIT *De virtutibus simplicium medicinarum atque ciborum.* XII. APVLEIVS *De ponderibus & mensuris.* XIII. *Incerti autoris libellus de notis, signis & characteribus ponderum & mensurarum.* XIV. ALCHINDVS *De inuestigandis compositarum medicinarum gradibus.* XV. COPHONIS *Libellus de arte medendi.* XVI. *Summula* IACOBI DE PARTIBVS *per ordinem alphabeti singulorum remediorum singulis morbis conferentium.*

c) Continentur: I. GVIBERTI *Medicus officiosus.* II. *Pretium medicamentorum.* III. *Pharmacopoeus familiaris & domesticus.* IV. *De electione & facultatibus medicamentorum.* V. ANT. MIZALDI *Libellus de sena.* VI. GVIBERTI *Modus parandi quaslibet gelatinas.* VII. *De conditis.* VIII. GVID. PATINI *Liber de valetudine tuenda.* IX. *Quaestio medica de sobrietate.* X. NIC. ELLAIN *Tr. de peste, cum notis* GVID. PATINI. XI. GALENI *Liber de sanguinis missione, cum notis* GVID. PATINI. XII. ANT. MIZALDI *Artificiosa methodus medicandi plantas, fructusque hortenses, vites, carnes, vina.* XIII. GVIBERTI *Cadauera condiendi modus.*

d) Exhibentur: I. IO. IAC. WALDSCHMIDT *Descriptio virium medicamentorum tam simplicium, quam compositorum, quae in officinis Francofurtensibus extant, serie alphabetica.* II. *Successus processuum chymicorum* IO. FRANC. VIGANI. III. *Remedia Anglica selectissima galenica & chymica, vt & Monspeliensia aliaque miscellanea.* IV. *Generalia operationum pharmaceutico - chymicarum.* V. IOELIS LANGELOTTI & EMAN. KOENIGII *chymia physica.*

§. XV.

Quoad chemiam, variae dantur collectiones partim impressorum partim nondum impressorum librorum. In LINDENIO *renouato* pag. 1062. seq. in IOH. ALB. FABRICII *Bibliothec. graec.* volum. XII. & in IO. IAC. MANGETI *Bibliotheca chemica* haud paruus earum exstat numerus. Quum vero harum pleraeque eiusmodi tantum opera sistant, quae de chemia transmutatoria agunt, non possum non illas, ceu a scopo mihi praefixo abhorrentes, missas iam facere. Sequens tamen liber locum hic occupare potest: *Theatrum sympatheticum auctum, exhibens varios autores, de puluere sympathetico quidem* DIGBAEVM, STRAVSSIVM, PAPINIVM & MOHYVM; *De vnguento vero armario* GOCLENIVM, ROBERTVM, HELMONTIVM, FLVDDVM, BECKERVM, BORELLVM, BARTHOLINVM, SERVIVM, KIRCHERVM, MATTHAEVM, SENNERTVM, WECHTLERVM, NARDIVM, FREITAGIVM, CONRINGIVM, BÜRLINVM, FRACASTORIVM & WECKERVM. *Praemittitur his* SYLVESTRI RATTRAY *aditus ad sympathiam & antipathiam.* Norimb. 1662. 4. Quam autem contemtim de hoc opere MORHOFIVS in *Polyhist.* T. II. lib. II. part. II. cap. 8. §. 3. p. 305. locutus sit, id sequentia eius verba testantur: In theatro, inquientis, illo infinita sunt mendacia & aniles superstitiones, quam camarinam aliquis nolim moueat.

§. XVI.

Potiori iure, quae de chirurgicis collectionibus scitu fuerint necessaria, in medium adferre potero. Harum, mihi quidem cognitarum, antiquissima ita est inscripta: GVIDONIS DE CAVLIACO *Cyrurgia;* THVRA DE CASTELLO *De balneis Porectanis;* BRVNI *Cyrurgia magna; Eiusdem cyrurgia parua;* THEODO-

RICI

RICI *Episcopi Ceruiensis, cyrurgia;* ROLANDI, *Parmensis, libellus de cyrurgia;* ROGERII *Parmensis, practica.* LANFRANCI, *Mediolanensis, cyrurgia parua;* LEON. BERTAPALIAE *Recollectae habitae super* IV. AVICENNAE; IESV HALY *De oculis;* CANAMVSALVS DE BALDACH *De oculis.* Venet. 1499. fol. Deprehenduntur in ea opera chirurgica ita dictorum latino-barbarorum iunctim impressa; omnia vero ac singula haec, vnius GVIDONIS DE CAVLIACO libris exceptis, exigui sunt momenti; nihilo minus opus istud Venetiis anno 1546. e) fol. recudi dignum fuit visum atque vtile. Secunda collectio lucem adspexit isthoc ornata titulo: ALBVCASIS *Methodus medendi, praecipue quae ad chirurgiam requiruntur, libris tribus exponens, cum instrumentis ad omnes fere morbos depictis. Acc.* I. ROLANDI *Methodica medendi ratio, humani corporis morbis tam internis, quam externis.* II. ROGERIVS *De modis mittendi sanguinem, & de cuiusque vtilitate.* III. CONST. AFRICANVS *De humana natura, membris principalibus corporis humani, de elephantia, & de remediorum ex animalibus materia.* IV. ANT. GAZII *Libellus, quibus & qualibus medicinis purgationes fieri soleant.* Basileae 1541. fol. Verum & isthoc volumen, nisi ALBVCASA insertus esset, parui pretii foret.

e) Non autem anno 1646. vt in LINDENIO *renouato* pag. 1079. erronee indicatur.

§. XVII.

Medium circiter saeculum decimum sextum, CONR. GESNERVS collectionem chirurgicam euulgabat, cuius ecce tibi titulum: *Chirurgia. De chirurgia scriptores optimi quique, veteres & recentiores, plerique in germania antehac non editi, nunc primum in vnum coniuncti volumen. Singuli, qui hoc volumine continentur, auctores cum suis scriptis, sequente mox pagina enumerantur.* Tiguri 1555. fol. Typi & charta sunt

 me-

mediocriter elegantes, emendatio accurata, index tamen plenior & perfectior debebat esse. Interim praesens collectio est ex numero vtilium solliciteque curatorum, paullo tamen rariorum, librorum. Quum vero de ea in recensionum librorum, quos Stolliana capit bibliotheca, parte XIV. p. 475. seqq. ex instituto iam egerim; sufficiet hoc loco exhibuisse scriptores in ea contentos, idque eo magis, quia in LAVR. HEISTERI *Bibliotheca chirurgica* pag. 11. elenchus plane erroneus atque falsus eorundem est datus. Continentur ergo: I. IO. TAGAVLTII *De chirurgica institutione libri quinque, quibus totum* f) GVIDONIS CAVLIACI *Chirurgicum volumen exhibetur, sed multo copiosius, & pro barbaro obscuroque, iam latinum elegans & expeditum.* II. IAC. HOLLERII *De materia chirurgica liber.* III. MARIANI SANCTI, *Barolitani, compendium chirurgiae; Tr. de capitis laesionibus, a chirurgo curandis; libellus de calculo renum & vesicae, eiusque causis, signis & curatione; libellus aureus de lapide vesicae per excisionem* g) *extrahendo; libellus de modo examinandi medicos chirurgicos.* IV. ANGELI BOLOGNINI *De cura vlcerum exteriorum libri duo. Eiusdem liber de vnguentis, quae communis chirurgorum vsus in solutae continuitatis medela recepit.* V. MICH. ANGELI BLONDI *Liber de partibus ictu sectis citissime sanandis, & medicamento aquae nuper inuento. Ei. Tr. de origine morbi gallici deque ligni indici ancipiti proprietate aduersus plurimorum opinionem.* VI. BARTH. MAGGII *De vulnerum sclopetorum & bombardarum curatione libellus.* VII. ALFONSI FERRII h) *De sclopetorum, seu, archibusorum vulneribus libri tres; corollarium de sclopeti ac similium tormentorum puluere; de caruncula, seu callo, quae ceruici vesicae innascuntur, opusculum.* IIX. IO. LANGII *Themata chirurgica. XI.* IX. GALENI *De fasciis liber.* X. ORIBASII *Liber de laqueis ex* HERACLE, *& de machinamentis ex* HELIODORO. XI. IAC. DONDI *Enu-*

Enumeratio remediorum simplicium & compositorum ad affectus fere omnes, qui a chirurgo curantur. XII. *Examen leprosorum autoris innominati.* XIII. CONRADI GESNERI *Obseruationes de medicinae chirurgicae praestantia & antiquitate. Eiusd. enumeratio alphabetica virorum illustrium, qui rem chirurgicam, vel scriptis, vel artis vsu, excoluerunt.* Mirandum de cetero, scripta chirurgica IOANNIS DE VIGO hic plane omissa esse.

f) Quod vero TAGAVLTIVS historiam chirurgiae, a GVIDONE barbarico quidem stilo conscriptam, de cetero vero lectu admodum dignam, quam facili opera puriori ore loqui docere, & ad suam vsque aetatem continuare potuisset, omnino praeterierit, id iam in *Bibliotheca Stolliana* c. l. obseruare me, memini.

g) Praecipuum hoc est maximique momenti inter MARIANI SANCTI opuscula, in quo inuentam tum temporis a praeceptore suo, IOANNE DE ROMANIS, methodum secandi calculi vesicarii, cum apparatu, qui dici solet, magno, vna cum omnibus eo pertinentibus instrumentis atque enchirematis, primus descripsit. SANCTVM de cetero, aeque ac BLONDVM, superstitioni non minus quam iactantiae haud mediocriter fuisse deditum, id in *Stolliana* iam *Bibliotheca* a me est demonstratum.

h) Sciendum de hoc autore, primum eum esse, qui de vulneribus ex ictu sclopetario factis scripsit.

§. XVIII.

Iam ante GESNERVM VIDVS VIDIVS, *senior*, collectionem chirurgicam medicorum quorundam graecanicorum, ex latina ab ipso adornata versione, titulo instructam sequenti: *Chirurgia e graeco in latinum a* VIDO VIDIO *conuersa*: *cum commentariis propriis &* GALENI, Lutetiae 1544. fol. excudendam curauit. In pulchro isthoc atque perquam vtili, simul vero etiam raro, opere exhibentur sequentia: I. HIPPOCRATIS *Libri de vlceribus & vulneribus*

ribus capitis, *cum* VIDI VIDII *in singulos commentariis.* II. HIPPOCRATIS *Libri de fracturis*, *articulis*, *de officina medici*, *cum* GALENI *in singulos commentariis.* III. GALENI *Liber de fasciis.* IV. ORIBASII *Libellus de laqueis & machinamentis.* Cur VIDIVS PAVLLVM AEGINETAM hic praeterierit, qui tamen inter graecos posteriores procul dubio vnus praecipuorum chirurgorum fuit, id equidem coniectando adsequi non possum.

§. XIX.

Sub exitum saeculi decimi sexti PET. VFFENBACHIVS euulgabat collectionem quandam scriptorum chirurgicorum, cui fundamenti veluti loco substernebatur *Gesneriana* quidem editio, sed ea tamen ex parte mutilata i), ex parte aucta k). Titulus est huiusmodi: PET. VFFENBACHII *Thesaurus chirurgiae*, *continens praestantissimorum auctorum*, *vtpote* AMBROS. PARAEI, IO. TAGAVLTII, IAC. HOLLERII, MARIANI SANCTI, ANGELI BOLOGNINI, MICH. ANGELI BLONDI, ALF. FERRII, IAC. DONDI & GVIL. FABRICII *Hildani opera chirurgica*, *in quibus perfectissima tumores praeter naturam*, *vulnera*, *vlcera*, *luxationes & fracturas curandi ratio traditur*, *cum humani corporis singularumque partium exactissima anatome*, & *aliorum affectuum curationibus*, *raris obseruationibus & variis medicamentis chirurgicis.* Francof. 1590. fol. Recusum est hocce opus eodem loco eademque forma a. 1610. Sciendum autem, plus ibi esse in rubro, quam in nigro. Si quis enim vniuersa FABRICII *Hildani* opera chirurgica hic quaereret, multum is spe sua frustraretur: quum ex omnibus eius ad medicinam chirurgicam spectantibus libris, praeter centuriam I. obseruationum & curationum chirurgicarum, vt & tractatum eius de combustionibus, plures non compareant in ista collectione *Vffenbachiana.*

i) De-

i) Desiderantur enim BARTHOL. MAGGII, IO. LANGII, GALENI, ORIBASII & GESNERI opuscula; vnde plane erroneum esse patet, quod in LINDENIO *renouato* p 1079. adseritur, *omnia* modo nominata scripta in *Vffenbachiana* etiam collectione inueniri.

k) Additis scilicet AMBR. PARAEI, nonnullisque GVIL. FABRICII, *Hildani*, scriptis. IOHANNEM tamen DE VIGO & ipse, aeque ac GESNERVS, plane est oblitus.

§. XX.

E saeculo decimo septimo ob oculos mihi venit sequens collectio: *Chirurgia militaris, exhibens* I. ANT. CHALMETEI *Enchiridion chirurgicum, morborum externorum remedia tam vniuersalia, quam particularia breuissime complectens.* II. MATTHIAE NARVATII *Syluam sententiarum ad chirurgiam pertinentium, ex libris magni* HIPPOCRATIS *desumtam.* III. IAC. AVBERTI *De signis morborum libellum.* IV. NIC. ABR. FRAMBESARII *Canones chirurgicos. Quibus accessit* GVIL. FABRICII, *Hildani, Cista militaris, seu, designatio praecipuorum medicamentorum instrumentorumque, quibus rationalem medicum & chirurgum castrensem instructum esse conuenit, in classes viginti distributa,* Basileae 1634. 8. Vsui omnino accommodatus hic liber est nec bona fruge caret: quum tamen consilium collectoris esset, collectionem chirurgicam offerre lectori; meo quidem iudicio, omitti potuisset semioticum IAC. AVBERTI, siue, ALBERTI, opusculum, ad id argumentum minus spectans.

§. XXI.

Recentissimis temporibus, Florentiae, ANT. COCCHI peculiaris cuiusdam scriptorum ad rem chirurgicam facientium collectionis spem l) fecit. Quandoquidem enim ibidem in bibliotheca magni Hetruriae ducis rarissimus quidam codex manu exaratus inuenitur, in quo diuersa medicinae chirurgicae in-

 ser-

ſeruientia, & nunquam antea edita, opera ASCLEPIADIS, APOLLONII, ARCHIGENIS, NYMPHODORI, aliorumque celebrium veteris graeciae medicorum, ab interitu vindicata ſuperſunt: iam anno 1728. dictus modo COCCHI conſilium cepit, vniuerſa illa, vna cum verſione a ſe conficienda latina, notis praeterea adiiciendis, figuris denique rem illuſtrantibus, in lucem proferendi litterariam. Hactenus tamen nondum cognoui, promiſſis illum ſtetiſſe, etſi multi mecum impatienter moram hucusque tulerint.

l) Videantur Noua litteraria anni 1728. p. 654.

§. XXII.

Ad finem capitis praeſentis properans, addam tantum quasdam collectiones ad diaeteticam ſpectantes. Hic tamen minime moraturae me ſunt editiones illae m) *Scholae Salernitanae*, quae cum variis additamentis n) in lucem prodierunt. Primum locum occupet ſequens liber: HELII EOBANI, *Heſſi, Bonae valetudinis conſeruandae praecepta. Acc.* I. BAPT. FIERAE *Coena de herbarum virtutibus, & ea medicae artis parte, quae in victus ratione conſiſtit.* II. POLYBVS *De ſalubri victus ratione*, IO. GVINTERIO, *Andernaco, interprete.* III. ARISTOTELIS *Problemata, quae ad ſtirpium genus & oleracea pertinent.* Pariſ. 1533. 8. Frequentius o) autem haec ipſa HELII EOBANI praecepta diaetetica Erfordiae, & inprimis Moeno-Francofurti, ſunt excuſa, & fere ſemper aliis non nullis ſupplementis ſociata; melioris tamen notae, ſimulque & plenior reliquis videtur eſſe editio ſequens, hoc modo inſcripta: HEL. EOBANI, *Heſſi, De tuenda valetudine libellus, commentariis doctisſimis illuſtratus a* IO. PLACOTOMO. *Acc.* I. *Eiusd. de natura & viribus cereuiſiarum & mulſarum opuſculum; de cauſſis, praeſeruatione & curatione ebrietatis, diſſertationes.* II. STRABI

Hor-

Hortulus amoenissimus. III. BAPT. FIERAE *Coena de herbarum virtutibus* &c. Francofurt. 1564. 8.

m) Hisce accenseo editiones Francofurtenses annorum 1553. 1559. 1582. 8. Parisinam RENATI MOREAV anni 1625. 8. & Roterodamensem ZACH. SYLVII, anni 1657. 12.

n) Exempli gratia: POLYBI, DIOCLIS, OTTON. CREMONENSIS &c. Eodem quoque pertinent commentarii ARNOLD. VILLANOVANI, IO. CVRIONIS, IAC. CRELLII, CONSTANSONI, RENAT. MORAEI & ceterorum.

o) Verbi caussa: annis 1551. 1564. 1568. 8.

§. XXIII.

Scholam Salernitanam, & Eobanianas collectiones commode excipere potest sequens liber: IO. LIEBAVLTII *Thesaurus sanitatis paratu facilis, ex variis auctoribus selectus.* Paris. 1577. 12. Continentur: I. POLYBVS *De diaeta latine explicatus.* II. IAC. SYLVII *Libellus de victu facili pauperum scholasticorum.* III. *Eiusd. de duro ac parco victu libellus latine factus.* IV. *Eiusd. Consilium aduersus famem & victuum penuriam.* V. PET. HISPANI *Thesaurus pauperum factus pene nouus & altera parte auctior.* VI. IAC. SYLVII *De peste libellus.* VII. IO. GVINTERII *De victus & medicinae ratione, cum alio, tum pestilentiae tempore, obseruanda, commentarius.* VIII. IO. LIEBAVLTII *De praecauendis curandisque venenis commentarius.* IX. AVG. FERRERII *De pudendagra libri duo.* X. IO. LE BON *Therapia puerperarum.* XI. EVCH. RHODIONIS *Therapia recens natorum.* Huic addendus est praeterea HENR. RANZOVII *De conseruanda valetudine liber, in priuatum liberorum suorum vsum ab ipso conscriptus, ac editus a* DETHLEVO SYLVIO, *in quo de diaeta, itinere, annis climactericis, & antidotis praestantissimis, vtilia praecepta continentur. Acc.* GVIL. GRATAROLI *De litteratorum & eorum, qui magistratum gerunt, conseruanda valetudine, liber.* Fran-

cofurt. 1596. 12. Vtraque quidem collectio parua est, ideo vero minime contemnenda: siquidem & posterior multoties p) fuit recusa, quam etiam, vero consentaneum est, eam ob caussam magna cum approbatione receptam esse, quia HENRICVS RANZOVIVS diuersas, tum temporis occultatas studio & pro arcanis habitas q), compositiones medicas in isthoc libello euulgare nullus dubitauit.

p) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 400. vbi tamen erronee refertur, editioni Francofurtanae anni 1591. 12. FRANC. RVEI Tractatum de gemmis vna insertum fuisse.

q) Harum e censu sunt exempli caussa: Potio purgans regis Daniae; cap. 17. Conserua duciffae ad dealbandos & confortandos dentes, cap. 26. Medicamenta vulneraria, cap. 38. Antidotus Saxonica, capit. 51. aliaque similia.

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE
MEDICAE
SELECTAE
TOMVS II.
ISQVE SPECIALIS.

CAP. I.

DE SCRIPTORIBVS ANATOMICIS.

§. I.

Quanto magis ſtudium excolendae artis anatomicae a) duobus ſuperioribus ſaeculis increuit; quantoque maior hinc autorum huc ſpectantium numerus accreuit: tanto plus cauſſae mihi datum video, in id incumbendi, vt, breuitati ſtudens, eos potisſimum recenſeam, ſerie chronologica, qui praeſtantisſimi in ſcientia anatomica ſuo aeuo ſunt habiti. Idque ea a me fiet ratione, vt iudicia de iisdem eruditorum ſubinde adiiciam, de cetero autem lectorem, cui & praeteritos a me noſſe volupe fuerit, ad indicatos iam ſupra b) ſcriptores hiſtoriae anatomicae, ad euitandam omnem non neceſſariam operis huius extenſionem, remittam.

a) Anatomiam enim, vna cum pharmacia & chirurgia, inter omnes medicinae partes, maxima cepiſſe incrementa; id vero, ex hiſtoria medicae artis litteraria, neminem facile latere poteſt.

b) Tom. I. cap. I. ſect. II. §. 2 - 8.

§. II.

In duas adeo praeſens caput diſtinguam ſectiones: & in harum quidem priore illos in ſcenam producam auto-

autores, quos anatomia in genere tenuit occupatos. In posteriore autem de iis verba sum facturus, qui osteologiam, myologiam, neurologiam, adenologiam, reliquaque argumenta specialia peculiaribus scriptis illustrare sunt conati. Vbique vero ea tantum proferam in medium, quae & maxime scitu necessaria & prae ceteris vtilia fore iudicauero.

CAP. I. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS ANATOMICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores de encheiresi anatomica, §. 1. *Anatomici graeci*, §. 2. *Anatomici latino-barbari*, §. 3. *Scriptores de anatomia celebriores saeculi XVI.* §. 4-7. *Saeculi XVII.* §. 8-10. *Saeculi XVIII.* §. 11-16.

§. I.

Priusquam ab anatomicis graecanicis tractationis huius auspicia capiam, paucis tantum commemorabo, quosdam, etsi perquam paucos, fuisse autores, qui artem membra hominum brutorumque apte dissecandi, vna cum omnibus eo pertinentibus cautelis & encheiresibus, peculiaribus scriptis tradere studuerunt. Hos inter, NICOL. a) HABIGOTTVS, seu HABICOTTVS, MICH. LYSERVS, PHILIPP. CONR. FABRICIVS, & IO. FRIDER. CASSEBOHMIVS, facile principatum b) tenebunt. *Primi* horum liber gallicano idiomate conscriptus, *La pratique anatomique par* NIC. HABICOT à Paris 1660. 8. editus, melioris notae habetur HERM. c) CONRINGIO. MICH. LYSERI *Culter anatomicus, hoc est, methodus breuis, facilis ac perspicua, artificiose & compendiose humana incidendi cadauera, cum non nullorum instrumentorum*

rum iconibus; qui liber aliquoties d) recusus, optime vero atque plenissime Francofurti anno 1679. 8. & Lugdun. Bat. 1731. 8. impressus, nec non DAN. CLERICI. & IO. IAC. MANGETI *Bibliothecae anatomicae* insertus; haud ita pridem etiam a IOANNE TIMMIO germanice translatus Bremaeque anno 1735. 8. typis exscriptus fuit, in epistola a THO. BARTHOLINO eidem praemissa, magnum in modum e) est commendatus. PHIL. CONR. FABRICII *Idea anatomiae practicae, exhibens modum cadauera humana rite secandi,* Wezlariae 1741. 8. excusa, digna est, quae cum attentione legatur. IO. denique FRID. CASSEBOHMII *Methodus secandi & contemplandi corporis humani musculos & viscera,* quae Halae 1740. 8. lucem adspexit publicam, tironum studii medici f) commodis haud parum consulere poterit.

a) Caue, confundas hunc autorem cum NICOLAO HOBOKENO, ac si vterque vnus vir esset, quem errorem A. O. GOELICKIVS in *Historia anatomiae* pag. 101. errauit.

b) Etiamsi enim VESALIVS, COLVMBVS, RIOLANVS varia huc spectantia operibus suis anatomicis & ipsi interspersérint; ex instituto tamen hac de materia nihil conscripserunt. BARTH. vero KRüGERI *Anatomicus curiosus θεοδίδακτος,* seu, *Methodus secandi cadauera Hippocratico - Democritea,* Brunopoli 1700. 4. impressus aeque ac *Anonymi methodus secandi cadauera humana,* quae in MICH. BERN. VALENTINI *Amphitheatro Zootomico* inuenitur, eiusmodi sunt libri, quorum neuter Lyseriano tractatui, vel in minimis, est aequiparandus. Potiori tamen forsitan iure *Essais anatomiques par Monsf.* LIEVTAVD, à Paris 1742. 8. quae vlterius nobis non innotuere, quam ex recensione eorundem in nouis litterariis Lipsiensibus anni 1742. p. 177. seqq. locum hic aliquem tueri poterunt.

c) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 33. NICOL. HABICOTTI elegans est de encheiresi anatomica liber, gallica lingua conscriptus, & inde in batauicam translatus.

d) Hafniae 1653. 8. & 1665. 8. nec non Traiecti ad Rhenum 1706. 8. Cauendam autem hanc postremam, admodum quippe mendosam, editionem, iam dudum in STOLLII *Historia medicinae litteraria,* pag. 462. a me fuit adnotatum.

e) Fuerunt alii, qui ad encheiresin anatomicam operam hactenus contulerunt non ingloriam. Taceo GALENVM, quem anatomes in-

infantia in administrationibus, & nimia in dicendo vbertas excusat; nec COLVMBVM aliosque aduocabo, qui plura subinde promiserunt, quam opere praestiterunt. RIOLANVS certe seculo nostro per susceptum hoc argumentum tam feliciter & docte decurrit, vt solus sufficere possit, si vel singula sparsim attigisset, vel iunctim singula. Ex aliis corporis humani prosectoribus spicilegia colligimus, neutiquam messem copiosam. Nam qui administrationem anatomicam vno volumine sit complexus, omnemque apparatum ad anatomen iam adultam sine ambagibus necessarium & sufficientem breuiter contulerit, praeter te hactenus exstitit nemo.

f) Vide noua litteraria anni 1740. p. 614. seq.

§. II.

E medicis graecanicis g), quorum scripta anatomica nostro adhuc aeuo supersunt h), RVFVS EPHESIVS, CLAVD. GALENVS, & THEOPH. PROTOSPATHARIVS praecipui fortasfis fuerint. RVFI *Libri tres de appellationibus partium corporis humani*, de quorum translatione atque editionibus supra i) iam dicere me, memini, exigui k) sunt momenti. Longe contra maioris ponderis habentur GALENI, quae supersunt l), ad rem anatomicam pertinentia m) scripta; inprimis *Libri* eius *IX.* n) *de administrationibus anatomicis.* Etsi enim hi defectibus suis o) laborant, nihilo tamen minus, partim ob noua, quae GALENO ipsi debentur, p) inuenta, partim eam quoque ob caussam magni sunt faciendi, quod compensant veluti damna tot perditorum librorum anatomicorum; quodque in secutis Galeni aetatem temporibus, vnicus prope fons fuere, e quo, ad saeculum vsque XVI. omnis scientia anatomica ad arabicos latinosque medicos fuit deriuata. Quae ipsa quoque fuit caussa, cur merita eius de hac medicinae parte, a IOANNE q) BOHNIO & IACOBO r) DOVGLASSIO haud vulgaribus sint celebrata encomiis. De THEOPHILI *Libris V. de corporis humani fabrica*, quorum iam superius s) mentio a me iniecta est, id saltem addam hoc loco, quod THEODORVS IANSSONIVS AB ALMELOVEEN, in *Inuentis nou-*

antiquis,

antiquis, p. 136. sequ. THEOPHILVM hunc ipsum pro primo eorum habuerit, qui substantiam testium vasculosam t) agnouerunt.

g) Sciendum autem, iam ante medicos fuisse diuersos philosophos, Pythagoraeos inprimis, qui de arte membrorum sectrice fuerunt solliciti; opera tamen eorum hac de re conscripta, qualia fuere ALCMAEONIS, EMPEDOCLIS, DEMOCRITI, ARISTOTELIS, &c. iam dudum habentur inter deperdita.

h) DIOCLIS enim CARYSTII, HEROPHILI, ERASISTRATI, EVDEMI, MARINI, MARTIANI, LYCI, AELIANI MECCII, PELOPIS, aliorumque scripta deperditis accensenda esse, satis notum est.

i) Vid. tom. I. cap. II. sect. I. §. 8. THEODORVM IANSS. AB ALMELOVEEN in huius RVFI libris Tubas Falloppianas iam deprehendisse sibi visum esse, *Inuenta* eius *nou - antiqua* pagina 150. testari possunt.

k) Vid. IO. BOHNII Praefatio, operibus anatomico - physiologicis HIERON. FABRICII AB AQVAPENDENTE, Lipsiae anno 1687. fol. excusis, praemissa, vbi sequentia scribit: Quem RVFVS EPHESIVS *De partium corporis humani appellationibus* conscripsit, liber, praeter meras partium nomenclaturas, seu, denominationes, vix aliquid continet. Fuerint ergo RVFI huius merita, si *Galenicis* enconiis fidendum, quoad alias medicinae partes maiora, oportet, quam quoad anatomiam atque physiologiam.

l) Namque GALENI libros *De anatomia* HIPPOCRATIS; *De anatomia* ERASISTRATI; *De anatomia animalium viuentium & mortuorum*; vna cum *Epitome librorum anatomicorum* MARINI & LYCI, simili fato vsos, intercidisse; id vero est, quod ad hunc vsque diem dolemus.

m) Inueniuntur haec, secundum IANI CORNARII distributionem, tomo operum GALENI primo, vbi, praeter physiologica, *Liber de ossibus, de dissectione neruorum, de dissectione venarum & arteriarum, de dissectione musculorum, de dissectione vuluae, de organo odoratus* &c. obueniunt.

n) Numerus horum initio fuit quindecim; sex autem posteriores iam diu desiderantur; in THOMAE tamen BARTHOLINI *Dissertatione de libris legendis* p. 75. legitur, istorum quoque versionem quandam arabicam hodieum exstare.

o) Vid. DOVGLASSII *Bibliographia anatomic.* p. 24. Vltro fateor, multa a GALENO praetermissa esse, ipsumque a vero aliquando aberrasse, industria & diligentia recentiorum tandem detecto. Quis enim vnquam, praesertim in rebus obscuris & latitantibus, tam fuit oculatus, tam vbique certus, qui non aliquando caespitauerit? Quod enim ANDREAS VESALIVS GALENVM saepe lapsum

 in

in rebus anatomicis commissorum falso arguerit; id cum IACOB. SYLVIVS, tum luculentissime BARTHOLOM. EVSTACHIVS, demonstrauerunt.

p) Horum breuem indicem c. l. exhibuit DOVGLASSIVS, adiecto simul iudicio suo: Nullum hactenus exstitisse, qui de tot inuentis sibi plaudere potuerit.

q) Vid. Eius praefatio operibus anatom. physiolog. HIER. FABRICII praemissa, vbi scribit: Fateri cogimur, GALENVM magna ingenii felicitate, assidua encheiresi, & circumspecta autopsia, anatomen, satis indigestam & praecocem adhuc, eousque perfecisse ac euexisse, vt imitatione forsitan parem habuerit nunquam; immo, siue artificium secandi, siue opera anatomica pleraque, post eius tempora conscripta & passim obuia, contemplemur, horum autores genio ingenioque *Pergameni* plus, quam proprio labori, debeant.

r) In *Bibliograph. anatom.* p. 22. Verissimum est, quod omnium anatomicorum, quotquot vnquam fuere, conatus longe superauit, quippe totus a teneris huic arti deditus, magna ingenii felicitate, contemplatione diligenti, assidua encheiresi, & fideli autopsia, anatomen ad hoc fere fastigium, paucis recentiorum inuentis exceptis, quale nunc cernitur, perduxit.

s) Vid. tom. I. cap. II. sect. I. § 16.

t) *De corporis humani fabrica libro* V. cap. XXVII.

§. III.

Arabum medici, non est, cur memorentur; quum eorum religio operationibus anatomicis foedari ipsos prohiberet. E latino-barbaris autem, qui vocantur, MVNDINVS, GABRIEL DE ZERBIS & MAGNVS HVNDT, prae reliquis locum hic aliquem vindicare sibi poterunt. MVNDINI *Anatome omnium humani corporis interiorum membrorum*, multis vicibus u) quidem impressus, ast nihilominus leuissimi momenti *) libellus est, qui, non obstante stili barbarie, per ducentos tamen annos tanta floruit autoritate w), vt per omnes ferme scholas anatomicas x) dominaretur, & in praelectionibus huius artis fundamenti loco substerneretur, multiplicibus y) etiam commentariis illustraretur. GABR. DE ZERBIS *Liber anatomiae corporis humani* z), ratione barbari scriptionis generis, MVNDINO valde propinquus est, praeterea vero & ara-

arabicis denominationibus a) partium corporis mirum in modum deformatus; ob methodum b) tamen hic adhibitam, peculiare aliquid sibi habet. Ea contra, rarissimum illud *Anthropologium* MAGNI HVNDTII, de quo mox plura c) dicenda mihi erunt, eam saltem ob caussam notari meretur, quia vetustissimae figurae anatomicae, quae in vllo impressorum hactenus librorum occurrunt, in eodem inueniuntur.

u) Vid. LINDEN. *renou.* p. 825. & IAC. DOVGLASSIVS *Bibliograph. anatom.* p. 46. Minime autem putandum, plenum hic haberi omnium editionum indicem. Vterque enim e. g. Patauinam anni 1484. 4. omiserunt; nec vllius Lipsiensis mentionem fecerunt editionis, quo tamen in loco, cura MART. POLLICHII, *Mellerstadii*, anno 1501. 4. & 1505. eadem forma, prelo subiecta fuit haec anatome.

*) CONRADVS iam GESNERVS suo saeculo scripsit in *Bibliotheca vniuersali* p. 514. MVNDINI liber hodie non immerito negligitur, cum & stylo immundo scriptus sit, & in rebus ipsis non raro hallucinetur. Quanto ergo maiori iure GEORG. BAGLIVIVS *Praxeos medicae* libro I. cap. 8. dicere potuit: Anatome MVNDINI circa res inuentas, si conferatur cum anatome hodierna, tantum eandem superat, quantum pulex elephantem.

w) Vid. IAC. DOVGLASSIVS l. c. vbi etiam hoc legitur, medicos Patauinos, vi statutorum suorum academicorum, olim eo fuisse adactos, vt explicationem textualem ipsius MVNDINI sequerentur.

x) In his vero haud facile vltra nomenclaturas partium adscendebat discentium profectus.

y) Ita, e. c. ALEXANDER ACHILLINVS, IACOBVS BERENGARIVS, seu, CARPVS, MATTHAEVS CVRTIVS, HIERONYMVS CARDANVS, IOANNES DRYANDER, &c. eiusmodi labore fuerunt occupati.

z) Venet. 1502. & 1533. fol.

a) Ex. gr. de anatomia *Laguabic*, *Mirach*, *Siphac*, *Zirbi*, *de vena Chili*, &c.

b) Vniuersum opus in tres dispertitum est libros. *Libro* I. *agit de anatomia humani corporis in genere. Librum* II. *dispescit in tres sectiones, in quarum prima, de membris organicis anterioribus, in secunda, de membris organicis posterioribus, in tertia denique de membris organicis lateralibus tractatur. Libro* III. *traditur anatomia membrorum simplicium & eis similium*, e. g. *cutis, pinguedinis, carnis, musculorum, villorum, chordarum, neruorum, ligamentorum, venarum, arteriarum* &c. *cui tandem adnexa est appendix*

 de

de anatomia matricis praegnantis, & generatione embryonis. E curiosa ergo ista distributione huius anatomiae, & praecipue libri eius secundi, facile coniicere licet, qualem hic seruauerit autor ordinem.

c) Vid. cap. II. sect. I. §. 2.

§. IV.

Saeculo sexto & decimo scriptores anatomici manifesto creuerunt, eorumque auctus fuit numerus: siquidem sub eiusdem initia ALEXANDER BENEDICTVS, IAC. BERENGARIVS & NIC. MASSA, apud italos; IO. GVINTHERIVS, *Andernacus*, apud germanos; porro CAROLVS STEPHANVS & IACOBVS SYLVIVS, apud gallos, reliquis palmam hac quidem in arena, praeripere studuerunt. ALEX. BENEDICTI *Anatomice, siue, de historia corporis humani libri quinque* d), aliquoties separatim e) editi, deinceps vniuersis eius operibus f) iunctim excusis vna inserti, eatenus saltim locum hic merentur, quoniam autor terminos arabicos omnes omnino exterminauit, primusque in hoc argumento puro ac eleganter latino scribendi genere est vsus. IAC. BERENGARII, seu, IAC. CARPI, habemus non solum *Commentaria* g), *cum amplissimis additionibus super anatomiam* MVNDINI, sed etiam *Isagogen* h) *anatomicam.* Vterque hic liber corrupta conscriptus est & immunda latinitate; ea tamen de ratione notatu dignus, quod CARPVS ex italis primus i) res a se traditas figuris anatomicis illustrare conatus est, nec, ad modum antecessorum suorum, aliorum ductum caecutiens, ipse sequutus fuit; sed suam ipsius, frequentioribus illoque tempore prope insitatis sectionibus acquisitam experientiam k), ita fundamenti loco substrauit, vt GABRIEL l) FALLOPPIVS & BARTHOLOM. m) EVSTACHIVS non sine insigni laude eius mentionem fecerint. NICOLAI contra MASSAE *Liber introductorius* n) *anatomiae*, vel ideo locum tueri hic potest, quod eius autor a IAC. o) DOVGLASSIO,

SIO,

SIO, promotoribus & amplificatoribus anatomes adnumeratus fuit.

d) *Libro* I. *Praecognita anatomiae explicantur. Libro* II. *de anatomia abdominis; Libro* III. *de anatomia thoracis; Libro* IV. *de anatomia capitis; & Libro* V. *de venis, arteriis, neruis, musculis, ossibus* &c. agitur.

e) Nempe Lutetiae Parisior. 1514. 4. ap. HENR. STEPHANVM, quae editio est elegantissima, & Basil. 1527. 8. vt & Argent. 1528. 8.

f) Vid. tom. I. capit. V. §. 12.

g) Bononiae 1521. 4.

h) Plena inscriptio est talis: IAC. BERENGARII, *Carpensis, Isagogae breues, perlucidae ac vberrimae in anatomiam humani corporis,* Bonon. 1523. 4. Colon. 1529. 8. Argentorat. 1530. & 1533. 8. vt & Venetiis 1535. 4. Vterque CARPI liber nostra aetate habentur inter rariores, & quidem ad illud rariorum librorum pertinent genus, quibus carere facile queamus. Namque CONRADVS etiam GESNERVS iam dudum in *Bibliothec. vniuersal.* p. 352. de CARPI aliorumque eius similium operibus anatomicis merito indicauit: Post accuratissimam ANDREAE VESALII anatomen, quaecunque fere ab aliis, praesertim barbaris, in hoc argumento scripta sunt, inutilia posthac iudicari debent, quod quidem eorum lectionem attinet. Laude enim & gloria, vel propter animum egregium, vel, quod suo tempore studiosos pro virili iuuerint, nequaquam fraudandi sunt.

i) Dixi hac de re iam in *Stolliana historia mediciuae litteraria* p. 410.

k) Vtut tam multas CARPVS sectiones instituerit, pauca tamen noua detexit; vnde & IO. BOHNIVS in Praefatione operibus HIER. FABRICII praefixa non sine ratione scripsit: IACOBVS CARPVS, vtut, quemadmodum ipse gloriatur, plus quam centena cadauera dissecuerit, hincque isagogen in anatomiam corporis humani, cum commentario in MVNDINI opus, ediderit, nihil tamen, aut parum profecto GALENI inuentis de suo addidit, ita, vt mirer, quem modo nominabam, RIOLANVM, se, vt ex ENNII sterquilinio, ex CARPI ruderibus gemmas collegisse, adserentem.

l) In *Obseruationibus anatomicis,* vbi expresse scribit: IACOB. CARPENSIS primus, procul omni dubio, anatomicae artis, quam VESALIVS postea perfecit, restaurator fuit.

m) In *Epistola de organis auditus,* subiuncta anatomicis ipsius opusculis: IACOBVS, inquit, CARPENSIS, chirurgus & anatomicus non ita contemnendus, quanquam eum ingratissimi quidam, postquam expilarunt, vt ab omnibus parui fieret, anatomicorum faecem nominare non erubuerunt.

n) Venet. 1536. 4. & 1559. 4.

o) *Bibliograph. anatomic.* p. 66.

§. V.

IO. GVINTHERII, *Andernaci, Institutionum anatomicarum, secundum* GALENI *sententiam, ad candidatos medicinae, libri quatuor* p), Basileae 1536. 8. & anno 1539. 4. vna cum THEOPH. PROTOSPATHARII *Libris V. de humani corporis fabrica*, excusi, nec non aliorum q) typothetarum prelis recusi, ea gaudent praerogatiua, quod horum autor de myologia r) paullo magis, quam praecessores eius, fuerit sollicitus, eandemque curiosius illis descripserit. CAROLI STEPHANI, *De dissectione partium corporis humani, libri tres: vna cum figuris & incisionum declarationibus, a* STEPH. RIVERIO, *chirurgo, compositis*, Paris. 1545. fol. ea tantum de caussa locum hic inueniunt, quia STEPHANVS atque RIVERIVS inter gallos s), aeque ac CARPVS inter italos, primi figuris non nullis anatomicis, etiamsi parum aptis, vsi fuere. IAC. SYLVII *Isagoge anatomica*, frequentius seorsim t) impressa, nec non vniuersis u) operibus eius postea adiecta, est quidem ex operum posthumorum numero; hoc tamen non obstante, a IACOBO w) DOVGLASSIO admodum fuit laudata; simulque ab eodem huic ipsi IAC. SYLVIO detectio & inuentio valuularum in venis x) adtributa.

p) Non autem libri *quinque*, prout in DOVGLASSII *Bibliograph. anatomic.* erronee scribitur. GVINTHERIVS enim egit libro I. de anatomia abdominis; II. de anatomia thoracis; III. de anatomia capitis. De libro IV. ipse dicit: Artuum confectionem trado, quae post ossium cognitionem prima venit intelligenda, quam partem longe vtilissimam in hoc perseeutus sum diligentius, quod nulli recentiorum de ea quicquam scriptum reliquerint.

q) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 597. vel etiam DOVGLASSIVS *Bibliograph anatom.* p. 70.

r) Vid. modo allegatus DOVGLASSIVS c. l. Ex omnibus anatomicis, qui ante VESALIVM scripserunt, solus ille musculos accuratius & fusius describit.

s) Non autem inter omnes nationes primus, prouti A. O. GOELICKIVS in *Histor. anatom.* p. 60. erronee narrauit, scribens: CAROLVS STEPHANVS, a RIVERIO adiutus, *primus* partes animalium

malium figuris delineare suscepit, quod ante ipsum nemo facere aggressus erat.

t) Paris. 1555. 1556. 1587. 8. Venet. 1556. 8. Basileae 1556. 16.

u) Vid. tom. I. cap. V. §. 10.

w) In *Bibliograph. anatom.* p. 101. Post eius obitum edita fuit isagoge anatomica, solertis ingenii foetura incomparabilis, in qua musculorum & vasorum omnium syluam & confusionem in exquisitum ordinem digessit, ac propriis nominibus designauit, quae nunc ab omnibus fere anatomicis retinentur. Aliam vero hac de re fuisse mentem HERMANNO BOERHAAVIO, apparet ex eius *Methodo discendi medicinam*, p. 310. Scio quidem, inquit, quod in isagoge sua IAC. SYLVIVS quaedam nomina musculorum exposuerit, sed maxima parte deficiunt; verum omnia suppleuit RIOLANVS.

x) Cit. loc. p. 102. Multis nouis inuentis anatomen amplificauit SYLVIVS, ac nominatim primus omnium detexit valuulas venarum, quas epiphyses membraneas appellat, in ore scilicet venae azygae, in vasis iugularibus, brachialibus, cruralibus, ac trunco venae cauae ex hepate prosilientis. HIERONYMVS FABRICIVS AB AQVAPENDENTE gloriam huius inuentionis sibi vindicat; verum ille haec solummodo accuratius descripsit, ac valuularum nomine, ab vsu & structura, quod ab omnibus nunc retinetur, ornauit.

§. VI.

Circiter medium & exitum saeculi XVI. Anatomia, studio atque diligentia variorum in hac arte dexterrime exercitatorum virorum, in eiusmodi systematis formam redigebatur, vt probata hac in re illorum industria, ad hunc vsque diem magni fieri meruerit. Horum principes y) facile fuerint sequentes, ordine iam enumerandi: ANDREAE VESALII *Opera anatomica* z), initio per partes a), haud ita pridem vero iunctim b) edita; inprimis autem nunquam satis celebrandi *Libri VII. de corporis humani* c) *fabrica*, tantam autori suo pepererunt famam d) nominisque gloriam, vt iliada post Homerum scripturus essem, si innumera illa encomia, quibus ideo ornatus fuit, coaceruata hic exhibere *) vellem. REALDI COLVMBI e) *Libri XV. de re anatomica*, Venetiis anno 1559. luci expositi publicae in forma, quam dicunt, folii, aliisque f) deinde locis crebris prelis

 repe-

repetiti, ab HERM. g) CONRINGIO laudati, & ab HERM. h) BOERHAAVIO, scriptoribus anatomicis generalioribus optimae notae sunt adnumerati. GABR. FALLOPPII *Obseruationes anatomicae*, Venetiis anno 1561. 8. in conspectum orbis litterarii i) productae, vniuersis k) eiusdem operibus, deinceps inserendae; eiusmodi, IOANNE l) BOHNIO & IACOBO m) DOVGLASSIO iudicibus, labor sunt, quo vel solo immortalem nominis sui in posteritate litterata memoriam sibi adquirere is valuerit; quanquam nec de reliquis medicinae partibus mediocriter fuerit meritus. Similiter & BARTH. EVSTACHII dexteritas plane singularis, quam in *Opusculis* suis n) *anatomicis*, nec minus in occultatis tam diu *Tabulis* o) *anatomicis* testatam fecit, applausu adeo vniuersali vbique locorum est concelebrata, vt elogia testimoniaque, quibus illum RIOLANVS, CONRINGIVS, BOERHAAVIVS, DOVGLASSIVS, LANCISIVS, MORGAGNVS, HEISTERVS, aliique cumulauere, quaeque alibi p) iam a me sunt allegata, hoc loco repetere plane superfluum mihi videatur.

y) Quum iam sub initium huius capitis monuerim, praecipuos saltem autores me selecturum esse, satis excusatum me fore spero, quod opera anatomica AMBR. PARAEI, IOAN. RIOLANI, senioris, ANDR. LAVRENTII, ANDR. LACVNAE, IO. VALVERDAE, LEON. FVCHSII, FELIC. PLATERI, aliorumque, qui dicto saeculo floruere, praesenti loco praeterierim.

z) Huc pertinent, praeter *Libros VII. de corporis humani fabrica, epitome anatomica*; *epistola de radicis chinae decocto*; &, *examen anatomicarum* GABR. FALLOPPII *obseruationum*.

a) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 55. seq. vel potius DOVGLASSII *Bibliograph. anatomic.* p. 77. seqq.

b) Vid. Tom. I. capit. V. §. 17.

c) Hi Basileae anno 1543. fol. & cum augmento anno 1555. fol. viuo tum autore, fuerunt diuulgati. Vtraque editio rarior est, &, quod VESALII vitam attinet, valde quoque diuersa. In praefatione enim priori praemissa fatetur, se in scholis IAC. SYLVII, & IO. GVINTHERII anatomicas lectiones audiuisse. In posterioris autem editionis praefamine, hoc aeque ac plura alia omisit: id quod CONRINGIVM & alios seduxit, vt, autodidactum eum in anatomia

mia fuisse, erronee contenderent. Basileensem de cetero anni 1555. fol. editionem ab HERM. CONRINGIO & THOM. BARTHOLINO pro optima fuisse habitam, id enimuero iam alibi adnotaui.

d) Vid BLOVNTII *Censur. celebrior. autor.* p. 678. seqq. & STOLLII *Historia medicinae litter.* p. 414. seqq.

*) Minime tamen aduersariis omnino caruit, quorum non nulli, cum IAC. SYLVIO, BARTH. EVSTACHIO, & ARCHANGELO PICCOLHOMINO, admodum dure, alii, cum GAB FALLOPPIO, ciuiliter admodum atque modeste illum exceperunt. Quale fuerit de ipso, scriptisque ipsius anatomicis, iudicium HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE, videri poterit e dedicatione, quam libello suo de visione praemisit.

e) Quum me, edentem lexicon meum medicorum, latuerit tum annus COLVMBI emortualis, didici insequuto tempore e *Giornale de' Letterati d' Italia* tom. XIII. p. 213. anno 1577. eum esse defunctum vita.

f) Ex. gr. Paris. 1572. 8. Francofurti 1590. 1593. 1599. in 8. quae editiones Francofurtanae IO. POSTHII *Obseruationibus anatomicis* auctae prodierunt; denique Lugduni Batauor. 1667. 8. Opus de cetero hoc anatomicum absque figuris fuisse excusum, nec omnes libros quindecim, sed vnum saltem eumque postremum, agere de iis, quae raro in anatomicis occurrunt; id equidem contra A. O. GOELICKIVM, vtrumque errorem in sua *Anatomiae historia* p. 49. errantem, iam olim monui, in *Historia medicinae litteraria*, sub *Stolliano* edita nomine, p. 425.

g) In *Introduct. in artem medic.* cap. IV. §. 26. vbi COLVMBI librum satis elegantem & accuratum, adeoque lectu dignum, appellauit.

h) In *Methodo discendi medicinam* p. 365. sequ.

i) Recusae quoque sunt, & quidem separatim, Lutetiae Paris. 1562. 8. nec non Helmstad. 1588. 8.

k) Videat. Tomus I. cap. V. §. 13.

l) Conferatur praefatio, operibus anatomico-physiologicis HIERON. FABRICII praemissa.

m) In *Bibliograph. anatom.* p. 116. Artem anatomicam plurimum illustrauit, multisque nouis inuentis, prioribus seculis incognitis, locupletauit, vt egregium illud opus obseruationum abunde testatur, a quarum lectione doctior nunquam non recessi, & ipso hoc nomine dignas iudico, vt ab omnibus philanatomicis nocte dieque versentur.

n) Impressa sunt haec Venetiis 1563. 4. in cuius editionis exemplis non nullis figurae aeneae eo pertinentes sunt adiectae, in aliis autem omissae. Eadem postea, cura PET. MATTH PINI, ibidem loci, anno 1574. 4. auctiora tamen, repetito prelo excusa, & Lugduni

ni denique Batauorum 1707. 8. recusa, praefante HERM. BOERHAAVIO, sequenti ornata titulo: BARTH. EVSTACHII *Opuscula anatomica, de renum structura, officio & administratione; de auditus organis; de ossium examine; de motu capitis; de vena azyga, & de alia, quae in flexu brachii communem profundam producit; de dentibus. Editio secunda, emendata, & figuris aeneis ab ipso autore delineatis, priori vero editioni non adiunctis, aucta.* Circa hanc inscriptionem quae monenda sint, ea iam in *Stolliana medicinae historia* p. 430. seqq. adnotaui, quo loco a me est obseruatum, probabile videri, non nulla horum opusculorum iam anno 1561. 8. Venetiis publici iuris facta fuisse, adeoque praesentem *Editionem* in Batauia recusam *Quartam* merito vocandam esse: quemadmodum & figurae aeneae in Veneta anni 1563. editione non nunquam occurrunt.

o) BARTHOLOM. EVSTACHII *Tabulae anatomicae, quas e tenebris tandem vindicatas, & CLEMENTIS XI. munificentia dono acceptas, praefatione atque annotationibus illustrauit, ac ipso suae bibliothecae dedicationis die publici iuris fecit* IOANNES MARIA LANCISIVS. Romae 1714. fol. & 1728. fol. Recusum etiam est illustre hoc opus Amstelodami anno 1722. fol. vt & a IO. IAC. MANGETO iam ante *Theatro* suo *anatomico*, Geneuae 1717. fol. impresso, insertum; & nunc denique longe vtilius vsibusque lectorum commodius est redditum, ex quo BERNH. SIEGFR. ALBINI *Explicatio tabularum anatomicarum Bartholomaei Eustachii*, Lugduni Bat. 1744. in folio prodiit. Adde, quod & ALEXAND. MONROO spem fecit de propediem euulgando *Commentario historico-critico*, quem in hasce tabellas anatomicas conscripsit, manuque exaratum post se reliquit GEORG. MARTINVS.

p) Vid. *Historia litterar. medicinae Stoll.* p. 429. seqq.

§. VII.

VIDI VIDII *De anatome libri VII. tabulis 78. in aes incisis illustrati*, in operibus ipsius iunctim q) editis inueniendi, magno in pretio habentur IACOBO r) DOVGLASSIO. Dexterrimi illius s) anatomici, CONSTANTII VAROLII, *Opera* relicta, ob praematuram quidem autoris mortem, ad eum perfectionis gradum non sunt perducta, quo perduci forte potuissent, si diutius ille vixisset & exasciare eadem, vltimamque limam addere iisdem valuisset: digna tamen opera haec posthuma sunt habita IO. BAPT. CORTESIO, quae iunctim t) edenda curaret. IVL.

CAE-

CAESAR. ARANTII huc ſpectantes commentationes, quae ſingulae initio, poſtea vero in vnum corpus ſociatae u) luci ſunt expoſitae litterariae, vel ideo notari merentur, quia harum autor primus w) exſtitit, qui de hiſtoria vteri grauidi, foetusque humani bene mereri voluit. ARCHANGELI PICCOLHOMINI *Praelectiones anatomicae, mirificam humani corporis fabricam explicantes*, Romae 1586. fol. CONRINGIO x) quidem iudice, mediocris ſunt momenti; IACOBVS y) tamen DOVGLASSIVS oſtendit, easdem, ob varia nouiter detecta, non inutiliter legi poſſe; non obſtante, quod autor iactabundus z) ridiculi hominis notam ſibi contraxerit. De SALOM. ALBERTI in anatomicis dexteritate, quam non in *Hiſtoria* ſolum *plerarumque humani corporis* a) *partium;* verum etiam in *Obſeruationibus* b) *anatomicis;* vt & in non nullis c) *Orationibus academicis*, demonſtrauit, & PETRVS d) MONAVIVS, & HERM. CONRINGIVS e) admodum honorifice pronunciauerunt: quemadmodum & poſterior horum VOLCHERI COITERI *Externarum & internarum principalium humani corporis partium tabulas* f) atque *anatomicas exercitationes, obſeruationesque varias*, nouis diuerſis ac artificioſiſſimis figuris illuſtratas, haud vulgariter g) laudauit.

q) Vid. Tom. I. cap. V. §. 14.

r) *Bibliograph. anatomic.* p. 202. Pleraeque figurae opus hoc minime contemnendum exornantes, nouae ſunt, partes corporis humani egregie repraeſentantes, & ad viuum delineatae apparent, licet ex iis non nullae, illae praeſertim, quae ſceleton humanum exhibent, opus naturae minus accurate exprimant.

s) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 28. CONSTANT. VAROLIVS, homo acuti ingenii, & anatomicae rei peritiſſimus fuit, cui nouam cerebri, neruorum opticorum, totiusque adeo fabricae neruorum ſectionem debemus. Ab ipſius obitu prodiit compendium aliquod anatomicum ſub eius nomine, in quo itidem multa noua dogmata, citra demonſtrationem tamen, proponuntur, quod fertile hominis ingenium ſatis arguit.

t) CONSTANT. VAROLII *Anatomiae, ſiue, de reſolutione corporis humani libri IV. a* IO. BAPT. CORTESIO *nunc primum editi.* Acceſſ. Eiusdem VAROLII, & HIERON. MERCVRIALIS, *de ner-*

neruis opticis, non nullisque aliis in humano capite obseruatis, epistolae. Francofurti 1591. 8.

u) IVL. CAES. ARANTII *De humano foetu liber: Eiusdem anatomicarum obseruationum liber: Accedit de tumoribus secundum locos affectos liber.* Venetiis 1595. 4.

w) Vid. DOVGLASSII *Bibliograph. anatomic.* p. 134. Primus historiam vteri in grauida muliere accuratissime aperuit, & de foetus humani fabrica libellum aureum emisit, quibus postea obseruationes quasdam anatomicas adiunxit, ad exactiorem ceterarum corporis partium notitiam non parum vtiles.

x) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 28. Post EVSTACHIVM insigni horum studiorum fama Romae floruit ARCHANGELVS PICCOLHOMINVS, edito satis grandi opere anatomico: sed qui non tam in secandis corporibus exercitatus fuit, quam disputando de vsu partium.

y) *Bibliograph. anatomic.* p. 153. Luculenter patet, illum anatomicis felicissime laborasse, cum noua aliquot in anatome eum auctorem & inuentorem agnoscant, ac partes corporis humani accurate satis descripserit.

z) Vel sola praefatio autoris abunde testari potest, quam multa in omnibus reliquis anatomicis carpenda atque culpanda is inuenerit: quandoquidem ipse VESALIVS vix meliore, quam plagiarii merique rhapsodistae, nomine eidem venit. De suis ea contra praelectionibus scribit: dicimus itaque, si legendo accurate nostra cum aliorum scriptis conferantur, nullo negotio quisque exploratum habebit, quantum facilitatis, perspicuitatis, splendoris, ordinis, atque inuentionis rei anatomicae attulerimus.

a) Wittebergae 1583. 8. 1585. 8. & 1630. 8.

b) Ibid. 1620. 8. In *Bibliotheca* tamen *Meibomiana* lego, Part. III. p. 88, modo dictas obseruationes, vna cum historia partium, Wittebergae 1602. 8. iunctim fuisse editas.

c) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 953.

d) Vid. CRATONIS *Consil. & epistol. medic.* lib. II. p. 374. seqq. Vidi libellos quosdam a SALOM. ALBERTO nuper foras datos, qui mihi valde placent, ob rerum & verborum bonitatem.

e) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 35. Praeter hos etiam alii non nulli docti anatomici in germania floruerunt, quorum princeps SALOMON ALBERTVS, vir doctissimus, Wittebergae *De venarum ostiolis librum* conscripsit.

f) Norimbergae 1573. fol. & Louanii 1653. fol.

g) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 34. Propria industria ante omnes commendari meretur VOLCHERVS COITER, Groeninga Frisius, sed qui Norimbergae vixit, cuius obseruationes anatomicas tabulasque admodum doctas habemus.

§. VIII.

§. VIII.

Luculentius porro cum saeculo decimo septimo accreuit scriptorum anatomicorum generalium numerus: vbi ex Itala quidem gente locum aliquem tueri commode poterunt, qui sequuntur. HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE *Opera anatomica & physiologica*, singula h) primum, diuersis in locis, nec vna forma, in conspectum orbis *) litterati protrusa, Lipsiae tandem 1687. fol. praefatione lectu digna IOANNIS BOHNII ornata, vniuersa simul excusa i), Lugduni denique Batau. anno 1738. fol. recusa, tantaque cum approbatione excepta, vt eorundem autor tum ab HERMANNO k) CONRINGIO magnificis laudibus extolleretur, tum a IOANNE BOHNIO, in laudata modo praefatione, ANDR. VESALIO & GABRIELI FALLOPPIO aequipararetur. A IVLIO CASSERIO, *Placentino*, qui promisso ab ipso l) systemati anatomico non magis ac HIER. FABRICIVS, vltimas manus imponere potuit, curante DANIELE BVCRETIO, e manuscripto codice ab illo relicto, nihil praeter *Tabulas* m) *anatomicas LXXVIII.* accepimus, quae deinceps in germanicam n) translatae sunt linguam, eaque sunt indole, vt tum CONRINGIVS o) tum SCHELHAMMERVS p), ratione figurarum aenearum, accuratissime exsculptarum, maiorem CASSERIO, quam HIER. FABRICIO laudem tribuerint. MARCI AVRELII SEVERINI *Zootomia Democritea*, *seu*, *anatome generalis totius animantium opificii, libris quinque distincta, opera* IOANNIS GEORGII VOLCKAMERI, auditoris quondam illius, Norimbergae 1645. 4. typis q) exscripta fuit. DOMINICI DE MARCHETTIS *Anatomia cum responsionibus ad* IO. RIOLANVM, quae frequenter prela exercuit r), superiori seculo in numero meliorum compendiorum anatomicorum fuit habita. MARCELLI MALPIGHII *Tractatus anatomici*, singuli s) initio luci expositi publicae, postea vniuersis t) eius ope-

operibus inferti, nec non DAN. CLERICI & IOAN. IAC. MANGETI *Bibliothecae anatomicae* fociati, maximam autori fuo, ob diuerfa nouiter detecta, conciliauerunt exiftimationem.

h) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 420. feqq. vel, fis, DOVGLASSII *Bibliographiam anatomic.* p. 178. fequ. Index tamen ab vtroque exhibitus minime eft plenus atque perfectus.

*) Pauci tamen quidam tractatus, mox a fato eius, elegantisfimis figuris ornati, fplendideque expresfi, Patauii funt euulgati, fequenti inftincti titulo: HIER. FABRICII *Opera anatomica & phyfica; de formato foetu; de formatione oui & pulli; de locutione & eius inftrumentis; de loquela brutorum; de venarum oftiolis.* Patau. 1625. fol. quae collectio Francofurtanis quoque characteribus fuit repetita.

i) HIERONYMI FAFRICII AB AQVAPENDENTE *Opera omnia anatomica & phyfiologica, hactenus variis locis & formis edita. Nunc vero certo ordine digefta, & in vnum volumen redacta. Accesfit index rerum & verborum, cum praefatione* IOAN. BOHNII. Lipf. 1687. fol. cum figur. Habentur hic fequentes commentatiunculae: *De formatione oui & pulli; de formato foetu; de gula; de ventriculo; de omento; de varietate ventriculi; de inteftinis; de mefenterio; de venarum oftiolis; de refpiratione; de mufculis thoracis; de diaphragmate; de mufculis intercoftalibus; de pulmone; de oculo; de aure; de larynge; de locutione; de brutorum loquela; de motu locali; de mufculi fabrica, vtilitate & actione; de articulorum ftructura; de integumentis totius animalis.* Quae autem fuerit cauffa, cur in hac editione dedicationes FABRICII, in quibus faepe notatu admodum digna obueniunt, fint omiffae? equidem coniectura adfequi nequeo.

k) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 29. Caeterum longe maximam famam ftudio anatomico nactus eft FALLOPPII fucceffor, HIERONYMVS FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, qui Patauii vltra quinquaginta annos hoc ftudium excoluit. Scriptis tamen non nifi fero inclarefcere coepit, quod latinae linguae fortasfis, more Italorum, non fatis effet peritus, ideoque omnia Germanis ftudiorum cauffa ibi commorantibus tradere coactus fuerit. Multa ille nouiter obferuauit, aliis hactenus praeteruifa, &, praeter humana, animalium quoque corpora diligentisfime fecuit. Ad hoc, poft VESALIVM, imaginibus anatomicis exacte conficiendis & aeri incidendis fingularem induftriam adhibuit.

l) Promifit illud cum in praefatione hiftoriae fuae anatomicae de vocis auditusque organis, tum in praefatione fui Pentaefthefeii.

m) IVL.

m) IVL. CASSERII *Placentini, tabulae anatomicae LXXIIX. omnes nouae, nec antehac visae:* DAN. BVCRETIVS *XX. quae deerant, suppleuit, & omnium explicationes addidit.* Exstant cum ADRIANI SPIGELII *De humani corporis fabrica libris decem.* Venet. 1627. fol. & Amstelodam. 1645. fol.

n) Et quidem a SIMONE PAVLLI, vel, vt e PLACCII *Theatro anonymorum* p. 461. apparet, potius a MICH. KIRSTENIO. Impressa vero est dicta versio Francofurti 1656. 1683. & 1707. 4. & postrema quidem harum editionum adiectas sibi habet IO. IAC. FICKII *Annotationes.*

o) *Introduct. in art medic.* cap. IV. §. 29. IVL. CASSERIVS pingendis imaginibus anatomicis AQVAPENDENTIVM longe superauit, adeoque immortale nomen hinc apud posteros consecutus est. Verum quod partium explicationem earumque vsus concernit, AQVAPENDENTIO omnino palma debetur.

p) *In additamentis ad Conring. introduct.* cap. IV. §. 29. FABRICIVS & CASSERIVS grande opus anatomicum moliebantur, sed morte praeuenti illam gloriam aliis relinquere coacti sunt. Interim natae sunt nobis ex huius conatu tabulae illae eximiae, quibus visis fortassis destitit ab opere AQVAPENDENS, cum agnosceret, illis nihil posse melius fingi. Superauit autem CASSERIVM, in explicatione & vsu partium inuestigando, quia plus valebat iudicio. Perspicuitatis inde quoque laus manet AQVAPENDENTI, cum CASSERII stylus asper sit, & grandis quidem, sed verborum potius, quam rerum, pondere. Diligentia vero & peritia secandi pares videntur fuisse, etsi AQVAPENDENS, vt aetate grandior, plura praestiterit, quam CASSERIVS.

q) Erroneum adeo est, quando A. O. GOELICKIVS in *Histor. anatom.* p 17. VOLCKAMERVM pro autore *Zootomiae Democriteae* ipsum habuit, & hunc eundem errorem in *Introductione in historiam litterariam anatomes* p. 42. iterum errauit atque recoxit.

r) Patauii 1652. & 1654. 4. Harderouici 1656. 12. Lugdun. Batau. 1688. 12.

s) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 772. sequ.

t) MARCELLI MALPIGHII scripta, viuente autore, per partes publicata, iuncta initio Londini 1686. fol. prodibant, quibus postmodum opera posthuma ibidem 1697. fol. impressa succedebant. Vtraque mox in Belgio, idque correctius atque plenius, recudebantur. Priora quidem, titulum in fronte gerentia istum: MARCELLI MALPIGHII *Opera omnia, siue, thesaurus locupletissimus botanico-medico-anatomicus, XXIV. tractatus complectens, & in duos tomos distributus,* Lugdun. Batau. 1687. 4. Posteriora vero, obstetricante PETRO REGIS, inscripta: M. MALPIGHII *Opera posthuma,*

Am-

Amstelodami 1698. 4. prelo exibant. Vniuersa autem simul, curante FAVSTINO-GAVINELLO, Venetiis 1744. fol. optime sunt recusa.

§. IX.

Quod si iam ex scriptoribus anatomicis generalioribus reliquarum nationum eos saltem hic recensere cogitem, qui primariae sunt autoritatis: procul dubio gallos inter u) IO. RIOLANVS *iunior*, inter anglos w) GVIL. COWPER, & inter danos THOM. BARTHOLINVS, prae ceteris considerari merebuntur. IO. RIOLANI *Anthropographia & osteologia*, Lutetiae Parisiorum 1626. 4. optime impressa, postea vero multis nouis additamentis & annotationibus in IO. WALAEI, ANDR. LAVRENTII, CASP. BAVHINI, ADRIANI SPIGELII, CASP. BARTHOLINI, CASP. HOFMANNI, IO. VESLINGII & AEMILII PARISANI scripta anatomica, auctior x) edita, ab HERM. BOERHAAVIO y) praestantissimis huius notae scriptoribus adnumerata, nec non ab HERMANNO etiam z) CONRINGIO laudata fuit. Id vero dolendum, quod dictatorem se gerere, doctissimosque viros nimis inciuiliter a) tractare voluerit. GVILIELMI COWPERI *Anthropographia*, quae Anglice b) Londini anno 1698. fol. centum & sedecim figuris aeneis illustrata, diuulgata fuit, & a LAVR. HEISTERO, loco haud vno, operis consummatissimi titulo ornata, ita, omnibus vniuersim approbantibus, excepta est, vt illa ad hunc vsque diem inter splendidissima, pretiosissima atque accuratissima huius argumenti opera supremum omnino locum mereatur; etiamsi GODOFREDVS c) BIDLOO autorem eius scripti plagii litterarii suspectum reddere laborauerit. De THOMAE vero BARTHOLINI *Anatomia reformata*, cui patris ipsius, CASP. BARTHOLINI, *Institutiones anatomicae* fundamenti loco substratae fuerunt, superfluum foret, multa, ad commendandum opus, dicere, quum praesertim repetitae toties

ties d) editiones istius libri, multo magis vero tot e) eiusdem translationes in alias linguas, abunde testentur, quantum in eo melioris frugis omnes lectores inuenerint f).

u) Non equidem ignoro, CAROLVM DRELINCVRTIVM sollertissimorum anatomicorum vnum fuisse; eum vero praeterire hic ideo debui, quia tractatus eius ad historiam particularem pertinent, & maximam partem in illustranda conceptione & generatione occupantur.

w) Locum hic aliquem meruissent NATHANAEL. HIGHMORI *Disquisitio anatomica corporis humani*, Hagae comit. 1651. fol. impressa, SAMVEL. COLLINI *Systema anatomicum*, Londini 1685. fol. editum, aliique praeterea non nulli; nisi scopi mei semel mihi propositi memorem me esse par fuisset. De reliquis porro anatomicis huius saeculi celebrioribus, GVILIELMO, inquam, HARVEO, GVALTHERO NEEDHAMIO, RICHARDO LOWERO, FRANC. GLISSONIO, THOMA WARTHONO, THOMA WILLISIO &c. qui singuli pertinent ad historiam particularem, in altera huius capitis sectione, vel etiam, prouti res feret, alibi, & fortassis in recensione scriptorum physiologicorum, commodiorem dicendi nanciscar occasionem.

x) IOANNIS RIOLANI *Opera anatomica vetera, recognita & auctiora quamplura noua.* Paris. 1649. fol.

y) In *Methodo discendi medicinam* p. 365. seq. & 297.

z) In *Introduct. in art. medic.* Cap. IV. §. 33. Maiorem gloriam nostra memoria inuenit ipse IO. RIOLANVS, *iunior*, cum grandi opere anthropographiae longe praeclarissimo, tum etiam enchiridio anatomico prae ceteris lectu dignissimo. Quantis *Riolanum* laudibus euexerit GVIDO PATINVS, satis testari poterunt eius *Lettres choisies* volum. I. lettr. 23. & 24.

a) Vid. SCHELHAMMERI *Additamenta ad Conring. introduct.* cap. IV. §. 33. vbi haec scribit: quod RIOLANVS errores & vitia aliorum acriter perstrinxerit, & in carpendo modum prorsus excesserit. Quibus verbis IAC. DOVGLASSIVS de eodem conqueratur, id iam tom. I. cap. VI. sect I. §. 7. annotare me rememini. Quandoquidem itaque RIOLANVS in theatro anatomicorum eandem personam sustinere voluit, quam in grammaticorum SCIOPPIVS, vnde huic *Canis grammatici* nomen haesit; non peccaret forsitan, qui *Canem anatomicum* istum vocare vellet.

b) E nouis litterariis anni 1738. p. 388. seq. perspicio, GVIL. DVNDASSIVM latinam eius versionem Lugduni Batau. edendam a se promisisse. Eam vero oculis vsurpare hactenus mihi nondum contigit.

c) GVIL. COWPERVS *Criminis litterarii citatus coram tribunali societatis anglicanae a* GODOFR. BIDLOO. Lugdun. Batau. 1700. 4.

d) In solo enim LINDENIO *renouat.* p. 1003. sequ. nouem allegatae leguntur editiones, Leidensis autem anni 1677. 8. fuit omissa.

e) Vid. *Historiam bibliothecae Fabricianae* part. VI. p. 284. Prodiit hic liber latina lingua plus decies, nec tantum in linguas Gallorum, Italorum, Anglorum, Belgarum, & Germanorum, sed iussu etiam magni Mogolis in indicam est transfusus.

f) Ea ipsa de caussa HERMANNVS quoque BOERHAAVIVS, in *Methodo discendi medicin.* p. 365. seq. *Bartholinianum* hoc opus in numerum septem optimorum scriptorum anatomicorum generalium recepit.

§. X.

Anatomicorum germanorum, qui saeculo XVII. floruere, numerus minime quidem est exiguus; ipse tamen sequentium g) tantum iniecturus sum mentionem. De CASPARI BAVHINI *Theatro anatomico*, Francofurti 1621. 4. optime impresso, admodum quidem contemtim locutus est IO. RIOLANVS, HERMANNVS h) vero CONRINGIVS mihi videtur longe a partium studio remotior hac in re fuisse. ADRIANI SPIGELII *Libri decem de corporis* i) *humani fabrica, ab* HERM. BOERHAAVIO, in *Methodo discendi medicinam* p. 365. sequ. scriptoribus generalibus, iisque optimis, adsociati sunt; nullum autem est dubium, longe pulchriore k) forma eosdem fuisse comparituros, nisi librorum posthumorum fata experti fuissent. IO. VESLINGI *Syntagma anatomicum*, multoties l) impressum, nec non GERARDI BLASII commentario auctius m) editum, CONRINGIVS n) valde laudauit, & SCHELHAMMERVS o) optimis compendiis illius saeculi istud adnumerauit anatomicis: qui tamen commentarium GER. BLASII aegre tulit, quod, praeter autoris voluntatem & intentionem, molem libri auxerit. IOANNIS VAN HORNE *Microcosmus, seu, breuis manuductio ad historiam corporis humani*, crebris vicibus p) seorsim editus, postea vero vna cum reliquis eiusdem viri scri-

ſcriptis, nec non cum eximiis IO. GVIL. PAVLI additamentis, iunctim q) impreſſus, proximis adhuc temporibus, omnibus reliquis in hocce genere compendiis dubiam reddidit palmam. GER. BLASII *Anatome* r) *brutorum* ideo tantum locum hic aliquem inuenit, quoniam BLASIVS inter Germanos, aeque ac M. A. SEVERINVS inter Italos, primus s) de Zootomia peculiari ratione fuit ſollicitus. GODOFR. BIDLOO *Anatomia corporis humani; 105. tabulis ad viuum delineatis demonſtrata, veterumque ac recentiorum inuentis explicata, plurimisque hactenus non detectis illuſtrata.* Amſtelodami 1685. fol. pariter atque *Comperianum* opus, eſt e numero operum anatomicorum ſplendidiſſimorum; FRIDER. tamen RVYSCHIVS & GVIL. COWPERVS multa in illo inuenerunt, quae partim circa certitudinem demonſtrationis, partim circa perfectionem operis monerent. PHIL. VERHEYEN *Anatomia* t) *corporis humani*, ab HERMANNO u) BOERHAAVIO, non obſtantibus erroribus & defectibus a LAVR. HEISTERO indicatis, in catalogum praeſtantiſſimorum ſcriptorum generalium eſt relata. Non minus & CHRISTIAN. LVDOV. WELSCHII *Tabulae anatomicae, vniuerſam humani corporis fabricam perſpicue exhibentes*, Lipſiae 1697. fol. diuulgatae, multorum approbationem meruerunt. De THEOPH. BONETI *Sepulchreto, ſiue, anatomia practica ex cadaueribus morbo denatis*, qui liber, cum additamentis IO. IAC. MANGETI, optime Geneuae 1700. fol. prodiit, hoc vnum ſummatim adnotabo, iſtum librum inter omnes, qui de hoc argumento ſcripſerunt, hactenus pro pleniſſimo perfectiſſimoque w) eſſe habendum.

g) Data opera itaque factum eſt, vt e. c. IO. REMMELINI *Catoptrum microcoſmicum*; STEPH. MICHELSPACHERI *Pinax microcoſmographicus;* ANT. DEVSINGII *Idea fabricae corporis humani;* ISBRANDI DE DIEMERBROECK *Anatome corporis humani*; STEPH. BLANCARDI *Anatomia reformata*; IO. MVNNICKS *De re anatomica liber*, aliique, praeter dictos, plures, hic

fuerint praeteriti. Similiter nec moras nectere mihi vel libuit vel licuit in recensendis illis, qui, cum TOB. KNOBLOCHIO, PETRO LAVREMBERGIO, LAVR. STRAVSSIO, IO. MAVR. HOFMANNO, GVERNERO ROLFINCIO, peculiares *Dissertationes anatomicas* in lucem exposuere publicam; licet non diffitendum fit, vltimorum duorum laborem praestare reliquorum operis.

h) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 34. *Theatrum anatomicum* non tantum insigni methodo adornauit BAVHINVS, sed etiam, in additis illi operi notis, incredibili labore & diligentia, varias omnium pene ante se anatomicorum sententias in vnum quasi conspectum ita produxit, vt, qui BAVHINVM habet, omnes fere reliquos simul possideat. Tantum in partium vsibus diiudicandis requiras forte maiorem iudicii acrimoniam, & mireris non immerito, etsi rem anatomicam plures annos exercuerit, paucula tamen propria industria eum inueuisse.

i) Optime hi, cum IVL. CASSERII *Tabulis anatomicis*, sequenti titulo instructi, prodierunt: ADR. SPIGELII *De humani corporis fabrica libri decem, tabulis* XCIIX. *aeri incisis elegantissimis nec antehac visis exornati. Opus posthumum.* DAN. BVCRETIVS *edidit.* Venet. 1627. fol.

k) Ea ipsa de caussa CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 29. scribit: Ab obitu SPIGELII, is, quem diximus, BVCRETIVS, SPIGELII titulo opus anatomicum euulgauit, quod tamen BVCRETII magis, quam SPIGELII, esse, publice affirmare non dubitauit noster VESLINGIVS. Elegans est illud, & multa doctrina noua refertum, firmis tamen demonstrationibus non perinde subnixum. IACOBVM de cetero DOVGLASSIVM SPIGELIVM plagii litterarii, in hoc opere anatomico conscribendo commissi, reum egisse, id enimuero e *Bibliographia* huius *anatomica* p. 232. disci potest.

l) E. c. Patauii 1641. 8. 1647. 4. 1651. 8. Amstelodami 1649. 12. &c.

m) Amstelodami 1659. 4. 1666. 4. & Traiecti ad Rhenum 1696. 4. quae postrema editio titulo gaudet isthoc: IOAN. VESLINGII *Syntagma anatomicum, commentario atque appendice ex veterum, recentiorum, propriisque obseruationibus illustratum & auctum a* GERARDO BLASIO.

n) In *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 29. VESLINGII syntagma anatomicum, siue stylum, siue ipsum tractandi ordinem spectes, elegantissimum est, & lectu longe dignissimum.

o) In *Additam. ad Conringii introduct.* cap. IV. §. 2.

p) Lugdun. Batau. 1660. 1662. 1665. 12. Lipsiae 1675. 12.

q) Lipsiae 1707. 8. vid. cap. VIII. sect. I. §. 7.

r) Optima editio est sequens: GER. BLASII *Anatome animalium terrestrium variorum, volatilium, aquatilium, serpentum, insectorum,*

rum, ouorumque structuram naturalem ex veterum, recentiorum, propriisque obseruationibus proponens, figuris variis illustrata. Amstelodam. 1681. 4.

s) Vid REIMMANNI *Histor. litterar. german.* tom. vlt. p. 697. G. C. SCHELHAMMERVM autem, in *Via regia ad artem*, Stad. II. §. 21. p. 47. parum honorifice de isthoc opere locutum fuisse, sequentia eius testari poterunt verba: BLASIVS in Zootomia consulendus, magis, vt errores in illo reperiundos corrigas, quam, vt eum sequaris.

t) Variis locis, diuersisque formis haec habetur impressa; optime vero Bruxellis 1710. in 4. est excusa, & Coloniae 1712. 4. nec non vltima vice Amstelodami & Lipsiae anno 1731. 8. recusa; in germanicam denique linguam quoque transfusa.

u) In *Methodo discendi medicinam* p. 365. sequ.

w) Vid. FÜRSTENAVII *Desiderata medica*, pag. 80. seq. Omnem huius rei fundum occupauit, multamque promeruit famam, edito vasto satis anatomiae practicae opere, quod *Sepulchreti* titulo insigniuit, THEOPHILVS BONETVS.

§. XI.

Denique nec praesens, quod iam ferme medium currit, saeculum decimum octauum variis, iisque perquam sollertibus, caruit anatomicis: quos inter, e gente Itala x) locum hic adsignare aliquem potero sequentibus. LAVR. BELLINI *Discursuum* y) *anatomicorum* partem priorem, nuper ANTON. COCCHI Florentiae 1741. 8. e manu exarato codice ab autore defuncto superstite, Tuscano idiomate, luci exposuit litterariae, qui &, residua similiter se euulgaturum, est pollicitus. IOANNES FANTONVS non tantum *Manuductione ad anatomen*, Augustae Taurinorum 1699. 4. edita; verum magis etiam *Anatomia corporis humani ad vsum theatri accommodata*, Aug. Taurin. 1711. emissa, singularem plane famam z) sibi peperit. ANT. MARIAE VALSALVAE *Opera*, nuper ab auditore eius longe dignissimo, IO. BAPT. MORGAGNO, Venetiis 1740. 4. & quidem iunctim, euulgata, magnam ex se ipsis merentur iam existimationem, commentario autem perquam erudito a) a IO. BAPT. MORGAGNO adiecto, magis etiam vtilia vsibusque lecto-

 rum

rum accommodatiora sunt reddita. IO. DOMIN. SANTORINI *Obseruationes anatomicae*, Venet. 1724. 4. impressae, vtiliter legi poterunt. De IOANNE autem BAPTISTA MORGAGNO magnisque eiusdem meritis alibi b) iam sum loquutus, docens, *Epistolas* ipsius *anatomicas* c) *duas*, inprimis vero *Aduersaria* d) *anatomica*, & modo nominatas *Epistolas anatomicas, ad scripta* VALSALVAE *pertinentes*, eiusmodi opus e) esse, quod perennare atque immortale reddere autoris sui nomen valeat.

x) De HIER. LEOPOL. BACHETTONI *Anatome theoretico-practica*, Norimbergae 1740. 4. impressa, lego in notis ALB. HALLERI ad BOERHAAVII *Praelect. academic. in proprias institutiones*, volum. IV, p. 22. errores in ea inueniri intolerabiles. De LEALI contra LEALI, IO. BAPT. BIANCHO, ANT. PACCHIONO, aliisque, commodior infra dicendi mihi dabitur occasio.

y) Vid. Noua litteraria Goettingensia, anno 1742. pag. 297. seqq.

z) Vid. HEISTERI *Orationem de incrementis anatomiae in hoc seculo* XVIII. p. 61. Reperiuntur in hoc libro doctissimo elegans & floridus stilus, egregiae obseruationes, atque experimenta anatomica, ac pulcherrima de vsibus partium ratiocinia.

a) Intelligo hic IO. BAPT. MORGAGNI *Epistolas anatomicas duodeuiginti, ad scripta* VALSALVAE *pertinentes*, quae & ipsae Venetiis 1740. 4. in lucem prolatae fuerunt publicam.

b) Vid. STOLLII *Historia medicinae litteraria* pag. 465. seqq.

c) I. B. MORGAGNI *Epistolae anatomicae duae, nouas obseruationes & animaduersiones complectentes, quibus anatome augetur, anatomicorum inuentorum historia euoluitur, & vtraque ab erroribus vindicatur.* Lugd. Bat. 1728. 4.

d) Singula & per partes primum diuulgata prodierunt haecce aduersaria: prouti aduersaria prima Bononiae 1706. 4. Altera & tertia Patauii 1717. 4. Quarta, quinta & sexta itidem Patauii, anno 1719. 4. lucem adspexerunt. Insequuto vero tempore, quibusdam additis, sequenti rubrica notata, prodiere iuncta: IO. BAPT. MORGAGNI *Aduersaria anatomica omnia, nouis pluribus aereis tabulis, & vniuersali accuratissimo indice ornata. Opus nunc vere absolutum, inuentis & innumeris obseruationibus ac monitis refertum, quibus vniuersa humani corporis anatome, & subinde etiam res medica & chirurgica admodum illustrantur.* Patauii 1719. 4. Lugdun. Batau. 1723. 4. & 1741. 4. denuo recusa.

e) De omnibus enim ac singulis eius ad rem anatomicam spectantibus scriptis eadem dici possunt, quae LAVR. HEISTERVS in *Orat.*

Orat. de incrementis anatomiae pag. 43. de *Aduersariis primis* pronunciauit his verbis: Describit in illis primo varia noua, a se ipso primum inuenta. Deinde cognita quaedam veteribus, sed neglecta recentioribus, veris inuentoribus suis vindicat & restituit. Denique varios errores non nullorum anatomicorum egregie emendat.

§. XII.

E gallicanorum anatomicorum tanta nube, mentionem sequentium tantum iniiciam. DANIELIS TAVVRY *Nouuelle anatomie raisonnée*, quae Lutetiae Parisiorum anno 1698. 12. tertia vice prela reliquit, a MELCH. FRIDERICO etiam GEVDERO f) in latinam transfusa linguam, plurimum autori suo, etiamsi vix duodeuiginti annos natus eam scripserit, laudis g) conciliauit. *L' anatomie de l' homme, suiuant la circulation du sang, & les nouuelles decouuertes, par* PIERRE DIONIS, tanta cum omnium approbatione fuit excepta, vt Lutetiae Parisiorum anno 1729. 8. sexta iam, eaque auctior h) prioribus, editio lucem salutauerit publicam. *L' anatomie du corps de l' homme en abregé, par* P. NOGVEZ, a Paris 1723. 12. in Ephemeridibus eruditorum (*Iournal des Sauans*) laudatur ceu accuratissimorum i) anatomicae artis compendiorum vnum. *La Splanchnologie, ou, l' anatomie des visceres, auec des figures originales, tirées d' aprês les cadaures, par* IAQVES CROISSANT GARENGEOT, Lutetiae Parisiorum anno 1727. 12. & ibidem auctior multo 1743. 12. typis exscripta, nec minus germanice versa Berolini 1733. 8. edita, acri admodum censura ab LAVRENTIO HEISTERO excepta, eiusque autor non multorum errorum tantum, sed & plagii litterarii ab eodem postulatus fuit. Ea contra *Exposition anatomique de la structure du corps humain, par* IAQVES BENIGNE WINSLOW, a Paris 1732. 4. tam vniuersali plausu vbique recepta est, vt non solum opus istud Amstelodami 1732. 12. quatuor voluminibus constans, statim recuderetur, verum etiam, ob praestan-

tiam sui, Berolini 1733. 8. in germanicum translatum idioma, & in anglicanum k) a G. DOVGLASSIO conuersum Londini eodem anno 1733. in 4. characteribus exscriptum diuulgaretur.

f) DAN. TAVVRY *Noua anatomia ratiociniis illustrata, & latinitate donata a* M. F. GEVDERO, Vlmae 1694. 8.

g) Vid. FONTENELLE *Histoire de l'academie des sciences* tom. I. p. 54. seqq. ALBERTVS etiam HALLERVS, in *Notis ad* BOERHAAVII *Praelect. academ. in proprias institutiones medicas*, vol. IV. pag. 54. TAVVRYVM appellauit anatomicum perspicacem.

h) Vide Noua litteraria anni 1730. p. 356.

i) Videantur noua litteraria anni 1724. pag. 921. seq. vbi refertur simul, huncce librum haud alia ratione intuendum esse, ac ceu compendiosam eamque feliciter adornatam synopsin, ex COWPERI & IAC. KEILII anatomiis contractam.

k) *An anatomical exposition of de structure of the human Body, by* IAMES BENIGNVS WINSLOW. *Translated from the french original:* By G. DOVGLAS. London. 1733. 4.

§. XIII.

Apud anglos l) IACOBVS KEILIVS, IACOBVS DRAKIVS & GVILIELMVS CHESELDENIVS; apud danos autem CASPAR BARTHOLINVS, prae reliquis mihi obueniunt. Compendium anatomicum, quod primus horum anno 1702. in lucem exire iussit, adeo pulchre concinnatum m), ideoque tam celeriter distractum fuit, vt, titulum gerens isthunc: *The Anatomy of the humane Body abridg'd, by* IAMES KEILL, Londini iam anno 1718. in 12. sexta vice fuerit imprimendum. De IAC. DRAKII *Anthropologia noua: or, A new System of Anatomy*, by IAMES DRAKE, Londini 1707. 8. prima vice impressa, postea ibidem anno 1717. 8. & anno 1729. eadem forma, longe auctior, repetitis prelis subltrata, non solum D. WAGSTAFFIVS in praemissa eidem praefatione, sed & LAVR. HEISTERVS n) admodum honorifice pronunciauerunt. Nec minus opus illud anatomicum, quod, rubrica insignitum isthac: *The Anatomy of the humane Body, by* W. CHESELDEN, Londini 1713. 8. &

8. & eodem in loco, 1722. 8. idque auctius, publicatum, a nominato modo LAVR. o) HEISTERO fuit laudatum: cui & CASP. BARTHOLINI *Specimen historiae anatomicae partium corporis humani*, Hafniae 1701. 4. euulgatum, bonae notae p) liber audit.

l) De FRANC. NICHOLLSII *Compendio anatomico*, Oxonii 1738. 4. impreſſo, ſed nimis compendioſo atque conciſo, legi poſſunt Noua litteraria anni 1739. p 403. ſequ.

m) Vid. HEISTERI *Orat. de increment. anatom.* p. 29. Anno 1702. inclaruit IACOBVS KEILIVS, qui ſermone anglicano anatomen corporis humani, perquam concinnam & breuem, attamen perquam vtilem & egregiam, edidit, quae ab eo tempore minimum ſexies recuſa eſt.

n) Cit. loc. p. 47. In Anglia IAC. DRAKE Anthropologiam nouam, ſiue nouum ſyſtema anatomiae, duobus voluminibus anglice diuulgauit, elegantibus iisque multis nouis figuris & inuentis refertisſimum. Et iterum pag. 146. haec ſcribit: DRAKE multis nouis figuris anthropologiam ſuam exornauit, & praeter figuras optimas, quas & RIDLEVS de cerebro, & COWPERVS in variis ſcriptis, apud nos valde raris, dederunt, multas alias nouas cum publico communicauit.

o) Cit. loc. pag. 68. Speciatim laudanda eſt GVIL. CHESELDENII *Anatome corporis humani*, lingua anglicana quoque conſcripta, in qua non ſolum in XXIII. tabulis aeneis multas easque egregias delineationes nouas variarum partium exhibet, ſed & varia ab aliis non obſeruata deſcribit. Sciendum autem, HEISTERVM loquutum eſſe de priore editione; namque in poſteriore tabulae XXXI. numerantur.

p) Cit. loc. p. 27. Exhibentur in hoc libro varia, quae apud alios non occurrunt.

§. XIV.

Germanos anatomicos quod attinet, quorum ingens eſt numerus, non omittendi a me ſunt, ex ſcriptoribus generalibus quidem, qui ſequuntur. GVNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Analecta anatomico-phyſiologica, in breues theſes congeſta, quibus propriae obſeruationes & ſententiae potisſimum publico eruditorum iudicio exponuntur.* Kiliae 1704. 4. recenſita breuiter exhibentur in LAVRENT. HEISTERI *Orat. de incrementis anatom.* p. 133. ſeqq. qui ſimul annotat,

 auto-

autorem horum analectorum in cenſendis aliis anatomicis ſaepiuſcule nimis acrem & acerbum q) agere cenſorem. In IO. IAC. MANGETI *Theatro anatomico*, Geneuae 1717. fol. excuſo, cum IO. BAPT. MORGAGNVS, tum & LAVR. HEISTERVS quam plurima deprehendit nota nigra obeloque digna. Ea contra viri toto orbe celeberrimi, FREDERICI RVYSCHII *Obſeruationes* r) *anatomico - chirurgicae*; *Epiſtolae* s) *anatomicae problematicae*; *Theſauri* t) *anatomici*; *Aduerſaria* u) *anatomico - medico - chirurgica*, & *Curae* w) *poſteriores*, tanta omnium vbique locorum cum adprobatione ſunt excepta, vt credere cogar, lectores me ſuperflui laboris inſumti accuſaturos eſſe, ſi de celebratis vndique meritis magni huius viri plura in medium afferre conarer. De LAVR. HEISTERI *Compendio anatomico*, multis vicibus x) edito, nec non in diuerſas y) linguas translato, iam alio loco z) annotare me memini, illud, ob accurate ſeruatum ordinem rerum, quodque nihil neceſſarii ibi deſideretur, & nihilo minus gratae breuitatis leges minime ſint migratae, optimis huius argumenti ſcriptis adnumerandum eſſe; ad quorum claſſem referre etiam fas eſt, IO. ADAMI KVLMI *Tabellas* a) *anatomicas*; idque propter concinnam earundem diſpoſitionem.

q) Pag. 37. vbi haec leges: Inprimis vero acerbas, & plus quam acerbas, animaduerſiones in VERHEYENI' *anatomen*, WILLISIVM, NVCKIVM, GAVETTVM, TOVRNEFORTIVM, HIGHMORVM, VIEVSSENIVM, LEEVWENHOECKIVM, BELLINVM, &c. exhibuit.

r) FREDER. RVYSCHII *Obſeruationum anatomico - chirurgicarum centuria*. Amſtelodami 1691. 4. c. figur.

s) Harum numerus eſt XVI. quae cum anno 1696. coeperunt, ſequentibus annis continuatae, & omnes ac ſingulae Amſtelodami, in forma quadripartita, adiectis figuris nitidis, impreſſae fuerunt.

t) Theſaurorum iſtorum ad vndenarium adſurgit numerus, quorum I. anno 1701. II. 1702. III. 1703. IV. 1704. V. & VI. 1705. VII. 1707. VIII. 1709. IX. 1714. X. 1716. XI. denique 1728. Amſtelodami in 4. multis ſinguli figuris illuſtrati, prodierunt.

u) Horum

u) Horum aduerſariorum Decas I. Amſtelod. 1717. Decas II. ibid. 1720. & Decas III. ibid. 1723. in 4. lucem adſpexere.

w) FREDER. RVYSCHII *Curae poſteriores, ſeu, Theſaurus anatomicus, omnium praecedentium maximus* Amſtelodam. 1724. 4. De cetero annotare hic adhuc volui, ISBRANDVM GISBERTVM ARLEBOVT *Indicem locupletiſſimum operum anatomico-chirurgicorum* FREDER. RVYSCHII Amſtelodami anno 1725. in 4. diuulgaſſe.

x) Altorfi 1717. 4. 1719. 8. 1727. 8. 1732. 8. Amſtelodami 1723. 8. Venet. 1730. 8.

y) E. c. in germanicam, anglicam, gallicam.

z) Vid. STOLLII *Hiſtoria medicinae* p. 473. ſq.

a) Dantiſci 1725. 4. hae luci germanico idiomate exponebantur publicae; longe auctiores vero, adde, & emendatiores, Lipſiae 1741. 8. prelo prodiere; in batauam quoque & gallicam linguas transfuſae.

§. XV.

Pro illuſtranda zootomia, recentisſimis hisce temporibus, non nulla magni ponderis ſcripta innotuerunt, quorum conciſam, oportet, faciam mentionem. *Valentiniani* operis argumentum ipſa, quae hic ſequitur, monſtrat inſcriptio: *Amphitheatrum zootomicum, tabulis aeneis quam plurimis exhibens hiſtoriam animalium anatomicam, e miſcellaneis S. R. I. academiae naturae curioſorum, diariis ſocietatum ſcientiarum regiarum, Pariſienſis, Anglicae & Pruſſicae, actis Hafnienſibus & Lipſienſibus, zootomiis anatomicorum celeberrimorum, aliisque ſcriptis rarioribus collectam. Accedit methodus ſecandi cadauera humana, cum encheireſibus iniiciendi ceram, hydrargyrum, & ſtannum in vaſa ſanguifera & lymphatica, vt & ars dealbandi oſſa pro ſceletopoeia, cum oſteologia, tabulis myologicis, aliisque manuſcriptis Rauianis, hactenus ſummopere expetitis, accurante variisque notis & figuris illuſtrante* MICHAELE BERNHARDO VALENTINI. Francofurti ad Moenum 1720. f. Quam raras anteaque nunquam vel viſas vel auditas obſeruationes ANTON. A LEEVWENHOECK, ope microſcopiorum ab ipſo adhibitorum, in anatomia minimorum in ſcenam

nam b) produxerit, *Opera* eius *vniuerſa*, Lugduni batauorum anno 1722. 4. adiectis compluribus figuris aeri inciſis, iunctim edita ſatis ſuperque teſtari poterunt. Similiter & IO. SWAMMERDAMII c) *Biblia naturae*, curantibus HERM. BOERHAAVIO & HIERONYMO DAVIDE GAVBIO, haud ita pridem, e manu exaratis chartis ab autore relictis, batauа latinaque lingua, edita, adeo momentoſis, ad hiſtoriam & anatomiam inſectorum pertinentibus, obſeruationibus ſunt referta, vt omnes hiſtoriae naturalis ſtudioſi, publicato hoc quantiuis pretii & fere neceſſario opere, mirum in modum ſint exhilarati.

b) Inter illas ſyſtema generationis ex vermiculis ſeminalibus tantum excitauit attentionis, vt ad hodiernum vsque diem quam plurimi eruditisſimorum virorum eidem album adiicere calculum nulli dubitent.

c) Titulus operis latinus ita habet: IO. SWAMMERDAMII *Biblia naturae, ſiue, hiſtoria inſectorum in claſſes certas redacta, nec non exemplis, & anatomico variorum animalculorum examine, aeneisque tabulis illuſtrata. Inſertis numeroſis rariorum naturae obſeruationibus. Omnia lingua bataua, auctori vernacula, conſcripta. Accedit praefatio, in qua vitam auctoris deſcripſit* HERMAN. BOERHAAVE. *Latinam verſionem adſcripſit* HIERONYMVS DAVID GAVBIVS. *Tomus* I. Lugduni batauorum 1737. f. *Tomus* II. ibid. 1738. f. c. figur.

§. XVI.

Antequam recenſioni huic ſcriptorum anatomicorum generalium colophonem impono, paucis ſaltem commemorare me oportet, CHRISTOPHORVM IACOBVM TREW iam ante decennium d) erudito orbi ſignificauiſſe, ſe in conficienda plena, certa atque perſpicua delineatione & explicatione omnium ac ſingularum humani corporis partium deſudare atque occupari. Similis laboris in ſe ſuſcipiendi ſpem reipublicae litterariae fecit ALBERTVS HALLERVS, quando nuperrime *Iconum anatomicarum, quibus praecipuae partes corporis humani exquiſita cura delineatae continentur, Faſciculum* I. Goettingae 1743. & *Faſciculum*

lum II. ibidem 1745. in folio excudendum curauit, quorum primus in Nouis litterariis, quae Lipsiae emittuntur, anni 1744. p. 101. sequ. recensitus comparet; pagina vero 325. seqq. diuersorum erratorum atque defectuum postulatus legitur.

d) Videantur Noua litteraria anni 1733. pag. 715. seqq. & 1734. p. 191.

CAP. I. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS ANATOMICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores osteologici, §. *1. 2.* *Myologici*, §. *3. 4.* *Neurologici*, §. *5.* *Adenologici*, §. *6.* *Angiologici*, §. *7.* *Scriptores de organis sensoriis*, §. *8.* *Scriptores de partibus genitalibus*, §. *9.* *Scriptores anatomici specialissimi*, §. *10.*

§. I.

De osteologia quam plurimi sollicitos sese gesserunt. GALENI *Libellus de ossibus*, praeter alios a), a GABR. b) FALLOPPIO, IO. PHIL. c) INGRASSIA, & a CASP. d) HOFMANNO peculiaribus commentariis fuit ornatus. Osteogeniam foetuum VOLCHERVS COITERVS, HENR. e) EYSSONIVS, & THEODORVS f) KERCKRINGIVS ex instituto scriptis propriis indagauerunt. De horum vltimo tamen obseruandum fuisse non nullos, qui eum plagii litterarii g) hoc ipso in opere commisisi suspectum reddere tentarent. Quum autem omnes hi autores non carerent suis naeuis, suis laborarent iisque variis defectibus; B. S. ALBINVS, in *Iconibus ossium foetus humani*, Lugd. batau. 1738. in 4. editis, iisdem remederi conatus est. Ceterum generatim de hoc argumento lo-

loquendo, osteologia cum saeculo septimo & decimo considerari curatius & explorari coepta est. IO. IESSENII A IESSEN *Tractatus de ossibus*, Wittebergae 1601. 8. emissus, & PETRI PAAWII *Primitiae anatomicae de humani corporis ossibus*, Lugdun. batau. 1615. 4. & Amstelodami 1633. 4. in lucem prolatae, huc pertinent. IO. RIOLANI *Osteologia, ex veterum & recentiorum praeceptis descripta, collecta & in ordinem redacta*, Lutetiae Parisior. 1614. & 1618. 8. separatim antea impressa, iam allegatae eiusdem anthropographiae deinde fuit inserta. ARNOLDI SENGVERDII *Osteologia corporis humani* Amstelodami anno 1662. in 12. prelo prodiit. Maximam tamen, prae reliquis huius argumenti scriptis, DOMINICI GAGLIARDI *Anatome ossium, nouis inuentis illustrata*, quae Romae 1689. 8. excusa, Leidae vero 1723. 8. recusa est, & iuxta hanc, CLOPTONIS HAVERSII, anglicano idiomate h) conscripta, & tum a MELCH. FRIDER. i) GEVDERO, tum a IO. FRIDER. k) SCHREIBERO latinitate donata, *Osteologia noua*, meruerunt apud plerosque existimationem.

a) Vid. tom. I. cap. VII. sect. II. §. 1.

b) GABR. FALLOPPII *Expositio in librum Galeni de ossibus. Huic accesserunt eiusdem obseruationes anatomicae.* Venet. 1570. 4.

c) IO. PHIL. INGRASSIAE *Commentaria in Galeni librum de ossibus.* Panormi 1603. fol. & Venet. 1604. fol.

d) CLAVDII GALENI *De ossibus ad tyrones liber, graece & latine, cum notis perpetuis* CASP. HOFMANNI. Francofurt. 1629. f.

e) HENR. EYSSONII *Tractatus anatomicus & medicus de ossibus infantis cognoscendis, conseruandis & curandis. Acc.* VOLCHERI COITERI *eorundem ossium historia.* Groeningae 1659. 12.

f) THEOD. KERCKRINGII *Osteogenia foetuum, in qua, quid cuique ossiculo singulis accedat mensibus, quidque decedat, & in eo per varia immutetur tempora, accuratissime oculis subiicitur.* Amstelodami 1670. 4. c. figur. Adiectus est iste tractatus *Bibliothecae anatomicae* CLERICI & MANGETI, nec non insequuto tempore ipsius etiam KERCKRINGII *Operibus vniuersis*, sub titulo: THEOD. KERCKRINGII *Opera omnia anatomica, continentia spicilegium anatomicum, osteogeniam foetuum, nec non anthropogeniae*

niae ichnographiam, accuratisſimis figuris aeri inciſis illuſtrata, Lugdun. batau. 1717. in 4. in lucem emisſis, inſertus.

g) Vid. CHRISTIAN. IOAN. LANGII *Opera medica*, pag. 246. Nondum ſi haec tibi ſuffecerint contra KERCKRINGIVM allata, audi, quid CAROLVS DRELINCVRTIVS in Tract. de foeminarum ouis 1686. emiſſo, pag. 53. ſequ. de ipſo dicat: Scilicet illum tum temporis iuuenem imberbem egregium plagium litterarium commiſiſſe, & de verbo ad verbum obſeruationes, imo & icones has ſuas deſumſiſſe ex SEVERINO PINAEO, qui non ſolum tale ſceleton, ſed embryones quoque formicae & grani tritici magnitudine in Tract. de virginitatis notis a pag. 110. vsque ad 127. exhibet, PINAEI vero fidem, vtpote tonſoris, ſubleſtam eſſe, dicit.

h) Oſteologia eius noua prima vice Londini anno 1691. 8. in lucem prodiit, ibidem quoque anno 1729. eadem forma denuo edita.

i) Sequenti ornata titulo: *Oſteologia noua, ſiue, nouae quaedam obſeruationes de oſſibus & partibus ad illa pertinentibus; quarum occaſione oſſium accretio & nutritio, tum in genere, tum in ſpecie, nouum quoque glandularum, mucilaginoſarum dictarum, genus, nec non affectus quidam corporis humani praeternaturales, aliaque phaenomena ſcitu dignisſima, ad cauſſas ſuas reuocantur & exponuntur. Quinque diſcurſibus Reg. Societ. Londin. per interualla communicatae, & ſuperiore demum anno idiomate anglico Londini editae per* CLOPTONEM HAVERS, *M. D. & Societ. Reg. Socium. Nunc vero in latinum idioma conuerſae & editae cura* MELCH. FRID. GEVDERI. Francof. & Lipſ. 1692. 8.

k) Vid. Noua litteraria anni 1720. p. 747. vbi ſimul adnotatur, verſioni huic latinae adnexum eſſe vna IO. CHRISTOPH. HEYNII *Tentamen de praecipuis oſſium morbis*, Amſtelodami antea anno 1705. 8. impreſſum.

§. II.

Recentisſimo aeuo, e gallis l), I. B. VERDVC & LE CLERC; e germanis m) vero, IO. PALFYN, & BERNH. SIEGFRIED ALBINVS, ex anglis n) denique, WILHELMVS CHESELDENIVS, ROBERTVS NESBITVS, & GEORG. THOMPSONIVS, prae ceteris, de oſteologia bene mereri ſtuduerunt. *La nouuelle Oſteologie, par* I. B. VERDVC, Lutetiae Pariſiorum anno 1693. 12. euulgata fuit. *L'Oſteologie exacte & complette par Monſ.* LE CLERC, à Paris 1706. 8. magno in HERM. BOERHAAVII *Methodo diſcendi medici-*

dicinam pag. 299. mactatur encomio. IO. PALFYN *Osteologia*, initio lingua belgica conscripta, & Gandaui 1702. atque Lugduni batau. 1724. 8. edita, tandem vero in gallicam o) ab ipso transfusa autore, BOERHAAVIO, ALBINO & HEISTERO p) iudicibus, praestantissimis huius quidem generis scriptis accensenda venit: qualibus BERNHARDI quoque SIEGFRIED ALBINI, *De ossibus corporis humani libellus* merito est adnumerandus, Lugduni batauorum 1726. 8. impressus. *Osteographia, or, the anatomy of the bones; by* WILLIAM CHESELDEN, Lond. 1733. f. aduersarium nacta fuit IOANN. q) DOVGLASSIVM. ROBERTI NESBIT *Human osteogenie*, Londini 1736. 8. plausum meruit. Ast, *Anatomy of the human Bones, by* GEOR. THOMPSON, Lond. 1734. 8. edita, vlterius mihi haud innotuit, quam ex recensione Nouorum litterariorum anni 1734. pag. 657.

l) Librum gallicum, cui titulus: *L'Osteologie par* IEAN BAGET, Lutetiae 1732. 12. prelo extrusum, studio omisi; quoniam ille in ephemeridibus doctorum, *(Iournal des Sauans)* prout inde referunt Noua litteraria dicti anni p. 809. non adeo bene audit.

m) Nisi diffusius scribendi genus vitare mihi in hoc libro proposuissem; poterant hic & DAV. HERMANNI, FRANC. BALTH. VON LINDERN aliorumque praeterea, ad doctrinam de ossibus spectantia, opera recenseri.

n) In enarrandis diuersis obseruationibus anatomicis ALEXANDRI MONRO, THOMAE SIMSON, reliquorumque, moras nectere, consultum mihi visum non fuit; quum separatim illae haud fuerint impressae, verum *Miscellaneis Edinburgensibus* hinc illinc interspersae inueniantur.

o) *Nouuelle osteologie, ou, description exacte des os du corps humain, accompagnée de remarques chirurgicales sur le traitement de leurs maladies. Par* IEAN PALFYN. à Paris 1731. 12.

p) Vid. Noua litterar. anni 1732. p. 644.

q) Huius animaduersiones ita sunt inscriptae: *Animaduersions on a late pompous Book intitled: Osteographia &c.* By IOHN DOVGLAS Lond. 1735. 8. Vtrumque scriptum recensitum inuenitur in nou. actis eruditorum an. 1737. Mens. Iul.

§. III.

§. III.

Myologiam diuersi r) autores peculiaribus libris illustrare sunt aggressi. Anatomici illius sollertissimi, IO. BAPT. CANANI, *Musculorum humani corporis picturata dissectio*, Ferrariae 1572. in 4. edita, magni est facienda; numeratur autem inter libros admodum raros: qualium de numero habentur etiam iure IO. BAPT. CARCANI *Libri duo, in quorum primo de cordis vasorum in foetu vnione ex mente* GALENI, *in altero, de musculis, palpebrarum atque oculorum motibus deseruientibus, accurate agitur*, Ticini 1574. in 8. impressi. NIC. STENONIS, *De musculis & glandulis, obseruationum specimen*, frequentius s) editum, pariter atque eiusdem *Specimen* t) *elementorum myologiae*, bibliothecae anatomicae *Clerico-Mangetianae* fuit insertum. IO. BROWNE *Myographia noua, siue, musculorum omnium in corpore humano hactenus repertorum accuratissima descriptio, in sex praelectiones distributa*, Londini 1684. f. excusa, ob sui praestantiam u), non solum Lugduni batau. 1687. & 1690. fol. recusa, sed etiam a CHRIST. MAXIMIL. SPENERO in germanicam translata linguam, &, annotationibus non nullis illustrata, Berolini 1704. f. & Lipsiae 1715. fol. inscripta: IO. BROWNE *verteutschte neue Beschreibung der in dem menschlichem Cörper befindlichen Musculn*, fuit edita.

r) De vetustis, diu autem deperditis, myologiis LYCI, AELIANI MECCII, PELOPIS &c. nihil, quod referrem, inuenire potui; in CAROLI autem SPONII *Myologia* recensenda moras nectere nolui.

s) Ex. gr. Hafniae 1664. & 1667. 4. Amstelodam. 1664. 12. Lugdun. bat. 1683. 12.

t) Amstelodam. 1669. 8.

u) Vid. CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII *Epistol. arcan.* tom. I. p. 58. BROWN medicus est omni exceptione maior, cuius historia musculorum nihil accuratius exiuit in lucem, adeo, vt BARTHOLINI auditores obstupescerent, cum eum virum audirent disserentem.

fuerint praeteriti. Similiter nec moras nectere mihi vel libuit vel licuit in recensendis illis, qui, cum TOB. KNOBLOCHIO, PETRO LAVREMBERGIO, LAVR. STRAVSSIO, IO. MAVR. HOFMANNO, GVERNERO ROLFINCIO, peculiares *Dissertationes anatomicas* in lucem exposuere publicam; licet non diffitendum sit, vltimorum duorum laborem praestare reliquorum operis.

h) *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 34. *Theatrum anatomicum* non tantum insigni methodo adornauit BAVHINVS, sed etiam, in additis illi operi notis, incredibili labore & diligentia, varias omnium pene ante se anatomicorum sententias in vnum quasi conspectum ita produxit, vt, qui BAVHINVM habet, omnes fere reliquos simul possideat. Tantum in partium vsibus diiudicandis requiras forte maiorem iudicii acrimoniam, & mireris non immerito, etsi rem anatomicam plures annos exercuerit, paucula tamen propria industria eum inuenisse.

i) Optime hi, cum IVL. CASSERII *Tabulis anatomicis*, sequenti titulo instructi, prodierunt: ADR. SPIGELII *De humani corporis fabrica libri decem, tabulis* XCIIX. *aeri incisis elegantissimis nec antehac visis exornati. Opus posthumum.* DAN. BVCRETIVS *edidit.* Venet. 1627. fol.

k) Ea ipsa de caussa CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 29. scribit: Ab obitu SPIGELII, is, quem diximus, BVCRETIVS, SPIGELII titulo opus anatomicum euulgauit, quod tamen BVCRETII magis, quam SPIGELII, esse, publice affirmare non dubitauit noster VESLINGIVS. Elegans est illud, & multa doctrina noua refertum, firmis tamen demonstrationibus non perinde subnixum. IACOBVM de cetero DOVGLASSIVM SPIGELIVM plagii litterarii, in hoc opere anatomico conscribendo commissi, reum egisse, id enimuero e *Bibliographia* huius *anatomica* p. 232. disci potest.

l) E. c. Patauii 1641. 8. 1647. 4. 1651. 8. Amstelodami 1649. 12. &c.

m) Amstelodami 1659. 4. 1666. 4. & Traiecti ad Rhenum 1696. 4. quae postrema editio titulo gaudet isthoc: IOAN. VESLINGII *Syntagma anatomicum, commentario atque appendice ex veterum, recentiorum, propriisque obseruationibus illustratum & auctum a* GERARDO BLASIO.

n) In *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 29. VESLINGII syntagma anatomicum, siue stylum, siue ipsum tractandi ordinem spectes, elegantissimum est, & lectu longe dignissimum.

o) In *Additam. ad Conringii introduct.* cap. IV. §. 2.

p) Lugdun. Batau. 1660. 1662. 1665. 12. Lipsiae 1675. 12.

q) Lipsiae 1707. 8. vid. cap. VIII. sect. I. §. 7.

r) Optima editio est sequens: GER. BLASII *Anatome animalium terrestrium variorum, volatilium, aquatilium, serpentum, insectorum,*

rum, ouorumque structuram naturalem ex veterum, recentiorum, propriisque obseruationibus proponens, figuris variis illustrata. Amstelodam. 1681. 4.

s) Vid KEIMMANNI *Histor. litterar. german.* tom. vlt. p. 697. G. C. SCHELHAMMERVM autem, in *Via regia ad artem,* Stad. II. §. 21. p. 47. parum honorifice de isthoc opere locutum fuisse, sequentia eius testari poterunt verba: BLASIVS in Zootomia consulendus, magis, vt errores in illo reperiundos corrigas, quam, vt eum sequaris.

t) Variis locis, diuersisque formis haec habetur impressa; optime vero Bruxellis 1710. in 4. est excusa, & Coloniae 1712. 4. nec non vltima vice Amstelodami & Lipsiae anno 1731. 8. recusa; in germanicam denique linguam quoque transfusa.

u) In *Methodo discendi medicinam* p. 365 sequ.

w) Vid. FÜRSTENAVII *Desiderata medica,* pag. 80. seq. Omnem huius rei fundum occupauit, multamque promeruit famam, edito vasto satis anatomiae practicae opere, quod *Sepulchreti* titulo insigniuit, THEOPHILVS BONETVS.

§. XI.

Denique nec praesens, quod iam ferme medium currit, saeculum decimum octauum variis, iisque perquam sollertibus, caruit anatomicis: quos inter, e gente Itala x) locum hic adsignare aliquem potero sequentibus. LAVR. BELLINI *Discursuum* y) *anatomicorum* partem priorem, nuper ANTON. COCCHI Florentiae 1741. 8. e manu exarato codice ab autore defuncto superstite, Tuscano idiomate, luci exposuit litterariae, qui &, residua similiter se euulgaturum, est pollicitus. IOANNES FANTONVS non tantum *Manuductione ad anatomen,* Augustae Taurinorum 1699. 4. edita; verum magis etiam *Anatomia corporis humani ad vsum theatri accommodata,* Aug. Taurin. 1711. emissa, singularem plane famam z) sibi peperit. ANT. MARIAE VALSALVAE *Opera*, nuper ab auditore eius longe dignissimo, IO. BAPT. MORGAGNO, Venetiis 1740. 4. & quidem iunctim, euulgata, magnam ex se ipsis merentur iam existimationem, commentario autem perquam erudito a) a IO. BAPT. MORGAGNO adiecto, magis etiam vtilia vsibusque lecto-

rum accommodatiora sunt reddita. IO. DOMIN. SANTORINI *Obseruationes anatomicae*, Venet. 1724. 4. impressae, vtiliter legi poterunt. De IOANNE autem BAPTISTA MORGAGNO magnisque eiusdem meritis alibi b) iam sum loquutus, docens, *Epistolas* ipsius *anatomicas* c) *duas*, inprimis vero *Aduersaria* d) *anatomica*, & modo nominatas *Epistolas anatomicas, ad scripta* VALSALVAE *pertinentes*, eiusmodi opus e) esse, quod perennare atque immortale reddere autoris sui nomen valeat.

x) De HIER. LEOPOL. BACHETTONI *Anatome theoretico-practica*, Norimbergae 1740. 4. impressa, lego in notis ALB. HALLERI ad BOERHAAVII *Praelect. academic. in proprias institutiones*, volum. IV. p. 22. errores in ea inueniri intolerabiles. De LEALI contra LEALI, IO. BAPT. BIANCHO, ANT. PACCHIONO, aliisque, commodior infra dicendi mihi dabitur occasio.

y) Vid. Noua litteraria Goettingensia, anno 1742. pag. 297. seqq.

z) Vid. HEISTERI *Orationem de incrementis anatomiae in hoc seculo* XVIII. p. 61. Reperiuntur in hoc libro doctissimo elegans & floridus stilus, egregiae obseruationes, atque experimenta anatomica, ac pulcherrima de vsibus partium ratiocinia.

a) Intelligo hic IO. BAPT. MORGAGNI *Epistolas anatomicas duodeuiginti, ad scripta* VALSALVAE *pertinentes*, quae & ipsae Venetiis 1740. 4. in lucem prolatae fuerunt publicam.

b) Vid. STOLLII *Historia medicinae litteraria* pag. 465. seqq.

c) I. B. MORGAGNI *Epistolae anatomicae duae, nouas obseruationes & animaduersiones complectentes, quibus anatome augetur, anatomicorum inuentorum historia euoluitur, & vtraque ab erroribus vindicatur.* Lugd. Bat. 1728. 4.

d) Singula & per partes primum diuulgata prodierunt haecce aduersaria: prouti aduersaria prima Bononiae 1706. 4. Altera & tertia Patauii 1717. 4. Quarta, quinta & sexta itidem Patauii, anno 1719. 4. lucem adspexerunt. Insequuto vero tempore, quibusdam additis, sequenti rubrica notata, prodiere iuncta: IO. BAPT. MORGAGNI *Aduersaria anatomica omnia, nouis pluribus aereis tabulis, & vniuersali accuratissimo indice ornata. Opus nunc vere absolutum, inuentis & innumeris obseruationibus ac monitis refertum, quibus vniuersa humani corporis anatome, & subinde etiam res medica & chirurgica admodum illustrantur.* Patauii 1719. 4. Lugdun. Batau. 1723. 4. & 1741. 4. denuo recusa.

e) De omnibus enim ac singulis eius ad rem anatomicam spectantibus scriptis eadem dici possunt, quae LAVR. HEISTERVS in *Orat.*

Orat. de incrementis anatomiae pag. 43. de *Aduersariis primis* pronunciauit his verbis: Describit in illis primo varia noua, a se ipso primum inuenta. Deinde cognita quaedam veteribus, sed neglecta recentioribus, veris inuentoribus suis vindicat & restituit. Denique varios errores non nullorum anatomicorum egregie emendat.

§. XII.

E gallicanorum anatomicorum tanta nube, mentionem sequentium tantum iniiciam. DANIELIS TAVVRY *Nouuelle anatomie raisonnée*, quae Lutetiae Parisiorum anno 1698. 12. tertia vice prela reliquit, a MELCH. FRIDERICO etiam GEVDERO f) in latinam transfusa linguam, plurimum autori suo, etiamsi vix duodeuiginti annos natus eam scripserit, laudis g) conciliauit. *L' anatomie de l' homme, suiuant la circulation du sang, & les nouuelles decouuertes, par* PIERRE DIONIS, tanta cum omnium approbatione fuit excepta, vt Lutetiae Parisiorum anno 1729. 8. sexta iam, eaque auctior h) prioribus, editio lucem salutauerit publicam. *L' anatomie du corps de l' homme en abregé, par* P. NOGVEZ, a Paris 1723. 12. in Ephemeridibus eruditorum (*Iournal des Sauans*) laudatur ceu accuratissimorum i) anatomicae artis compendiorum vnum. *La Splanchnologie, ou, l' anatomie des visceres, auec des figures originales, tirées d' après les cadaures, par* IAQVES CROISSANT GARENGEOT, Lutetiae Parisiorum anno 1727. 12. & ibidem auctior multo 1743. 12. typis exscripta, nec minus germanice versa Berolini 1733. 8. edita, acri admodum censura ab LAVRENTIO HEISTERO excepta, eiusque autor non multorum errorum tantum, sed & plagii litterarii ab eodem postulatus fuit. Ea contra *Exposition anatomique de la structure du corps humain, par* IAQVES BENIGNE WINSLOW, a Paris 1732. 4. tam vniuersali plausu vbique recepta est, vt non solum opus istud Amstelodami 1732. 12. quatuor voluminibus constans, statim recuderetur, verum etiam, ob praestan-

tiam fui, Berolini 1733. 8. in germanicum translatum idioma, & in anglicanum k) a G. DOVGLASSIO conuerfum Londini eodem anno 1733. in 4. characteribus exfcriptum diuulgaretur.

f) DAN. TAVVRY *Noua anatomia ratiociniis illuſtrata, & latinitate donata a* M. F. GEVDERO, Vlmae 1694. 8.

g) Vid. FONTENELLE *Hiſtoire de l' academie des ſciences* tom. I. p. 54. feqq. ALBERTVS etiam HALLERVS, in *Notis ad* BOERHAAVII *Praelect. academ. in proprias inſtitutiones medicas*, vol. IV. pag. 54. TAVVRYVM appellauit anatomicum perfpicacem.

h) Vide Noua litteraria anni 1730. p. 356.

i) Videantur noua litteraria anni 1724. pag. 921. feq. vbi refertur fimul, hunece librum, haud alia ratione intuendum effe, ac ceu compendiofam eamque feliciter adornatam fynopfin, ex COWPERI & IAC. KEILII anatomiis contractam.

k) *An anatomical expoſition of de ſtructure of the human Body, by* IAMES BENIGNVS WINSLOW. *Translated from the french original:* By G. DOVGLAS. London. 1733. 4.

§. XIII.

Apud anglos l) IACOBVS KEILIVS, IACOBVS DRAKIVS & GVILIELMVS CHESELDENIVS; apud danos autem CASPAR BARTHOLINVS, prae reliquis mihi obueniunt. Compendium anatomicum, quod primus horum anno 1702. in lucem exire iuffit, adeo pulchre concinnatum m), ideoque tam celeriter diftractum fuit, vt, titulum gerens isthunc: *The Anatomy of the humane Body abridg'd, by* IAMES KEILL, Londini iam anno 1718. in 12. fexta vice fuerit imprimendum. De IAC. DRAKII *Anthropologia noua*: *or, A new Syſtem of Anatomy*, by IAMES DRAKE, Londini 1707. 8. prima vice impreffa, poftea ibidem anno 1717. 8. & anno 1729. eadem forma, longe auctior, repetitis prelis fubftrata, non folum D. WAGSTAFFIVS in praemiffa eidem praefatione, fed & LAVR. HEISTERVS n) admodum honorifice pronunciauerunt. Nec minus opus illud anatomicum, quod, rubrica infignitum isthac: *The Anatomy of the humane Body, by* W. CHESELDEN, Londini 1713. 8. &

8. & eodem in loco, 1722. 8. idque auctius, publicatum, a nominato modo LAVR. o) HEISTERO fuit laudatum: cui & CASP. BARTHOLINI *Specimen historiae anatomicae partium corporis humani*, Hafniae 1701. 4. euulgatum, bonae notae p) liber audit.

l) De FRANC. NICHOLLSII *Compendio anatomico*, Oxonii 1738. 4. impresso, sed nimis compendioso atque conciso, legi possunt Noua litteraria anni 1739. p 403. sequ.

m) Vid. HEISTERI *Orat. de increment. anatom.* p. 29. Anno 1702. inclaruit IACOBVS KEILIVS, qui sermone anglicano anatomen corporis humani, perquam concinnam & breuem, attamen perquam vtilem & egregiam, edidit, quae ab eo tempore minimum sexies recusa est.

n) Cit. loc. p. 47. In Anglia IAC. DRAKE Anthropologiam nouam, siue nouum systema anatomiae, duobus voluminibus anglice diuulgauit, elegantibus iisque multis nouis figuris & inuentis refertissimum. Et iterum pag. 146. haec scribit: DRAKE multis nouis figuris anthropologiam suam exornauit, & praeter figuras optimas, quas & RIDLEVS de cerebro, & COWPERVS in variis scriptis, apud nos valde raris, dederunt, multas alias nouas cum publico communicauit.

o) Cit. loc. pag. 68. Speciatim laudanda est GVIL. CHESELDENII *Anatome corporis humani*, lingua anglicana quoque conscripta, in qua non solum in XXIII. tabulis aeneis multas easque egregias delineationes nouas variarum partium exhibet, sed & varia ab aliis non obseruata describit. Sciendum autem, HEISTERVM loquutum esse de priore editione; namque in posteriore tabulae XXXI. numerantur.

p) Cit. loc. p. 27. Exhibentur in hoc libro varia, quae apud alios non occurrunt.

§. XIV.

Germanos anatomicos quod attinet, quorum ingens est numerus, non omittendi a me sunt, ex scriptoribus generalibus quidem, qui sequuntur. GVNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Analecta anatomico-physiologica, in breues theses congesta, quibus propriae obseruationes & sententiae potissimum publico eruditorum iudicio exponuntur.* Kiliae 1704. 4. recensita breuiter exhibentur in LAVRENT. HEISTERI *Orat. de incrementis anatom.* p. 133. seqq. qui simul annotat,

autorem horum analectorum in censendis aliis anatomicis saepiuscule nimis acrem & acerbum q) agere censorem. In IO. IAC. MANGETI *Theatro anatomico*, Geneuae 1717. fol. excuso, cum IO. BAPT. MORGAGNVS, tum & LAVR. HEISTERVS quam plurima deprehendit nota nigra obeloque digna. Ea contra viri toto orbe celeberrimi, FREDERICI RVYSCHII *Obseruationes* r) *anatomico - chirurgicae*; *Epistolae* s) *anatomicae problematicae*; *Thesauri* t) *anatomici*; *Aduersaria* u) *anatomico - medico - chirurgica*, & *Curae* w) *posteriores*, tanta omnium vbique locorum cum adprobatione sunt excepta, vt credere cogar, lectores me superflui laboris insumti accusaturos esse, si de celebratis vndique meritis magni huius viri plura in medium afferre conarer. De LAVR. HEISTERI *Compendio anatomico*, multis vicibus x) edito, nec non in diuersas y) linguas translato, iam alio loco z) annotare me memini, illud, ob accurate seruatum ordinem rerum, quodque nihil necessarii ibi desideretur, & nihilo minus gratae breuitatis leges minime sint migratae, optimis huius argumenti scriptis adnumerandum esse; ad quorum classem referre etiam fas est, IO. ADAMI KVLMI *Tabellas* a) *anatomicas*; idque propter concinnam earundem dispositionem.

q) Pag. 37. vbi haec leges: Inprimis vero acerbas, & plus quam acerbas, animaduersiones in VERHEYENI' *anatomen*, WILLISIVM, NVCKIVM, GAVETTVM, TOVRNEFORTIVM, HIGHMORVM, VIEVSSENIVM, LEEVWENHOECKIVM, BELLINVM, &c. exhibuit.

r) FREDER. RVYSCHII *Obseruationum anatomico - chirurgicarum centuria*. Amstelodami 1691. 4. c. figur.

s) Harum numerus est XVI. quae cum anno 1696. coeperunt, sequentibus annis continuatae, & omnes ac singulae Amstelodami, in forma quadripartita, adiectis figuris nitidis, impressae fuerunt.

t) Thesaurorum istorum ad vndenarium adsurgit numerus, quorum I. anno 1701. II. 1702. III. 1703. IV. 1704. V. & VI. 1705. VII. 1707. VIII. 1709. IX. 1714. X. 1716. XI. denique 1728. Amstelodami in 4. multis singuli figuris illustrati, prodierunt.

u) Horum

u) Horum aduersariorum Decas I. Amstelod. 1717. Decas II. ibid. 1720. & Decas III. ibid. 1723. in 4. lucem adspexere.

w) FREDER. RVYSCHII *Curae posteriores, seu, Thesaurus anatomicus, omnium praecedentium maximus* Amstelodam. 1724. 4. De cetero annotare hic adhuc volui, ISBRANDVM GISBERTVM ARLEBOVT *Indicem locupletissimum operum anatomico-chirurgicorum* FREDER. RVYSCHII Amstelodami anno 1725. in 4. diuulgasse.

x) Altorfi 1717. 4. 1719. 8. 1727. 8. 1732. 8. Amstelodami 1723. 8. Venet. 1730. 8.

y) E. c. in germanicam, anglicam, gallicam.

z) Vid. STOLLII *Historia medicinae* p. 473. sq.

a) Dantisci 1725. 4. hae luci germanico idiomate exponebantur publicae; longe auctiores vero, adde, & emendatiores, Lipsiae 1741. 8. prelo prodiere; in batauam quoque & gallicam linguas transfusae.

§. XV.

Pro illustranda zootomia, recentisfimis hisce temporibus, non nulla magni ponderis scripta innotuerunt, quorum concisam, oportet, faciam mentionem. *Valentiniani* operis argumentum ipsa, quae hic sequitur, monstrat inscriptio: *Amphitheatrum zootomicum, tabulis aeneis quam plurimis exhibens historiam animalium anatomicam, e miscellaneis S. R. I. academiae naturae curiosorum, diariis societatum scientiarum regiarum, Parisiensis, Anglicae & Prussicae, actis Hafniensibus & Lipsiensibus, zootomiis anatomicorum celeberrimorum, aliisque scriptis rarioribus collectam. Accedit methodus secandi cadauera humana, cum encheiresibus iniiciendi ceram, hydrargyrum, & stannum in vasa sanguifera & lymphatica, vt & ars dealbandi ossa pro sceletopoeia, cum osteologia, tabulis myologicis, aliisque manuscriptis Rauianis, hactenus summopere expetitis, accurante variisque notis & figuris illustrante* MICHAELE BERNHARDO VALENTINI. Francofurti ad Moenum 1720. f. Quam raras anteaque nunquam vel visas vel auditas obseruationes ANTON. A LEEVWENHOECK, ope microscopiorum ab ipso adhibitorum, in anatomia minimorum in scenam

nam b) produxerit, *Opera* eius *vniuersa*, Lugduni batauorum anno 1722. 4. adiectis compluribus figuris aeri incisis, iunctim edita satis superque testari poterunt. Similiter & IO. SWAMMERDAMII c) *Biblia naturae*, curantibus HERM. BOERHAAVIO & HIERONYMO DAVIDE GAVBIO, haud ita pridem, e manu exaratis chartis ab autore relictis, batava latinaque lingua, edita, adeo momentosis, ad historiam & anatomiam insectorum pertinentibus, obseruationibus sunt referta, vt omnes historiae naturalis studiosi, publicato hoc quantiuis pretii & fere necessario opere, mirum in modum sint exhilarati.

b) Inter illas systema generationis ex vermiculis seminalibus tantum excitauit attentionis, vt ad hodiernum vsque diem quam plurimi eruditissimorum virorum eidem album adiicere calculum nulli dubitent.

c) Titulus operis latinus ita habet: IO. SWAMMERDAMII *Biblia naturae, siue, historia insectorum in classes certas redacta, nec non exemplis, & anatomico variorum animalculorum examine, aeneisque tabulis illustrata. Insertis numerosis rariorum naturae obseruationibus. Omnia lingua batava, auctori vernacula, conscripta. Accedit praefatio, in qua vitam auctoris descripsit* HERMAN. BOERHAAVE. *Latinam versionem adscripsit* HIERONYMVS DAVID GAVBIVS. *Tomus* I. Lugduni batauorum 1737. f. *Tomus* II. ibid. 1738. f. c. figur.

§. XVI.

Antequam recensioni huic scriptorum anatomicorum generalium colophonem impono, paucis saltem commemorare me oportet, CHRISTOPHORVM IACOBVM TREW iam ante decennium d) erudito orbi significauisse, se in conficienda plena, certa atque perspicua delineatione & explicatione omnium ac singularum humani corporis partium desudare atque occupari. Similis laboris in se suscipiendi spem reipublicae litterariae fecit ALBERTVS HALLERVS, quando nuperrime *Iconum anatomicarum, quibus praecipuae partes corporis humani exquisita cura delineatae continentur, Fasciculum* I. Goettingae 1743. & *Fasciculum*

lum II. ibidem 1745. in folio excudendum curauit, quorum primus in Nouis litterariis, quae Lipsiae emittuntur, anni 1744. p. 101. sequ. recensitus comparet; pagina vero 325. seqq. diuersorum erratorum atque defectuum postulatus legitur.

d) Videantur Noua litteraria anni 1733. pag. 715. seqq. & 1734. p. 191.

CAP. I. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS ANATOMICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores osteologici, §. *1. 2.* *Myologici*, §. *3. 4.* *Neurologici*, §. *5.* *Adenologici*, §. *6.* *Angiologici*, §. 7. *Scriptores de organis sensoriis*, §. *8.* *Scriptores de partibus genitalibus*, §. *9.* *Scriptores anatomici specialissimi*, §. *10.*

§. I.

De osteologia quam plurimi sollicitos sese gesserunt. GALENI *Libellus de ossibus*, praeter alios a), a GABR. b) FALLOPPIO, IO. PHIL. c) INGRASSIA, & a CASP. d) HOFMANNO peculiaribus commentariis fuit ornatus. Osteogeniam foetuum VOLCHERVS COITERVS, HENR. e) EYSSONIVS, & THEODORVS f) KERCKRINGIVS ex instituto scriptis propriis indagauerunt. De horum vltimo tamen obseruandum fuisse non nullos, qui eum plagii litterarii g) hoc ipso in opere commissi suspectum reddere tentarent. Quum autem omnes hi autores non carerent suis naeuis, suis laborarent iisque variis defectibus; B. S. ALBINVS, in *Iconibus ossium foetus humani*, Lugd. batau. 1738. in 4. editis, iisdem remederi conatus est. Ceterum generatim de hoc argumento lo-

loquendo, osteologia cum saeculo septimo & decimo considerari curatius & explorari coepta est. IO. IESSENII A IESSEN *Tractatus de ossibus*, Wittebergae 1601. 8. emissus, & PETRI PAAWII *Primitiae anatomicae de humani corporis ossibus*, Lugdun. batau. 1615. 4. & Amstelodami 1633. 4. in lucem prolatae, huc pertinent. IO. RIOLANI *Osteologia, ex veterum & recentiorum praeceptis descripta, collecta & in ordinem redacta*, Lutetiae Parisior. 1614. & 1618. 8. separatim antea impressa, iam allegatae eiusdem anthropographiae deinde fuit inserta. ARNOLDI SENGVERDII *Osteologia corporis humani* Amstelodami anno 1662. in 12. prelo prodiit. Maximam tamen, prae reliquis huius argumenti scriptis, DOMINICI GAGLIARDI *Anatome ossium, nouis inuentis illustrata*, quae Romae 1689. 8. excusa, Leidae vero 1723. 8. recusa est, & iuxta hanc, CLOPTONIS HAVERSII, anglicano idiomate h) conscripta, & tum a MELCH. FRIDER. i) GEVDERO, tum a IO. FRIDER. k) SCHREIBERO latinitate donata, *Osteologia noua*, meruerunt apud plerosque existimationem.

a) Vid. tom. I. cap. VII. sect. II. §. 1.

b) GABR. FALLOPPII *Expositio in librum Galeni de ossibus. Huic accesserunt eiusdem obseruationes anatomicae.* Venet. 1570. 4.

c) IO. PHIL. INGRASSIAE *Commentaria in Galeni librum de ossibus.* Panormi 1603. fol. & Venet. 1604. fol.

d) CLAVDII GALENI *De ossibus ad tyrones liber, graece & latine, cum notis perpetuis* CASP. HOFMANNI. Francofurt. 1629. f.

e) HENR. EYSSONII *Tractatus anatomicus & medicus de ossibus infantis cognoscendis, conseruandis & curandis. Acc.* VOLCHERI COITERI *eorundem ossium historia.* Groeningae 1659. 12.

f) THEOD. KERCKRINGII *Osteogenia foetuum, in qua, quid cuique ossiculo singulis accedat mensibus, quidque decedat, & in eo per varia immutetur tempora, accuratissime oculis subiicitur.* Amstelodami 1670. 4. c. figur. Adiectus est iste tractatus *Bibliothecae anatomicae* CLERICI & MANGETI, nec non insequuto tempore ipsius etiam KERCKRINGII *Operibus vniuersis*, sub titulo: THEOD. KERCKRINGII *Opera omnia anatomica, continentia spicilegium anatomicum, osteogeniam foetuum, nec non anthropogeniae*

niae ichnographiam, accuratissimis figuris aeri incisis illustrata, Lugdun. batau. 1717. in 4. in lucem emissis, insertus.

g) Vid. CHRISTIAN. IOAN. LANGII *Opera medica*, pag. 246. Nondum si haec tibi sufficerint contra KERCKRINGIVM allata, audi, quid CAROLVS DRELINCVRTIVS in Tract. de foeminarum ouis 1686. emisso, pag. 53. sequ. de ipso dicat: Scilicet illum tum temporis iuuenem imberbem egregium plagium litterarium commisisse, & de verbo ad verbum obseruationes, imo & icones has suas desumsisse ex SEVERINO PINAEO, qui non solum tale sceleton, sed embryones quoque formicae & grani tritici magnitudine in Tract. de virginitatis notis a pag. 110. vsque ad 127. exhibet, PINAEI vero fidem, vtpote tonsoris, sublestam esse, dicit.

h) Osteologia eius noua prima vice Londini anno 1691. 8. in lucem prodiit, ibidem quoque anno 1729. eadem forma denuo edita.

i) Sequenti ornata titulo: *Osteologia noua, siue, nouae quaedam obseruationes de ossibus & partibus ad illa pertinentibus; quarum occasione ossium accretio & nutritio, tum in genere, tum in specie, nouum quoque glandularum, mucilaginosarum dictarum, genus, nec non affectus quidam corporis humani praeternaturales, aliaque phaenomena scitu dignissima, ad caussas suas reuocantur & exponuntur. Quinque discursibus Reg. Societ. Londin. per interualla communicatae, & superiore demum anno idiomate anglico Londini editae per* CLOPTONEM HAVERS, *M. D. & Societ. Reg. Socium. Nunc vero in latinum idioma conuersae & editae cura* MELCH. FRID. GEVDERI. Francof. & Lipf. 1692. 8.

k) Vid. Noua litteraria anni 1720. p. 747. vbi simul adnotatur, versioni huic latinae adnexum esse vna IO. CHRISTOPH. HEYNII *Tentamen de praecipuis ossium morbis*, Amstelodami antea anno 1705. 8. impressum.

§. II.

Recentissimo aeuo, e gallis l), I. B. VERDVC & LE CLERC; e germanis m) vero, IO. PALFYN, & BERNH. SIEGFRIED ALBINVS, ex anglis n) denique, WILHELMVS CHESELDENIVS, ROBERTVS NESBITVS, & GEORG. THOMPSONIVS, prae ceteris, de osteologia bene mereri studuerunt. *La nouuelle Osteologie, par* I. B. VERDVC, Lutetiae Parisiorum anno 1693. 12. euulgata fuit. *L'Osteologie exacte & complette par Monf.* LE CLERC, à Paris 1706. 8. magno in HERM. BOERHAAVII *Methodo discendi medici-*

dicinam pag. 299. mactatur encomio. IO. PALFYN *Osteologia*, initio lingua belgica conscripta, & Gandaui 1702. atque Lugduni batau. 1724. 8. edita, tandem vero in gallicam o) ab ipso transfusa autore, BOERHAAVIO, ALBINO & HEISTERO p) iudicibus, praestantissimis huius quidem generis scriptis accensenda venit: qualibus BERNHARDI quoque SIEGFRIED ALBINI, *De ossibus corporis humani libellus* merito est adnumerandus, Lugduni batauorum 1726. 8. impressus. *Osteographia, or, the anatomy of the bones; by* WILLIAM CHESELDEN, Lond. 1733. f. aduersarium nacta fuit IOANN. q) DOVGLASSIVM. ROBERTI NESBIT *Human osteogenie*, Londini 1736. 8. plausum meruit. Ast, *Anatomy of the human Bones, by* GEOR. THOMPSON, Lond. 1734. 8. edita, vlterius mihi haud innotuit, quam ex recensione Nouorum litterariorum anni 1734. pag. 657.

l) Librum gallicum, cui titulus: *L'Osteologie par* IEAN BAGET, Lutetiae 1732. 12. prelo extrusum, studio omisi; quoniam ille in ephemeridibus doctorum, *(Iournal des Sauans)* prout inde referunt Noua litteraria dicti anni p. 809. non adeo bene audit.

m) Nisi diffusius scribendi genus vitare mihi in hoc libro proposuissem; poterant hic & DAV. HERMANNI, FRANC. BALTH. VON LINDERN aliorumque praeterea, ad doctrinam de ossibus spectantia, opera recenseri.

n) In enarrandis diuersis obseruationibus anatomicis ALEXANDRI MONRO, THOMAE SIMSON, reliquorumque, moras nectere, consultum mihi visum non fuit; quum separatim illae haud fuerint impressae, verum *Miscellaneis Edinburgensibus* hinc illinc interspersae inueniantur.

o) *Nouuelle osteologie, ou, description exacte des os du corps humain, accompagnée de remarques chirurgicales sur le traitement de leurs maladies. Par* IEAN PALFYN. à Paris 1731. 12.

p) Vid. Noua litterar. anni 1732. p. 644.

q) Huius animaduersiones ita sunt inscriptae: *Animaduersions on a late pompous Book intitled; Osteographia &c.* By IOHN DOVGLAS Lond. 1735. 8. Vtrumque scriptum recensitum inuenitur in nou. actis eruditorum an. 1737. Mens. Iul.

§. III.

§. III.

Myologiam diuerſi r) autores peculiaribus libris illuſtrare ſunt aggreſſi. Anatomici illius ſollertiſſimi, IO. BAPT. CANANI, *Muſculorum humani corporis picturata diſſectio*, Ferrariae 1572. in 4. edita, magni eſt facienda; numeratur autem inter libros admodum raros: qualium de numero habentur etiam iure IO. BAPT. CARCANI *Libri duo, in quorum primo de cordis vaſorum in foetu vnione ex mente* GALENI, *in altero, de muſculis, palpebrarum atque oculorum motibus deſeruientibus, accurate agitur*, Ticini 1574. in 8. impreſſi. NIC. STENONIS, *De muſculis & glandulis, obſeruationum ſpecimen*, frequentius s) editum, pariter atque eiusdem *Specimen* t) *elementorum myologiae*, bibliothecae anatomicae *Clerico-Mangetianae* fuit inſertum. IO. BROWNE *Myographia noua, ſiue, muſculorum omnium in corpore humano hactenus repertorum accuratiſſima deſcriptio, in ſex praelectiones diſtributa*, Londini 1684. f. excuſa, ob ſui praeſtantiam u), non ſolum Lugduni batau. 1687. & 1690. fol. recuſa, ſed etiam a CHRIST. MAXIMIL. SPENERO in germanicam translata linguam, &, annotationibus non nullis illuſtrata, Berolini 1704. f. & Lipſiae 1715. fol. inſcripta: IO. BROWNE *verteutſchte neue Beſchreibung der in dem menſchlichem Cörper befindlichen Muſculn*, fuit edita.

r) De vetuſtis, diu autem deperditis, myologiis LYCI, AELIANI MECCII, PELOPIS &c. nihil, quod referrem, inuenire potui; in CAROLI autem SPONII *Myologia* recenſenda moras nectere nolui.

s) Ex. gr. Hafniae 1664. & 1667. 4. Amſtelodam. 1664. 12. Lugdun. bat. 1683. 12.

t) Amſtelodam. 1669. 8.

u) Vid. CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII *Epiſtol. arcan.* tom. I. p. 58. BROWN medicus eſt omni exceptione maior, cuius hiſtoria muſculorum nihil accuratius exiuit in lucem, adeo, vt BARTHOLINI auditores obſtupeſcerent, cum eum virum audirent differentem.

§.. IV.

Vna cum praeſente ſaeculo octauo decimo numerus quoque ſcriptorum myologicorum haud parum accreuit; fortaſſe tamen ſequentes erunt praecipui. *Anatomy comparatiue of the muſcles, by* IAMES DOVGLAS, London 1707. 12. Liber iſte, ob vtilitatem quam lectori promittit, dignus habitus eſt, qui a IO. FRIDER. SCHREIBERO ciuitate romana donatus, ſequenti rubrica inſignitus: IAC. DOVGLASSII *Deſcriptio comparata muſculorum corporis humani & quadrupedis*, Lugduni batau. 1729. 8. diuulgaretur; quo ipſo loco etiam anno 1738. eadem forma eſt recuſus. GVIL. COWPERI *Myotomia reformata; or, an anatomical treatiſe on the muſcles of the human body*, Londini 1694. fol. luci expoſita publicae, deinde autem, curante RICHARDO MEADIO, longe auctior Londini 1724. fol. prelo protruſa, citra controuerſiam habenda eſt in numero perfectiſſimorum aeque ac adcuratiſſimorum, ſimul vero & ſumtuoſiſſimorum, huius argumenti operum. IO. IAC. RAVII *Tabulae myologicae*, quas M. B. VALENTINI *Amphitheatro zootomico*, a ſe edito, adnectendas curauit, pariter atque reliqua manuſcripta *Rauiana*, a perfectione debita longe w) ſunt remotae. Gallicum libellum: *La Myotomie humaine & canine, par* IAQVES CROISSANT GARENGEOT, à Paris 1728. 12. oculis vſurpare propriis mihi nondum contigit. AVG. FRIDER. WALTHERI *Obſeruationes de articulis, ligamentis & muſculis, hominis inceſſu ſtatuque dirigendis*, Lipſiae 1728. 4. euulgatae, multorum approbationem inuenerunt. BERNH. SIEGFR. ALBINI *Hiſtoria muſculorum hominis*, Lugduni batauor. 1734. 4. excuſa, beneuole eſt excepta; neque DAVIDIS CORNELII DE COVRCELLES x) hoc in argumento probata induſtria laude ſua caruit. Certo etiam perſuaſus ſum, IOSIAE WEITBRECHTI *Syndeſmologian, ſeu, hiſtoriam ligamentorum corporis humani*, quae Petropoli anno 1742. in 4. prod-

prodiit, autori suo ingeniosissimo haud parum gloriae esse parituram.

w) HEISTERI *Orat. de incrementis anatomiae seculi* XVIII. p. 99. euoluatur.

x) Ab anatomico hoc perquam sollerti non solum *Icones musculorum plantae pedis, eorumque descriptiones*, Lugd. batau. 1740. 4. impressas accepimus; sed & nuperrime eiusdem *Icones musculorum capitis, vtpote faciei, aurium, oculorum, linguae, pharyngis, ossis hyoidis, colli* &c. Lugduni batauor. 1744. 4. typis expressae, sunt diuulgatae.

§. V.

Qui neurologiae illustrandae peculiarem operam dedicarint, scriptores non adeo sunt multi. Praeter ea enim, quae iam nominatus CONSTANTIVS VAROLIVS, & GERARDVS BLASIVS, in *Anatome spinalis medullae & neruorum inde prouenientium*, Amstelodami 1666. 12. impressa hoc de argumento litterarum monumentis tradiderunt; THOM. WILLISIVS, RAYMVNDVS VIEVSSENS & HENR. RIDLEY, soli fortassis erunt, qui considerandi hic venient. THOMAE WILLISII *Anatome cerebri, cui accessit neruorum descriptio & vsus*, separatim prelo crebris vicibus y) subiecta, insecuto tempore vniuersis eius z) operibus adiecta, nec non *Bibliothecae anatomicae* DAN. CLERICI & I. I. MANGETI fuit inserta. RAYM. VIEVSSENS *Neurographia vniuersalis, hoc est, omnium humani corporis neruorum, simul & cerebri, medullaeque spinalis descriptio anatomica, eaque integra & accurata, variis iconibus fideliter & ad viuum delineatis, aereque incisis, illustrata, cum ipsorum actione & vsu, physico discursu explicatis*, Lugduni 1684. fol. & Lugduni batauor. 1685. a) fol. in LAVR. HEISTERI *Compendio* b) *institutionum medicinae* pro melioris notae libro habetur. De HENRICI RIDLEY *Anatomia cerebri*, anglice Londini 1695. 8. edita, deinceps ab anonymo ciuitate latina c) donata, quanquam infinitis mendis typographicis deformata, modo dictus HEISTERVS d) eximia cum laude loquutus est. IO. IAC. HVBERI *Commentatio*

de spinali medulla, speciatim de neruis ex ea prouenientibus, Goettingae 1741. 4. euulgata, insignem applausum meruit. Quousque autem, vel quatenus liber anglicano idiomate conscriptus: *A new Essay on the nerues, and the doctrine of the animal Spirits rationally considered, by D.* BAYNE, *London* 1739 8. vel laudandus vel culpandus sit, equidem sententiam pronunciare non possum, cui is vlterius haud innotuit quam e Nouis litterariis anni 1739. pag. 627.

y) Ex. gr. Londini 1664. & 1670. 8. Amstelodami 1664. 1667. 12. Quale G. C. SCHELHAMMERI de eo libro fuerit iudicium, patet ex eius *Additament. ad Conring. introduct.* cap. IV. §. 39. THOMAS WILLIS, cum sola brutorum corpora spectaret, humanaque eodem putaret modo composita, non nunquam fallit.

z) Vid. tom I. cap. V. §. 20.

a) Vide *Catalog. Bibliothec. Meibom.* part. III. p. 101. & *Bibliothec. Almeloueen.* p. 64.

b) Pagina 36. Speciatim medicinae studiosus tam in cadaueribus humanis, quam brutis incidendis se exerceat, atque in musculis COWPERI, atque in neruis VIEVSSENII figuris vtatur.

c) HENR. RIDLEY *Anatomia cerebri, complectens eius mechanismum & physiologiam, simulque noua quaedam inuenta, cum correctionibus aliquot veterum ac recentiorum, qui in eandem materiam scripserunt. Cui annexum est examen accuratum functionum animalium & motus muscularis. Omnia elegantibus ad viuum expressis sculpturis illustrata, ex anglico in latinum fideliter translata.* Lugdun. batauor. 1724. 8.

d) In *Orat. de incrementis anatom. seculi* XVIII. p. 146.

§. VI.

De adenologia in genere, praeter MARCELLVM MALPIGHIVM, NIC. STENONEM, THOM. WARTHONVM, & ANTON. NVCKIVM, oppido pauci e) fuerunt solliciti. NICOL. STENONIS *Specimen obseruationum de musculis & glandulis*, iam praecedente §. 3. fuit adductum. THOM. WARTHONI *Adenographiam, siue, glandularum totius corporis descriptionem*, multoties prelis f) substratam, nec non in *Bibliothecam anatomicam Clerico-Mangetianam* receptam, HERMANNVS BOERHAAVIVS in *Methodo discendi medicinam*

nam p. 348. insignem in modum depraedicauit. ANT. NVCKII *Adenographia curiosa* Lugduni batau. 1692. in 8. luci est exposita litterariae. Optimo quoque iure locum suum tueri hic poterit sequens liber, qui ita inscribitur: *Opusculum anatomicum de fabrica glandularum in corpore humano, continens duas epistolas; quarum prior est* HERM. BOERHAAVII *super hac re, ad* FREDER. RVYSCHIVM; *altera* FREDER. RVYSCHII *ad* HERM. BOERHAAVE, *qua priori respondetur.* Lugdun. batau. 1722. 4.

e) Vt enim autores specialissimi, qui in epistolis saltim, vel dissertationibus, modo cum IO. CONR. BRVNNERO, *De glandulis in intestino duodeno hominis detectis*, Heidelbergae 1687. 4. modo cum IO. VERCELLONO, *De glandulis oesophagi*, Astae 1711. 4. modo cum LAVRENT. TERRANEO, *De glandulis virilis vretbrae nouis*, Lugd. bat. 1729. 8. egerunt, me morentur, id instituti mei non permittit ratio, nec fines huic operi circumscripti id ferunt.

f) Londini 1656. 8. Amstelod. 1659. 12. Nouiomagi 1665. 12. Vesaliae 1671. 12.

§. VII.

Circa angiologiam excolendam quamplurimi fuerunt occupati. RAYMVNDI VIEVSSENII *Nouum vasorum corporis humani systema*, Amstelodami 1705. 8. multum attentionis g) excitauit. De arteriis I. E. WREDENIVS peculiares h) tabellas typorum ope emisit. HENR. MEIBOMII *De vasis palpebrarum nouis, Epistola ad* IOELEM LANGELOTTVM, Helmstadii 1666. 4. in conspectum orbis litterati prodiit. NIC. STENONIS *Obseruationes anatomicae, quibus varia, oris, oculorum & narium vasa describuntur, nouique saliuae, lachrymarum & muci fontes deteguntur*, Lugduni batau. 1662. 12. luci expositae, THOM. i) BARTHOLINO iudice, maximi sunt faciendae. Ratione ductuum Salivalium, post WARTHONVM atque STENONEM, ab ANT. k) NVCKIO, ABRAH. l) VATERO, AVG. FRIDR. m) WALTHERO & GEORG. DAN. n) COSCHWITZIO, multa nouiter sunt detecta; quemadmo-

admodum etiam ante paucos annos CHRISTOPH. IAC. TREW *Epistola de vasis linguae salivalibus atque sanguiferis, ad* ALBERT. HALLERUM, Norimbergae anno 1734. 4. fuit diuulgata. Venas lacteas CASP. o) ASELLIUS; ductum thoracicum, & quidem, quantum ad bruta, IO. p) PECQUETUS, quantum vero ad homines attinet, THOM. q) BARTHOLINUS, primi descripserunt; IOANNES r) porro SALZMANNUS singularem encheiresin, eidem inueniendo facilius inseruientem, monstrauit. De vasis lymphaticis cum OLAUS s) RUDBECKIUS, tum THOM. t) BARTHOLINUS, quorum vterque eorundem inuentionem sibi adscripserunt, bene sunt meriti.

g) Vid. HEISTERI *Orat. de incrementis anatomiae seculi* XVIII. pag. 41. & 137.

h) I. E. WREDEN *Arteriologische Tabellen, in welchen die Arterien, derselben Ramificationes, vnd die Oerter, wo sie hingehen, deutlich entworfen* &c. Hannouer 1721. f.

i) Vid. eius *Opuscula noua anatomica* p. 678. seqq.

k) ANT. NUCKII *De ductu saliuali nouo, saliuis, ductibus oculorum aquosis & humore oculi aqueo libellus.* Lugd. bat. 1685. in 12. qui tempore insequuto, rubricam gerens: ANT. NUCKII *Sialographia & ductuum aquosorum anatome noua*, priori auctior, ibidem loci 1690. 8. fuit recusus.

l) Vid. Noua litterar. Lips. a. 1721. m. Mart. p. 39. seqq.

m) AUG. FRIDER. WALTHERI *Exercitatio de lingua humana, nouis inuentis octo sublingualibus saliuae riuis, nunc ex suis fontibus, glandulis sublingualibus, eductis, irrigua.* Lips. 1724. 4.

n) G. D. COSCHWIZII *Diss. sistens ductum salivalem nouiter detectum.* Halae 1724. 4.

o) CASP. ASELLII *De lactibus, seu, lacteis venis, quarto vasorum meseraicorum genere, nouo inuento, dissertatio.* Mediolani 1627. 4. Basil. 1628. 4. Lugd. bat. 1640. 4. & 1641. 8. Num promissa a celeberrimo anatomico, IO. CHRISTOPH. BOHLIO, & in nouis litterariis anni 1732. p. 177. iam significata, *Galaxia corporis animalis examinata*, typis exscripta prodierit? de eo nihil magis, quam de promissa ibidem *Vita* FREDER. RUYSCHII, rescifcere hactenus mihi licuit.

p) IO. PECQUETI *Experimenta noua anatomica, quibus incognitum hactenus chyli receptaculum, & ab eo per thoracem in ramos vsque subclauios vasa lactea deteguntur.* Harderouici 1651. 12.

q) THOM.

q) THOM. BARTHOLINI *Historia anatomica de lacteis thoracicis in homine brutisque nuperrime obseruatis*, Hafniae 1652. 4. impressa, & *Opusculis* eius *nouis anatomicis de lacteis thoracicis*, & *lymphaticis vasis*, Hafniae 1670. 8. euulgatis, deinde fuit inserta.

r) IO. SALZMANNI *Encheiresis noua, qua ductus thoracicus, vna cum receptaculo chyli, in quouis subiecto humano demonstrari potest.* Argentor. 1711. 4.

s) OLAI RVDBECKII *Exercitatio noua anatomica, exhibens ductus hepaticos aquosos, & vasa glandularum serosa, nunc primum inuenta, aeneisque figuris delineata.* Arosiae 1653. 4. & Lugd. batau. 1654. 12.

t) THOM. BARTHOLINI *Vasa lymphatica in animalibus inuenta.* Hafniae 1653. 4. *Eiusdem Vasa lymphatica in homine reperta.* Hafniae 1654. 4. Quoniam itaque noua haec inuenta quamplurimis scriptis eristicis occasionem porrexerunt; BARTHOLINVS omnes suas hac in controuersia euulgatas apologias in modo dictis *Opusculis nouis anatomicis, de lacteis thoracicis & vasis lymphaticis,* vno volumine comprehensis, Hafniaeque anno 1670. 8. editis, iunctim imprimendas curauit.

§. VIII.

De organis sensoriis in genere, IVL. CASSERIVS, *Placentinus*, vel potius, sub CASSERII nomine, CASPARVS u) BARTHOLINVS, ita inscriptum *Pentaesthesion* w) luci exposuit publicae. In specie autem, auditus sensum atque organon, ex veteribus, BARTHOLOM. x) EVSTACHIVS, HIER. FABRICIVS y) AB AQVAPENDENTE, & IVL. z) CASSERIVS, *Placentinus;* e recentioribus autem, IOSEPH. a) DV VERNEY, GÜNTH. CHRISTOPH. b) SCHELHAMMERVS, ANT. MARIA c) VALSALVA, RAYMVNDVS d) VIEVSSENIVS, & IO. FRIDER. e) CASSEBOHMIVS, peculiaribus tractatibus, ex parte ab ALB. f) HALLERO diiudicatis, indagauerunt. De visu HIER. g) FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, VOPISCVS FORTVNATVS h) PLEMPIVS, GVILIELMVS i) BRIGGS, & PET. k) KENNEDY, prae reliquis fuere solliciti. Odoratum CONR. VICTOR SCHNEIDER l), & CASP. m) BARTHOLINVS, *iunior*, peculiari disquisitione dignum habuerunt. De lin-

lingua & gustu MARCELLVS MALPIGHIVS, & CAROLVS FRACASSATVS, in epistolis n) huic argumento dicatis, praecipue vero LAVR. BELLINVS, in *Organo gustus nouissime deprehenso*, Bonon. 1665. 12. egerunt. Tandem & modo nominatus MARCELL. MALPIGHIVS *Epistolam anatomicam, de externo tactus organo*, epistolis illis, quas modo allegaui, anatomicis inserendam curauit.

u) Scribit enim THOMAS BARTHOLINVS in praefatione, quam *Anatomiae* suae *reformatae*, Lugduni batau. 1669. 8. impressae, praemisit, expressis verbis: Quam plurima cadauera Pataufi manu sua B. Parens dissecuit, apud CASSERIVM, *cum huius nomine pentaesthesion adornaret.*

w) IVL. CASSERII, *Placentini, Pentaesthesion, hoc est, de quinque sensibus liber, organorum fabricam, variis iconibus fideliter aere incisis illustratam, nec non actionem & vsum continens.* Venetiis 1609. fol. & Francofurti 1622 fol. vbi hac inscriptione innotescit: IVL. PLACENTINI *Noua anatomia, continens accuratam organorum sensilium, tam humanorum quam brutorum, delineationem & vsum.*

x) Huius *Libellus de auditus organis* inuenitur inter *Opuscula anatomica* eius, de quibus sect. praeced. §. 6. dixi.

y) HIERON. FABRICII, *De visione, voce, auditu, tractatus.* Venet. 1600. fol. Patau. 1603. fol. Francof. 1605. fol. Reperiri etiam possunt in *Operibus* eius *anatomicis & physiologicis.* In BOERHAAVII *Praelect. academ. in proprias institutiones*, volum. IV. p. 353. haec leguntur; FABRICII libellus de aure elegans, sed nostro seculo neglectus.

z) IVL. CASSERII, *Placentini, De vocis auditusque organis historia anatomica.* Ferrar. 1600. 1601. f.

a) *Traité de l'organe de l'ouie, contenant la structure, les vsages, & les maladies de toutes les parties de l'oreille, par Mons.* DV VERNEY. à Paris 1683. 8. & nuper Lugd. bat. 1731. 12. In BOERHAAVII *Methodo discendi medicinam* p. 367. hic liber omnibus reliquis huius argumenti scriptis multa cum laude praefertur, simulque monetur, cauendam esse versionem latinam, Norimbergae 1684. 4. impressam, idque propter figuras aeneas inepte exsculptas.

b) GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Liber vnus de auditu, quo plerorumque omnium doctorum sententiae examinantur, & auditus ratio noua methodo ex ipsius naturae legibus explicatur.* Lugd. bat. 1684. 8. In praemissa CAR. DRELINCVRTII Epistola scribitur quidem: Auditus rationem tam neruose SCHELHAMMERI sedulitate exhaustam esse, vt, quid doctius exactiusque

que desiderari queat, non percipiat. Huic autem sententiae ALBERTVM HALLERVM album, quod dicitur, non adiecisse calculum, nota f) pluribus docebit.

c) ANT. MAR. VALSALVAE *De aure humana tractatus, in quo integra auris fabrica, multis nouis inuentis, & iconismis illustrata, describitur, omniumque eius partium vsus indagantur*; Bononiae primum anno 1704. 4. excusus, postea Traiecti anno 1707. eadem forma recusus, operibus tandem eius iunctim Venetiis anno 1740. 4. impressis, est adiectus, & in BOERHAAVII quidem *Methodo discendi medicinam* pag. 367. parum pensi habitus; a LAVRENT. contra HEISTERO in *Orat. de incrementis anatom.* p. 38. multisque aliis tanto maiore laude euectus.

d) *Traité nouueau de la structure de l' oreille, par* RAYMOND VIEVSSENS. a Toulouse 1714. 4. Vid. HEISTER, *Orat. de increm. anatom.* p. 72. & 137. seq. vbi haec leguntur: In VIEVSSENII tractatu de aure, quem prius, vt affirmat, non edidit, antequam millies aurem examinauit, multa noua inuenta contineri, & ipse, & diarium eruditorum Parisiense asseuerant, maximamque partem eorum, quae VALSALVA de aure noua scripsit, ille sibi vindicat.

e) Ab anatomico hoc sollertissimo sex tractatus huc spectantes hactenus accepimus, sequenti modo inscriptos: *Tractatus quatuor de aure humana, tribus figurarum tabulis illustrati, auctore* IO. FRID. CASSEBOHM. Halae 1734. 4. *Eiusd. Tractatus quintus anatomicus de aure humana. Cui accessit sextus de aure monstri humani, cum tribus figurarum tabulis.* Halae 1735. 4. Ceterum plurium huius argumenti tractatuum a se conscribendorum iucundam eruditis spem fecerat autor, fato ipsius tandem frustratam.

f) In *Notis ad* BOERHAAVII *praelectiones academicas in proprias institutiones medic.* Volum. IV. pag. 419. FABRICIVS non ita multum addidit, & multa omisit in libro de aure, quae cognouerat FALLOPPIVS. Icones etiam malas dedit. SCHELHAMMERVS magis physicus, quam anatomicus, bruta quidem passim secuit, & priores diligenter legit; sed in multis, e. g. in chorda, canalibus semicircularibus &c. insigniter peccauit. DV VERNEY. Concinnus libellus cum pulcherrimis iconibus, quae priores plurimum superant elegantia. Musculum stapedis primus euidenter asseruit &c. VALSALVA elegante libello aliquot errores DV VERNEY in tubae nomine, in musculo Casserii externo correxit. Inuenit musculos minores auriculae, tubae fabricam & musculos restituit, canales accuratius dimensus est, physiologiam auris insigniter auxit.

g) Vid. eius tractatus in nota y) modo allegatos.

h) VOPISCI FORTVNATI PLEMPII *Ophthalmographia, siue, tractatio de oculi fabrica, actione & vsu.* Amstelod. 1632. 4. longeque auctior Louanii 1648. fol.

 i) GVIL.

i) GVIL. BRIGGS *Ophthalmographia, siue, oculi eiusque partium descriptio anatomica.* Cantabrigiae 1675. 8. & Lugdun. Bat. 1686. 12. Insertum fuit hoc quoque opusculum DAN. CLERICI & IO. IAC. MANGETI *Bibliothecae anatomicae.*

k) PET. KENNEDY *Ophthalmographia* Londini 1713. 8. lingua anglicana conscripta, in conspectum reipublicae litterariae prodiit, & eodem loco, continuatione aucta, inscripta: *A supplement to* KENNEDYS *ophthalmographia, or, treatise of the eye*, anno 1739. 8. denuo est emulgata.

l) CONR. VICT. SCHNEIDERI *Liber de osse cribriformi, & sensu ac organo odoratus.* Wittebergae 1655. 12.

m) CASP. BARTHOLINI, *Thom. fil. de olfactus organo disquisitio anatomica.* Hafniae 1679. 4.

n) *Epistolae anatomicae* MARCEL. MALPIGHII & CAROL. FRACASSATI. Amstelodam. 1669. 12. Continentur: M. MALPIGHII *Epistolae de lingua; de cerebro; de externo tactus organo; de omento, pinguedine & adiposis ductibus.* C. FRACASSATI *Epistolae de lingua; de cerebro.*

§. IX.

Partibus genitalibus, tum masculini tum sequioris sexus, describendis occupati fuere FRANCISCVS PLAZZONVS, GVERNERVS ROLFINCIVS, & REGNERVS DE GRAAF; horum tamen vltimus a IOANNE SWAMMERDAMIO plagii litterarii hoc in argumento commissi suspectus fuit redditus. FRANCISCI PLAZZONI, *De partibus generationi inseruientibus libri II. quibus omnium & singulorum organorum vtriusque sexus, ad generationem concurrentium, structura, actiones & vsus explicantur*, Patauii anno 1621. 4. excudebantur, & Lugduni Batauorum 1644. & 1664. 12. vna cum IVL. CAES. ARANTII *Dissert. de humano foetu*, & GEORG. NYMANNI *Dissert. de vita foetus in vtero*, recudebantur. GVERNERI ROLFINCII *Ordo & methodus generationi dicatarum partium, per anatomen, cognoscendi fabricam*, lucem Ienae 1664. 4. adspexit. REGNERI DE GRAAF *Tractatus de virorum organis generationi inseruientibus* Lugdun. Bat. 1668. 8. & *Tractatus de mulierum organis generationi inseruientibus* Lugd. Bat. 1672. 8. editus, vterque paullo post operibus o) eius omnibus iunctim impressis fuit inser-

fertus. In specie SEVERINVS p) PINAEVS *De notis virginitatis;* & HIERONYMVS q) CAPIVACCIVS *De signis virginitatis tam masculi, quam foeminae,* scripserunt; & nuper admodum IOANNES IACOBVS HVBERVS *Commentationem de vaginae vteri structura rugosa, nec non de hymene;* cum adiunctis iconibus, Goettingae anno 1742. 4. multa cum doctorum approbatione, emisit. LEALIS LEALIS *Exercitationem* r) suam *epistolicam de partibus semen conficientibus in viro*, HERMANNO BOERHAAVIO adeo laudatam, & IOANNES s) SWAMMERDAMIVS quantiuis pretii *Tractatum de vteri muliebris fabrica*, luci exposuerunt publicae; quibus merito, *Vteri humani grauidi anatomen & historiam, autore* WILHELMO NOORTWYCK, Lugd. bat. 1744. 4. diuulgatam, adiungere me oportet; MARTINI contra NABOTHI *Dissertatio de sterilitate mulierum*, Lipsiae 1707. 4. excusa, in qua nouum ouarium muliebre notum facere voluit, quam plurimos inuenit, qui inuentori contradicerent.

o) REGNERI DE GRAAF *Opera omnia.* I. *De virorum organis generationi inseruientibus.* II. *Epistola ad* LVCAM SCHACHTIVM *De partibus genitalibus mulierum.* III. *De mulierum organis generationi inseruientibus.* IV. *Partium genitalium defensio.* V. *De succi pancreatici natura & vsu.* VI. *De clysteribus.* VII. *Epistola ad* VOPISCVM FORTVNATVM PLEMPIVM. VIII. *De vsu siphonis in anatomia.* Lugd. Bat. 1677. 8. Ibid. 1678. 8. & 1705. 8.

p) SEVER. PINAEI *Opusculum physiologico-anatomicum, in duos libellos distinctum, in quorum primo de integritatis & corruptionis virginum notis, in altero de grauiditate & partu naturali agitur.* Paris. 1598. 8. De crebro repetitis, diuersisque in locis recusis editionibus huius libri, euolui poterit IAC. DOVGLASSII *Bibliographia anatomica* p. 173. quarum ea, quae Moeno-Francofurti anno 1690. 12. prodiit, additamentis quibusdam LVDOV. BONACIOLI, FEL. PLATERI, & MELCH. SEBIZII adaucta comparuit in publico.

q) Vid. eius tomo I. cap. V. §. 15. allegata opera omnia.

r) Pataiii 1686. 12. Adnexa eadem quoque fuit BARTHOL. EVSTACHII *Opusculis anatomicis*, Lugduni Batauorum anno 1707. 8. cum HERMAN. BOERHAAVII praefatione impressis.

s) 10.

s) IO. SWAMMERDAMII *Miraculum naturae, siue, vteri muliebris fabrica, notis in D.* IO. VAN HORNE *prodromum illustrata, & tabulis, a clarissimis expertissimisque viris cum ipso archetypo collatis, adumbrata. Adiecta est noua methodus, cauitates corporis ita praeparandi, vt suam semper genuinam faciem seruent.* Lugd. Bat. 1672. 4. 1679. 4. 1729. 4. Habetur autem editio prima reliquis melior.

§. X.

Iam nunc multum negotii mihi foret reliquum, si, eundo per omnes & singulas tam diuersas, quae supersunt adhuc, corporis partes, ex ordine indicare & recensere vellem scriptores particulares, qui de iisdem egerunt. Sic, exempli gratia, de capite, IOSEPHVS t) CHARRIERE; de corde, RICHARD. u) LOWER, & RAYMVNDVS w) VIEVSSENIVS; de pulmone, THOM. BARTHOLINVS x) & MARCELLVS MALPIGHIVS; de stomacho & intestinis, FRANCISCVS y) GLISSONIVS, & CHRISTIANVS BERNHARDVS z) ALBINVS; de peritonaeo, IACOB. a) DOVGLASSIVS; de pancreate, IOANNES CONRADVS b) BRVNNERVS, & IOANNES CONRADVS PEYERVS; de hepate FRANCISCVS c) GLISSONIVS, & IO. BAPT. d) BIANCHI; de splene, MATTH. e) TILINGIVS; de renibus, BARTH. f) EVSTACHIVS, & LAVR. BELLINVS; de vesica, IAC. h) PARSONIVS; de secundina humana, NIC. i) HOBOKENVS; & de aliis partibus alii scripsere peculiares libellos. Verumenimuero quum in tam latum campum hic excurrere mihi non sit licitum; remittendus est lector ad crebro iam allegatam *Bibliothecam anatomicam Clerico - Mangetianam;* quanquam scripta anatomica specialia, quae a collecta illa bibliotheca prodierunt, facile tanta comparebunt copia, vt, etiamsi meliora eorum tantum seligere quis voluerit, numerus eorum suffecturus sit nouae paris molis collectioni conficiendae.

t) *L' anatomie de la tête de l' homme, par Monf.* CHARRIERE. a Paris 1703. 8.

u) RICH.

u) RICH. LOWERI *Tractatus de corde; item de motu & colore sanguinis, & chyli in eundem transitu.* Amstelodami 1669. 8. Lugd. Batau. 1722. 8. In SCHELHAMMERI *Additamentis ad Conring. introduct.* Cap. IV. §. 39. scriptum legimus: Quod RICHARDVS LOWERVS cordis historiam absoluisse videatur.

w) *Traité nouueau de la structure & de la cause du mouuement naturel du coeur, par Monf.* RAYMOND VIEVSSENS. a Toulouse 1715. 4. Recensio huius libri admodum honorifica legi potest in HEISTERI *Orat. de increment. anatom.* p. 138.

x) THOMAE BARTHOLINI *De pulmonum substantia & motu diatribe. Accedunt* MARCELLI MALPIGHII *Obseruationes anatomicae de pulmonibus* Hafniae 1663. 8. Lugd. 1672. 12.

y) FRANC. GLISSONII *Tractatus de ventriculo & intestinis. Cui praemittitur alius de partibus continentibus in genere, & in specie, abdominis.* Amstelodam. 1677. in 12.

z) CHRIST. BERN. ALBINI *Specimen anatomicum, exhibens nouam tenuium hominis intestinorum descriptionem.* Lugd. Batau. 1724. 8. Laudatus fuit iste libellus in actis eruditorum anni 1725. Mens. Septemb.

a) IAC. DOVGLASSII *Descriptio peritonaei & membranae cellularis, vna cum recensione veri situs omnium viscerum abdominis, quantum ad has membranas attinet. Ex anglico latine versa & annotationibus aucta ab* ELIA FRIDERICO HEISTERO. Helmstad. 1733 8.

b) IO. CONR. BRVNNERI *Experimenta noua circa pancreas. Acc. I. Eiusd. Diatribe de lympha & genuino pancreatis vsu.* II. IO. CONR. PEYERI *Schediasma de pancreate & eius vsu.* III. IO. CONR. BRVNNERI *Responsum ad schediasma de pancreate.* Amstelodam. 1683. 8.

c) FRANC. GLISSONII *Anatomia hepatis, cui praemittuntur quaedam ad rem anatomicam vniuerse spectantia.* Londini 1654. in 8. Amstelod. 1659. 1665. 12. Hag. Com. 1681. in 12.

d) IO. BAPT. BIANCHI *Historia hepatis, siue, tractatus de hepatis structura, vsibus & morbis.* August. Taurinor. 1710. 4 1715. 4. longeque auctior Geneuae 1724. 4. Recensio huius libri habetur in *Giornale de' letterati d' Italia* tom. XX. p. 230-271. Ceterum, a IO. BAPT. MORGAGNO, LAVRENT. HEISTERO aliisque illi saepe contradictum, autorem quoque variorum errorum postulatum esse, notum.

e) MATTH. TILINGII *Anatomia lienis, ad circulationem sanguinis, aliaque recentiorum inuenta, accommodata.* Rintelii 1673. 12.

f) BARTH. EVSTACHII *Libellus de renum structura, officio & administratione, opusculis eius anatomicis*, in praecedente iam sectione allegatis, est adnexus.

g) LAY-

g) LAVRENT. BELLINI *Exercitatio anatomica de structura & vsu renum*, Florentiae anno 1662. 4. lucem salutauit publicam, Argentorati, Amstelodami & Patauii recusa, nec non Lugduni Batauorum anno 1711. & 1726. 4. vna cum eiusdem *Exercitatione de gustus organo nouissime deprehenso*, impressa. Tanta cum approbatione illa excepta fuit, vt NICERONIVS in *Memoires des hommes illustres* tom. V. p. 348. omni cum iure scribere potuerit: Cet ouurage, que BELLINI publia a l' âge de 19. ans, lui fit beaucoup d' honneur, tant par rapport à la beautè de ses decouuertes, que par rapport à l' elegance de son stile.

h) *A description of the human vrinary Bladder. By* IAMES PARSONS. London 1742. 8.

i) NIC. HOBOKENI *Anatomia secundinae humanae repetita, aucta, & 44. figuris, propria autoris manu delineatis, illustrata. Eiusdem anatomia secundinae vitulinae, 38. figuris, propria autoris manu delineatis, illustrata. Accedunt* THOMAE BARTHOLINI, & HENR. EYSSONII *Litterae, cum autoris ad easdem responsione.* Vltraiect. 1676. 8.

k) Vid. Tom. I. cap. VII. sect. II. §. 2.

CAP. II.

DE SCRIPTORIBVS PHYSIOLOGICIS.

§. I.

Scriptorum physiologicorum numerus etsi nequaquam est exiguus; de perpaucis tamen ego hic loci, scopi mei tenax, & intra circumscriptos mihi me continens cancellos, dicendi occasionem inuenturus sum: quum horum plerique ad philosophicam potius, quam ad medicam, spectent & pertineant bibliothecam; multi vero, qui anatomiam cum physiologia coniunxerunt, quique historiam & structuram partium cum doctrina de vsu partium iunctim tractauerunt, in capite superiori, seu huius tomi primo, iam sint recensiti; alii denique, quos sola quidem physiologia tenuit occupatos, quorum tamen scripta ante GVILIEL-

LIELMI HARVEI aetatem prodierunt, nostris temporibus parum quaerantur, paruique aestimentur momenti.

§. II.

Vt ergo vltimo loco nominatos breuiter & iusto recenseam ordine; in duas praesens caput dispescam sectiones. In harum priore illorum facturus sum mentionem, qui de physiologia in genere egerunt; in posteriore autem eos saltem attingam, qui de hac illaue physiologiae parte speciatim scripserunt. Idque ea a me fiet ratione, vt, quantum fieri poterit, seriem chronologicam presso pede sequar.

CAP. II. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS PHYSIOLOGICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores physiologici graeci §. 1. *Latino-barbari* §. 2. *Scriptores physiologici saeculi XVI.* §. 3. *Saeculi XVII.* §. 4. 5. *Scriptores physiologici recentissimi.* §. 6. 7.

§. I.

Quandoquidem mihi constitutum est, scriptis veterum graecorum dudum deperditis a), quae ceteroquin ad rem physiologicam pertinuere, non immorari, de quorum partim male, partim bene ac solide fundatis obseruationibus, PLVTARCHVS, & *In sympofiacis*, & *in placitis philosophorum*, multa memoratu digna consignauit: HIPPOCRATIS adeo saltem atque GALENI, ceu principum inter superstites medicos graecanicos, mentio mihi praesenti loco

§. IV.

Vna cum praesente saeculo octauo decimo numerus quoque scriptorum myologicorum haud parum accreuit; fortasse tamen sequentes erunt praecipui. *Anatomy comparatiue of the muscles, by* IAMES DOVGLAS, London 1707. 12. Liber iste, ob vtilitatem quam lectori promittit, dignus habitus est, qui a IO. FRIDER. SCHREIBERO ciuitate romana donatus, sequenti rubrica insignitus: IAC. DOVGLASSII *Descriptio comparata musculorum corporis humani & quadrupedis*, Lugduni batau. 1729. 8. diuulgaretur; quo ipso loco etiam anno 1738. eadem forma est recusus. GVIL. COWPERI *Myotomia reformata; or, an anatomical treatise on the muscles of the human body*, Londini 1694. fol. luci exposita publicae, deinde autem, curante RICHARDO MEADIO, longe auctior Londini 1724. fol. prelo protrusa, citra controuersiam habenda est in numero perfectissimorum aeque ac adcuratissimorum, simul vero & sumtuosissimorum, huius argumenti operum. IO. IAC. RAVII *Tabulae myologicae*, quas M. B. VALENTINI *Amphitheatro zootomico*, a se edito, adnectendas curauit, pariter atque reliqua manuscripta *Rauiana*, a perfectione debita longe w) sunt remotae. Gallicum libellum: *La Myotomie humaine & canine, par* IAQVES CROISSANT GARENGEOT, à Paris 1728. 12. oculis vsurpare propriis mihi nondum contigit. AVG. FRIDER. WALTHERI *Obseruationes de articulis, ligamentis & musculis, hominis incessu statuque dirigendis*, Lipsiae 1728. 4. euulgatae, multorum approbationem inuenerunt. BERNH. SIEGFR. ALBINI *Historia musculorum hominis*, Lugduni batauor. 1734. 4. excusa, beneuole est excepta; neque DAVIDIS CORNELII DE COVRCELLES x) hoc in argumento probata industria laude sua caruit. Certo etiam persuasus sum, IOSIAE WEITBRECHTI *Syndesmologian, seu, historiam ligamentorum corporis humani*, quae Petropoli anno 1742. in 4. prod-

prodiit, autori suo ingeniosissimo haud parum gloriae esse parituram.

w) HEISTERI *Orat. de incrementis anatomiae seculi* XVIII. p. 99. euoluatur.

x) Ab anatomico hoc perquam sollerti non solum *Icones musculorum plantae pedis, eorumque descriptiones*, Lugd. batau. 1740. 4. impressas accepimus; sed & nuperrime eiusdem *Icones musculorum capitis, vtpote faciei, aurium, oculorum, linguae, pharyngis, ossis hyoidis, colli* &c. Lugduni batauor. 1744. 4. typis expressae, sunt diuulgatae.

§. V.

Qui neurologiae illustrandae peculiarem operam dedicarint, scriptores non adeo sunt multi. Praeter ea enim, quae iam nominatus CONSTANTIVS VAROLIVS, & GERARDVS BLASIVS, in *Anatome spinalis medullae & neruorum inde prouenientium*, Amstelodami 1666. 12. impressa hoc de argumento litterarum monumentis tradiderunt; THOM. WILLISIVS, RAYMVNDVS VIEVSSENS & HENR. RIDLEY, soli fortassis erunt, qui considerandi hic venient. THOMAE WILLISII *Anatome cerebri, cui accessit neruorum descriptio & vsus*, separatim prelo crebris vicibus y) subiecta, insecuto tempore vniuersis eius z) operibus adiecta, nec non *Bibliothecae anatomicae* DAN. CLERICI & I. I. MANGETI fuit inserta. RAYM. VIEVSSENS *Neurographia vniuersalis, hoc est, omnium humani corporis neruorum, simul & cerebri, medullaeque spinalis descriptio anatomica, eaque integra & accurata, variis iconibus fideliter & ad viuum delineatis, aereque incisis, illustrata, cum ipsorum actione & vsu, physico discursu explicatis*, Lugduni 1684. fol. & Lugduni batauor. 1685. a) fol. in LAVR. HEISTERI *Compendio* b) *institutionum medicinae* pro melioris notae libro habetur. De HENRICI RIDLEY *Anatomia cerebri*, anglice Londini 1695. 8. edita, deinceps ab anonymo ciuitate latina c) donata, quanquam infinitis mendis typographicis deformata, modo dictus HEISTERVS d) eximia cum laude loquutus est. IO. IAC. HVBERI *Commentatio*

de spinali medulla, speciatim de neruis ex ea prouenientibus, Goettingae 1741. 4. euulgata, insignem applausum meruit. Quousque autem, vel quatenus liber anglicano idiomate conscriptus: *A new Essay on the nerues, and the doctrine of the animal Spirits rationally considered, by D.* BAYNE, *London* 1739 8. vel laudandus vel culpandus sit, equidem sententiam pronunciare non possum, cui is vlterius haud innotuit quam e Nouis litterariis anni 1739. pag. 627.

y) Ex. gr. Londini 1664. & 1670. 8. Amstelodami 1664. 1667. 12. Quale G. C. SCHELHAMMERI de eo libro fuerit iudicium, patet ex eius *Additament. ad Couring. introduct.* cap. IV. §. 39. THOMAS WILLIS, cum sola brutorum corpora spectaret, humanaque eodem putaret modo composita, non nunquam fallit.

z) Vid. tom I. cap. V. §. 20.

a) Vide *Catalog. Bibliothec. Meibom.* part. III. p. 101. & *Bibliothec. Almeloueen.* p. 64.

b) Pagina 36. Speciatim medicinae studiosus tam in cadaueribus humanis, quam brutis incidendis se exerceat, atque in musculis COWPERI, atque in neruis VIEVSSENII figuris vtatur.

c) HENR. RIDLEY *Anatomia cerebri, complectens eius mechanismum & physiologiam, simulque noua quaedam inuenta, cum correctionibus aliquot veterum ac recentiorum, qui in eandem materiam scripserunt. Cui annexum est examen accuratum functionum animalium & motus muscularis. Omnia elegantibus ad viuum expressis sculpturis illustrata, ex anglico in latinum fideliter translata.* Lugdun. batauor. 1724. 8.

d) In *Orat. de incrementis anatom. seculi* XVIII. p. 146.

§. VI.

De adenologia in genere, praeter MARCELLVM MALPIGHIVM, NIC. STENONEM, THOM. WARTHONVM, & ANTON. NVCKIVM, oppido pauci e) fuerunt solliciti. NICOL. STENONIS *Specimen obseruationum de musculis & glandulis*, iam praecedente §. 3. fuit adductum. THOM. WARTHONI *Adenographiam, siue, glandularum totius corporis descriptionem*, multoties prelis f) substratam, nec non in *Bibliothecam anatomicam Clerico-Mangetianam* receptam, HERMANNVS BOERHAAVIVS in *Methodo discendi medicinam*

nam p. 348. infignem in modum depraedicauit. ANT. NVCKII *Adenographia curiofa* Lugduni batau. 1692. in 8. luci eft expofita litterariae. Optimo quoque iure locum fuum tueri hic poterit fequens liber, qui ita infcribitur: *Opufculum anatomicum de fabrica glandularum in corpore humano, continens duas epiftolas; quarum prior eft* HERM. BOERHAAVII *fuper hac re, ad* FREDER. RVYSCHIVM; *altera* FREDER. RVYSCHII *ad* HERM. BOERHAAVE, *qua priori refpondetur.* Lugdun. batau. 1722. 4.

e) Vt enim autores fpecialisfimi, qui in epiftolis faltim, vel differtationibus, modo cum IO. CONR. BRVNNERO, *De glandulis in inteftino duodeno hominis detectis*, Heidelbergae 1687. 4. modo cum IO. VERCELLONO, *De glandulis oefophagi*, Aftae 1711. 4. modo cum LAVRENT. TERRANEO, *De glandulis virilis vrethrae nouis*, Lugd. bat. 1729. 8. egeruut, me morentur, id inftituti mei non permittit ratio, nec fines huic operi circumfcripti id ferunt.

f) Londini 1656. 8. Amftelod. 1659. 12. Nouiomagi 1665. 12. Vefaliae 1671. 12.

§. VII.

Circa angiologiam excolendam quamplurimi fuerunt occupati. RAYMVNDI VIEVSSENII *Nouum vaforum corporis humani fyftema*, Amftelodami 1705. 8. multum attentionis g) excitauit. De arteriis I. E. WREDENIVS peculiares h) tabellas typorum ope emifit. HENR. MEIBOMII *De vafis palpebrarum nouis, Epiftola ad* IOELEM LANGELOTTVM, Helmftadii 1666. 4. in confpectum orbis litterati prodiit. NIC. STENONIS *Obferuationes anatomicae, quibus varia, oris, oculorum & narium vafa defcribuntur, nouique faliuae, lacbrymarum & muci fontes deteguntur*, Lugduni batau. 1662. 12. luci expofitae, THOM. i) BARTHOLINO iudice, maximi funt faciendae. Ratione ductuum Saliualium, poft WARTHONVM atque STENONEM, ab ANT. k) NVCKIO, ABRAH. l) VATERO, AVG. FRIDR. m) WALTHERO & GEORG. DAN. n) COSCHWITZIO, multa nouiter funt detecta; quem-

 admo-

admodum etiam ante paucos annos CHRISTOPH. IAC. TREW *Epistola de vasis linguae salivalibus atque sanguiferis, ad* ALBERT. HALLERVM, Norimbergae anno 1734. 4. fuit diuulgata. Venas lacteas CASP. o) ASELLIVS; ductum thoracicum, & quidem, quantum ad bruta, IO. p) PECQVETVS, quantum vero ad homines attinet, THOM. q) BARTHOLINVS, primi descripserunt; IOANNES r) porro SALZMANNVS singularem encheiresin, eidem inueniendo facilius inseruientem, monstrauit. De vasis lymphaticis cum OLAVS s) RVDBECKIVS, tum THOM. t) BARTHOLINVS, quorum vterque eorundem inuentionem sibi adscripserunt, bene sunt meriti.

g) Vid. HEISTERI *Orat. de incrementis anatomiae seculi* XVIII. pag. 41. & 137.

h) I. E. WREDEN *Arteriologische Tabellen, in welchen die Arterien, derselben Ramificationes, vnd die Oerter, wo sie hingehen, deutlich entworfen* &c. Hannouer 1721. f.

i) Vid. eius *Opuscula noua anatomica* p. 678. seqq.

k) ANT. NVCKII *De ductu saliuali nouo, saliua, ductibus oculorum aquosis & humore oculi aqueo libellus.* Lugd. bat. 1685. in 12. qui tempore insequuto, rubricam gerens: ANT NVCKII *Sialographia & ductuum aquosorum anatome noua*, priori auctior, ibidem loci 1690. 8. fuit recusus.

l) Vid. Noua litterar. Lips. a. 1721. m. Mart. p. 39. seqq.

m) AVG. FRIDER. WALTHERI *Exercitatio de lingua humana, nouis inuentis octo sublingualibus saliuae riuis, nunc ex suis fontibus, glandulis sublingualibus, eductis, irrigua.* Lips. 1724. 4.

n) G. D. COSCHWIZII *Diss. sistens ductum salivalem nouiter detectum.* Halae 1724. 4.

o) CASP. ASELLII *De lactibus, seu, lacteis venis, quarto vasorum meseraicorum genere, nouo inuento, dissertatio.* Mediolani 1627. 4. Basil. 1628. 4. Lugd. bat. 1640. 4. & 1641. 8. Num promissa a celeberrimo anatomico, IO. CHRISTOPH. BOHLIO, & in nouis litterariis anni 1732. p. 177. iam significata, *Galaxia corporis animalis examinata*, typis exscripta prodierit? de eo nihil magis, quam de promissa ibidem *Vita* FREDER. RVYSCHII, rescifcere hactenus mihi licuit.

p) IO. PECQVETI *Experimenta noua anatomica, quibus incognitum hactenus chyli receptaculum, & ab eo per thoracem in ramos vsque subclauios vasa lactea deteguntur.* Harderouici 1651. 12.

q) THOM.

q) THOM. BARTHOLINI *Historia anatomica de lacteis thoracicis in homine brutisque nuperrime obseruatis*, Hafniae 1652. 4. impressa, & *Opusculis* eius *nouis anatomicis de lacteis thoracicis, & lymphaticis vasis*, Hafniae 1670. 8. euulgatis, deinde fuit inserta.

r) IO. SALZMANNI *Encheiresis noua, qua ductus thoracicus, vna cum receptaculo chyli, in quouis subiecto humano demonstrari potest.* Argentor. 1711. 4.

s) OLAI RVDBECKII *Exercitatio noua anatomica, exhibens ductus hepaticos aquosos, & vasa glandularum serosa, nunc primum inuenta, aeneisque figuris delineata.* Arosiae 1653. 4. & Lugd. batau. 1654. 12.

t) THOM. BARTHOLINI *Vasa lymphatica in animalibus inuenta.* Hafniae 1653. 4. *Eiusdem Vasa lymphatica in homine reperta.* Hafniae 1654. 4. Quoniam itaque noua haec inuenta quamplurimis scriptis eristicis occasionem porrexerunt; BARTHOLINVS omnes suas hac in controuersia euulgatas apologias in modo dictis *Opusculis nouis anatomicis, de lacteis thoracicis & vasis lymphaticis*, vno volumine comprehensis, Hafniaeque anno 1670. 8. editis, iunctim imprimendas curauit.

§. VIII.

De organis sensoriis in genere, IVL. CASSERIVS, *Placentinus*, vel potius, sub CASSERII nomine, CASPARVS u) BARTHOLINVS, ita inscriptum *Pentaesthesion* w) luci exposuit publicae. In specie autem, auditus sensum atque organon, ex veteribus, BARTHOLOM. x) EVSTACHIVS, HIER. FABRICIVS y) AB AQVAPENDENTE, & IVL. z) CASSERIVS, *Placentinus;* e recentioribus autem, IOSEPH. a) DV VERNEY, GÜNTH. CHRISTOPH. b) SCHELHAMMERVS, ANT. MARIA c) VALSALVA, RAYMVNDVS d) VIEVSSENIVS, & IO. FRIDER. e) CASSEBOHMIVS, peculiaribus tractatibus, ex parte ab ALB. f) HALLERO diiudicatis, indagauerunt. De visu HIER. g) FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, VOPISCVS FORTVNATVS h) PLEMPIVS, GVILIELMVS i) BRIGGS, & PET. k) KENNEDY, prae reliquis fuere solliciti. Odoratum CONR. VICTOR SCHNEIDER l), & CASP. m) BARTHOLINVS, *iunior*, peculiari disquisitione dignum habuerunt. De

lingua & guſtu MARCELLVS MALPIGHIVS, & CAROLVS FRACASSATVS, in epiſtolis n) huic argumento dicatis, praecipue vero LAVR. BELLINVS, in *Organo guſtus nouisſime deprehenſo*, Bonon. 1665. 12. egerunt. Tandem & modo nominatus MARCELL. MALPIGHIVS *Epiſtolam anatomicam, de externo tactus organo*, epiſtolis illis, quas modo allegaui, anatomicis inſerendam curauit.

u) Scribit enim THOMAS BARTHOLINVS in praefatione, quam *Anatomiae* ſuae *reformatae*, Lugduni batau. 1669. 8. impreſſae, praemiſit, expresſis verbis: Quam plurima cadauera Patauii manu ſua B. Parens diſſecuit, apud CASSERIVM, *cum huius nomine pentaeſtheſeion adornaret.*

w) IVL. CASSERII, *Placentini, Pentaeſtheſeion, hoc eſt, de quinque ſenſibus liber, organorum fabricam, variis iconibus fideliter aere inciſis illuſtratam, nec non actionem & vſum continens.* Venetiis 1609. fol. & Francofurti 1622 fol. vbi hac inſcriptione innoteſcit: IVL. PLACENTINI *Noua anatomia, continens accuratam organorum ſenſilium, tam humanorum quam brutorum, delineationem & vſum.*

x) Huius *Libellus de auditus organis* inuenitur inter *Opuſcula anatomica* eius, de quibus sect. praeced. §. 6. dixi.

y) HIERON. FABRICII, *De viſione, voce, auditu, tractatus.* Venet. 1600. fol. Patau. 1603. fol. Francof. 1605. fol. Reperiri etiam poſſunt in *Operibus* eius *anatomicis & phyſiologicis.* In BOERHAAVII *Praelect. academ. in proprias inſtitutiones*, volum. IV. p. 353. haec leguntur: FABRICII libellus de aure elegans, ſed noſtro ſeculo neglectus.

z) IVL. CASSERII, *Placentini, De vocis auditusque organis hiſtoria anatomica.* Ferrar. 1600. 1601. f.

a) *Traité de l'organe de l'ouie, contenant la ſtructure, les vſages, & les maladies de toutes les parties de l'oreille, par Monſ.* DV VERNEY. à Paris 1683. 8. & nuper Lugd. bat. 1731. 12. In BOERHAAVII *Methodo diſcendi medicinam* p. 367. hic liber omnibus reliquis huius argumenti ſcriptis multa cum laude praefertur, ſimulque monetur, cauendam eſſe verſionem latinam, Norimbergae 1684. 4. impreſſam, idque propter figuras aeneas inepte exſculptas.

b) GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Liber vnus de auditu, quo plerorumque omnium doctorum ſententiae examinantur, & auditus ratio noua methodo ex ipſius naturae legibus explicatur.* Lugd. bat. 1684. 8. In praemiſſa CAR. DRELINCVRTII Epiſtola ſcribitur quidem: Auditus rationem tam neruoſe SCHELHAMMERI ſedulitate exhauſtam eſſe, vt, quid doctius exactiusque

que desiderari queat, non percipiat. Huic autem seutentiae ALBERTVM HALLERVM album, quod dicitur, non adiecisse calculum, nota f) pluribus docebit.

c) ANT. MAR. VALSALVAE *De aure humana tractatus, in quo integra auris fabrica, multis nouis inuentis, & iconismis illustrata, describitur, omniumque eius partium vsus indagantur*; Bononiae primum anno 1704. 4. excusus, postea Traiecti anno 1707. eadem forma recusus, operibus tandem eius iunctim Venetiis anno 1740. 4. impressis, est adiectus, & in BOERHAAVII quidem *Methodo discendi medicinam* pag. 367. parum pensi habitus; a LAVRENT. contra HEISTERO in *Orat. de incrementis anatom.* p. 38. multisque aliis tanto maiore laude euectus.

d) *Traité noueau de la structure de l' oreille, par* RAYMOND VIEVSSENS. a Toulouse 1714. 4. Vid. HEISTER. *Orat. de increm. anatom.* p. 72. & 137. seq. vbi haec leguntur: In VIEVSSENII tractatu de aure, quem prius, vt affirmat, non edidit, antequam millies aurem examinauit, multa noua inuenta contineri, & ipse, & diarium eruditorum Parisiense asseuerant, maximamque partem eorum, quae VALSALVA de aure noua scripsit, ille sibi vindicat.

e) Ab anatomico hoc sollertissimo sex tractatus huc spectantes hactenus accepimus, sequenti modo inscriptos: *Tractatus quatuor de aure humana, tribus figurarum tabulis illustrati, auctore* IO. FRID. CASSEBOHM. Halae 1734. 4. *Eiusd. Tractatus quintus anatomicus de aure humana. Cui accessit sextus de aure monstri humani, cum tribus figurarum tabulis.* Halae 1735. 4. Ceterum plurium huius argumenti tractatuum a se conscribendorum iucundam eruditis spem fecerat autor, fato ipsius tandem frustratam.

f) In *Notis ad* BOERHAAVII *praelectiones academicas in proprias institutiones medic.* Volum. IV. pag. 419. FABRICIVS non ita multum addidit, & multa omisit in libro de aure, quae cognouerat FALLOPPIVS. Icones etiam malas dedit. SCHELHAMMERVS magis physicus, quam anatomicus, bruta quidem passim secuit, & priores diligenter legit; sed in multis, e. g. in chorda, canalibus semicircularibus &c. insigniter peccauit. DV VERNEY. Concinnus libellus cum pulcherrimis iconibus, quae priores plurimum superant elegantia. Musculum stapedis primus euidenter asseruit &c. VALSALVA elegante libello aliquot errores DV VERNEY in tubae nomine, in musculo Casserii externo correxit. Inuenit musculos minores auriculae, tubae fabricam & musculos restituit, canales accuratius dimensus est, physiologiam auris insigniter auxit.

g) Vid. eius tractatus in nota y) modo allegatos.

h) VOPISCI FORTVNATI PLEMPII *Ophthalmographia, siue, tractatio de oculi fabrica, actione & vsu.* Amstelod. 1632. 4. longeque auctior Louanii 1648. fol.

i) GVIL. BRIGGS *Ophthalmographia, siue, oculi eiusque partium descriptio anatomica.* Cantabrigiae 1675. 8. & Lugdun. Bat. 1686. 12. Insertum fuit hoc quoque opusculum DAN. CLERICI & IO. IAC. MANGETI *Bibliothecae anatomicae.*

k) PET. KENNEDY *Ophthalmographia* Londini 1713. 8. lingua anglicana conscripta, in conspectum reipublicae litterariae prodiit, & eodem loco, continuatione aucta, inscripta: *A supplement to* KENNEDYS *ophthalmographia, or, treatise of the eye,* anno 1739. 8. denuo est emulgata.

l) CONR. VICT. SCHNEIDERI *Liber de osse cribriformi, & sensu ac organo odoratus.* Wittebergae 1655. 12.

m) CASP. BARTHOLINI, *Thom. fil. de olfactus organo disquisitio anatomica.* Hafniae 1679. 4.

n) *Epistolae anatomicae* MARCEL. MALPIGHII & CAROL. FRACASSATI. Amstelodami. 1669. 12. Continentur: M. MALPIGHII *Epistolae de lingua; de cerebro; de externo tactus organo; de omento, pinguedine & adiposis ductibus.* C. FRACASSATI *Epistolae de lingua; de cerebro.*

§. IX.

Partibus genitalibus, tum masculini tum sequioris sexus, describendis occupati fuere FRANCISCVS PLAZZONVS, GVERNERVS ROLFINCIVS, & REGNERVS DE GRAAF; horum tamen vltimus a IOANNE SWAMMERDAMIO plagii litterarii hoc in argumento commissi suspectus fuit redditus. FRANCISCI PLAZZONI, *De partibus generationi inseruientibus libri II. quibus omnium & singulorum organorum vtriusque sexus, ad generationem concurrentium, structura, actiones & vsus explicantur,* Patauii anno 1621. 4. excudebantur, & Lugduni Batauorum 1644. & 1664. 12. vna cum IVL. CAES. ARANTII *Differt. de humano foetu,* & GEORG. NYMANNI *Differt. de vita foetus in vtero,* recudebantur. GVERNERI ROLFINCII *Ordo & methodus generationi dicatarum partium, per anatomen, cognoscendi fabricam,* lucem Ienae 1664. 4. adspexit. REGNERI DE GRAAF *Tractatus de virorum organis generationi inseruientibus* Lugdun. Bat. 1668. 8. & *Tractatus de mulierum organis generationi inseruientibus* Lugd. Bat. 1672. 8. editus, vterque paullo post operibus o) eius omnibus iunctim impressis fuit inser-

fertus. In ſpecie SEVERINVS p) PINAEVS *De notis virginitatis;* & HIERONYMVS q) CAPIVACCIVS *De ſignis virginitatis tam maſculi, quam foeminae,* ſcripſerunt; & nuper admodum IOANNES IACOBVS HVBERVS *Commentationem de vaginae vteri ſtructura rugoſa, nec non de hymene,* cum adiunctis iconibus, Goettingae anno 1742. 4. multa cum doctorum approbatione, emiſit. LEALIS LEALIS *Exercitationem* r) ſuam *epiſtolicam de partibus ſemen conficientibus in viro,* HERMANNO BOERHAAVIO adeo laudatam, & IOANNES s) SWAMMERDAMIVS quantiuis pretii *Tractatum de vteri muliebris fabrica,* luci expoſuerunt publicae: quibus merito, *Vteri humani grauidi anatomen & hiſtoriam, autore* WILHELMO NOORTWYCK, Lugd. bat. 1744. 4. diuulgatam, adiungere me oportet; MARTINI contra NABOTHI *Diſſertatio de ſterilitate mulierum,* Lipſiae 1707. 4. excuſa, in qua nouum ouarium muliebre notum facere voluit, quam plurimos inuenit, qui inuentori contradicerent.

o) REGNERI DE GRAAF *Opera omnia. I. De virorum organis generationi inſeruientibus. II. Epiſtola ad* LVCAM SCHACHTIVM *De partibus genitalibus mulierum. III. De mulierum organis generationi inſeruientibus. IV. Partium genitalium defenſio. V. De ſucci pancreatici natura & vſu. VI. De clyſteribus. VII. Epiſtola ad* VOPISCVM FORTVNATVM PLEMPIVM. VIII. *De vſu ſiphonis in anatomia.* Lugd. Bat. 1677. 8. Ibid. 1678. 8. & 1705. 8.

p) SEVER. PINAEI *Opuſculum phyſiologico-anatomicum, in duos libellos diſtinctum, in quorum primo de integritatis & corruptionis virginum notis, in altero de grauiditate & partu naturali agitur.* Pariſ. 1598. 8. De crebro repetitis, diuerſisque in locis recuſis editionibus huius libri, euolui poterit IAC. DOVGLASSII *Bibliographia anatomica* p. 173. quarum ea, quae Moeno-Francofurti anno 1690. 12. prodiit, additamentis quibusdam LVDOV. BONACIOLI, FEL. PLATERI, & MELCH. SEBIZII adaucta comparuit in publico.

q) Vid. eius tomo I. cap. V. §. 15. allegata opera omnia.

r) Patauii 1686. 12. Adnexa eadem quoque fuit BARTHOL. EVSTACHII *Opuſculis anatomicis,* Lugduni Batauorum anno 1707. 8. cum HERMAN. BOERHAAVII praefatione impreſſa.

s) 10.

s) IO. SWAMMERDAMII *Miraculum naturae, siue, vteri muliebris fabrica, notis in D.* IO. VAN HORNE *prodromum illustrata, & tabulis, a clarissimis expertissimisque viris cum ipso archetypo collatis, adumbrata. Adiecta est noua methodus, cauitates corporis ita praeparandi, vt suam semper genuinam faciem seruent.* Lugd. Bat. 1672. 4. 1679. 4. 1729. 4. Habetur autem editio prima reliquis melior.

§. X.

Iam nunc multum negotii mihi foret reliquum, si, eundo per omnes & singulas tam diuersas, quae supersunt adhuc, corporis partes, ex ordine indicare & recensere vellem scriptores particulares, qui de iisdem egerunt. Sic, exempli gratia, de capite, IOSEPHVS t) CHARRIERE; de corde, RICHARD. u) LOWER, & RAYMVNDVS w) VIEVSSENIVS; de pulmone, THOM. BARTHOLINVS x) & MARCELLVS MALPIGHIVS; de stomacho & intestinis, FRANCISCVS y) GLISSONIVS, & CHRISTIANVS BERNHARDVS z) ALBINVS; de peritonaeo, IACOB. a) DOVGLASSIVS; de pancreate, IOANNES CONRADVS b) BRVNNERVS, & IOANNES CONRADVS PEYERVS; de hepate FRANCISCVS c) GLISSONIVS, & IO. BAPT. d) BIANCHI; de splene, MATTH. e) TILINGIVS; de renibus, BARTH. f) EVSTACHIVS, & LAVR. BELLINVS; de vesica, IAC. h) PARSONIVS; de secundina humana, NIC. i) HOBOKENVS; & de aliis partibus alii scripsere peculiares libellos. Verumenimuero quum in tam latum campum hic excurrere mihi non sit licitum; remittendus est lector ad crebro iam allegatam *Bibliothecam anatomicam Clerico - Mangetianam*; quanquam scripta anatomica specialia, quae a collecta illa bibliotheca prodierunt, facile tanta comparebunt copia, vt, etiamsi meliora eorum tantum seligere quis voluerit, numerus eorum suffecturus sit nouae paris molis collectioni conficiendae.

t) *L' anatomie de la tête de l' homme, par Monf.* CHARRIERE. a Paris 1703. 8.

u) RICH.

u) RICH. LOWERI *Tractatus de corde; item de motu & colore sanguinis, & chyli in eundem transitu.* Amstelodami 1669. 8. Lugd. Batau. 1722. 8. In SCHELHAMMERI *Additamentis ad Conring. introduct.* Cap. IV. §. 39. scriptum legimus: Quod RICHARDVS LOWERVS cordis historiam absoluisse videatur.

w) *Traité nouueau de la structure & de la cause du mouuement naturel du coeur, par Monſ.* RAYMOND VIEVSSENS. a Toulouse 1715. 4. Recensio huius libri admodum honorifica legi potest in HEISTERI *Orat. de increment. anatom.* p. 138.

x) THOMAE BARTHOLINI *De pulmonum substantia & motu diatribe. Accedunt* MARCELLI MALPIGHII *Obseruationes anatomicae de pulmonibus* Hafniae 1663. 8. Lugd. 1672. 12.

y) FRANC. GLISSONII *Tractatus de ventriculo & intestinis. Cui praemittitur alius de partibus continentibus in genere, & in specie, abdominis.* Amstelodam. 1677. in 12.

z) CHRIST. BERN. ALBINI *Specimen anatomicum, exhibens nouam tenuium hominis intestinorum descriptionem.* Lugd. Batau. 1724. 8. Laudatus fuit iste libellus in actis eruditorum anni 1725. Mens. Septemb.

a) IAC. DOVGLASSII *Descriptio peritonaei & membranae cellularis, vna cum recensione veri situs omnium viscerum abdominis, quantum ad has membranas attinet. Ex anglico latine versa & annotationibus aucta ab* ELIA FRIDERICO HEISTERO. Helmstad. 1733 8.

b) IO. CONR. BRVNNERI *Experimenta noua circa pancreas. Acc.* I. *Eiusd. Diatribe de lympha & genuino pancreatis vsu.* II. IO. CONR. PEYERI *Schediasma de pancreate & eius vsu.* III. IO. CONR. BRVNNERI *Responsum ad schediasma de pancreate.* Amstelodam. 1683. 8.

c) FRANC. GLISSONII *Anatomia hepatis, cui praemittuntur quaedam ad rem anatomicam vniuerse spectantia.* Londini 1654. in 8. Amstelod. 1659. 1665. 12. Hag. Com. 1681. in 12.

d) IO. BAPT. BIANCHI *Historia hepatis, siue, tractatus de hepatis structura, vsibus & morbis.* August. Taurinor. 1710. 4 1715. 4. longeque auctior Geneuae 1724. 4. Recensio huius libri habetur in *Giornale de' letterati d' Italia* tom. XX. p. 230-271. Ceterum, a IO. BAPT. MORGAGNO, LAVRENT. HEISTERO aliisque illi saepe contradictum, autorem quoque variorum errorum postulatum esse, notum.

e) MATTH. TILINGII *Anatomia lienis, ad circulationem sanguinis, aliaque recentiorum inuenta, accommodata.* Rintelii 1673. 12.

f) BARTH. EVSTACHII *Libellus de renum structura, officio & administratione, opusculis eius anatomicis,* in praecedente iam sectione allegatis, est adnexus.

g) LAY-

g) LAVRENT. BELLINI *Exercitatio anatomica de structura & vsu renum*, Florentiae anno 1662. 4. lucem salutauit publicam, Argentorati, Amstelodami & Patauii recusa, nec non Lugduni Batauorum anno 1711. & 1726. 4. vna cum eiusdem *Exercitatione de gustus organo nouissime deprehenso*, impressa. Tanta cum approbatione illa excepta fuit, vt NICERONIVS in *Memoires des hommes illustres* tom. V. p. 348. omni cum iure scribere potuerit: Cet ouurage, que BELLINI publia a l' âge de 19. ans, lui fit beaucoup d' honneur, tant par rapport à la beautè de ses decouuertes, que par rapport à l' elegance de son stile.

h) *A description of the human vrinary Bladder. By* IAMES PARSONS. London 1742. 8.

i) NIC. HOBOKENI *Anatomia secundinae humanae repetita, aucta, & 44. figuris, propria autoris manu delineatis, illustrata. Eiusdem anatomia secundinae vitulinae, 38. figuris, propria autoris manu delineatis, illustrata. Accedunt* THOMAE BARTHOLINI, & HENR. EYSSONII *Litterae, cum autoris ad easdem responsione.* Vltraiect. 1676. 8.

k) Vid. Tom. I. cap. VII. sect. II. §. 2.

CAP. II.

DE SCRIPTORIBVS PHYSIOLOGICIS.

§. I.

Scriptorum physiologicorum numerus etsi nequaquam est exiguus; de perpaucis tamen ego hic loci, scopi mei tenax, & intra circumscriptos mihi me continens cancellos, dicendi occasionem inuenturus sum: quum horum plerique ad philosophicam potius, quam ad medicam, spectent & pertineant bibliothecam; multi vero, qui anatomiam cum physiologia coniunxerunt, quique historiam & structuram partium cum doctrina de vsu partium iunctim tractauerunt, in capite superiori, seu huius tomi primo, iam sint recensiti; alii denique, quos sola quidem physiologia tenuit occupatos, quorum tamen scripta ante GVI-

LIEL-

LIELMI HARVEI aetatem prodierunt, noltris temporibus parum quaerantur, paruique aestimentur momenti.

§. II.

Vt ergo vltimo loco nominatos breuiter & iusto recenseam ordine; in duas praesens caput dispescam sectiones. In harum priore illorum facturus sum mentionem, qui de physiologia in genere egerunt; in posteriore autem eos saltem attingam, qui de hac illaue physiologiae parte speciatim scripserunt. Idque ea a me fiet ratione, vt, quantum fieri poterit, seriem chronologicam presso pede sequar.

CAP. II. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS PHYSIOLOGICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores physiologici graeci §. *1.* *Latino-barbari* §. *2.* *Scriptores physiologici saeculi XVI.* §. *3.* *Saeculi XVII.* §. *4. 5.* *Scriptores physiologici recentissimi.* §. *6.* 7.

§. I.

Quandoquidem mihi constitutum est, scriptis veterum graecorum dudum deperditis a), quae ceteroquin ad rem physiologicam pertinuere, non immorari, de quorum partim male, partim bene ac solide fundatis obseruationibus, PLVTARCHVS, & *In sympofiacis*, & *in placitis philosophorum*, multa memoratu digna consignauit: HIPPOCRATIS adeo saltem atque GALENI, ceu principum inter superstites medicos graecanicos, mentio mihi praesenti loco

loco erit iniicienda; quibus denique celebrem illum phoeniciae quondam episcopum, NEMESIVM, sum adiecturus b). De *primi* horum *Opusculis physiologicis*, quae ANVTIVS FOESIVS in tertia operum HIPPOCRATIS sectione in vnum collecta fasciculum c) collocauit, iam alibi d) obseruaui, exigui eadem esse momenti e); etiamsi non diffitendum sit, non nulla interdum probe obseruata f) iis esse intersperfa; quemadmodum & diuersi tractatuum *Hippocraticorum* istorum, & inter hos praecipue *Libellus de aere, aquis & locis*, variis g) commentariis fuerunt illustrati. Ex CLAVDII GALENI *Operibus* h) *physiologicis*, *libri XVII. de vsu partium*, per multorum saeculorum decursum, ceu princeps i) quoddam & primarium opus, maximi fuerunt aestimati, etsi a variis naeuis atque erroribus non omnino sint immunes, nec adhibitae in iisdem hypotheses, iudice G. C. SCHELHAMMERO k), fuerint sufficientes. NEMESII contra *De natura hominis liber vnus*, qui graece ac latine, optima & plenissima forma, Oxonii 1671. 8. diuulgatus l) fuit, vel eo nomine memoria dignus habetur, quod, ex mente editoris anonymi Oxoniensis, cui & THEODORVS IANSSONIVS AB ALMELOVEEN m) & IACOBVS DOVGLASSIVS n) adsentiuntur, de circuitu sanguinis, deque vero bilis vsu, talia placita in eodem proferuntur in medium, qualia superiori saeculo pro plane nouis & antea inauditis omnino inuentis fuerunt venditata.

a) Pertinent ad hancce classem varii tractatus ALCMAEONIS, DEMOCRITI, ARATI, DIOCLIS, PRAXAGORAE, HEROPHILI, ERASISTRATI, THEOPHRASTI ERESII &c.

b) GREGORII enim NYSSENI *Libellum de opificio hominis*, & MELETII *Libellum de natura hominis*, studio & data opera hic praeterire volui; videri tamen de vtroque poterit FABRICIVS in *Bibliotheca graeca* volum. VIII. p. 145. sequ. & p. 405. sequ.

c) Inueniuntur ibi sequentia: *De natura hominis; de genitura; de natura pueri; de carnibus; de septimestri partu; de octimestri partu; de superfoetatione; de dentitione; de corde; de glandulis: de ossium natura; de aere, locis, & aquis; de flatibus; de morbo sacro.*

d) Vid.

d) Vid. STOLLII *Historia medicinae litterar.* p. 500. seqq.

e) Scripsit equidem CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 8. p. 87. Physiologica scripta HIPPOCRATIS digna lectu sunt; adiecit, autem perquam circumspecte mox sequentia: non tamen sine ratione admittenda.

f) Quando v. c. substantiam cerebri glandulosam, substantiam cordis musculosam, generationem hominis ex ouo, aliaque similia iam indagauit.

g) Horum indicem GOELICKIVS in *Historia medicinae vniuersalis* p. 729. sequ. exhibuit, ex quibus LVDOV. SEPTALII *Commentarii quinque in librum Hippocratis de aeribus, aquis & locis*, Francofurti 1645. fol. editi, a CONRINGIO in *Introduct. in art. medicam* cap. XIII. §. 5. reliquis cunctis fuerunt praelati.

h) Inueniri haec, iuxta IANI CORNARII distributionem, poterunt, in tomo operum GALENI primo; quibus tamen anatomica etiam illius scripta sunt sociata. Tractatuum istorum physiologicorum non nullos a IOAN. BAPT. MONTANO, PETRO DE PERAMATO, IAC. SEGARRA, LVDOV. LEMOSIO, MELCH. SEBIZIO, & in primis a CASP. HOFMANNO, commentariis vtilibus fuisse illustratos, id vero iam in generaliore bibliothecae huius parte a me fuit adnotatum.

i) Vid. CLERC *Histoire de la medecine*, pag. 715. Ces mêmes liures de l' vsage des parties sont vn chef-d'oeuure, qui a été admiré de tout temps, & qui fait le mieux voir l' etendue du genie de son auteur. Probe autem idem eadem pagina in adnotatione sequentia moniti loco adiecit; on ne veut pas dire par là, qu'il n'y a point de défaut dans cet ouurage; il y en a plusieurs; mais cela n' empeche pas, que l' ouurage ne soit d' ailleurs excellent, sur tout pour le temps, auquel il a été composé. Consonat huic iudicium quod de eodem opere tulit CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 17. sequentibus verbis: Verum maxime inter omnia excellunt de vsu partium libri: quod sane opus incredibili ἀκριβείᾳ & singulari plane ingenio conscriptum est, vt in quo autor vim sui iudicii potissimum declarauit; fatendum tamen, multa passim apud GALENVM, etiam in ipso hoc de vsu partium opere, occurrere, quae cum veritate non vsquequaque, immo non raro neutiquam conueniunt, vtut identidem corporum humanorum sectione glorietur.

k) Vid. Eius *Additament. ad Conring. introduct.* pag. 64. Quorum GALENI errorum meo iudicio est praecipuus, quod quatuor primis sic dictis qualitatibus plerasque omnes tum morborum, tum simplicium virtutum caussas tulit acceptas: Alter, quod facultatum inane nomen in scholas attulit, iisque functiones partium adscripsit.

Et pag. 125. iterum haec habentur: GALENVS plurimos fouit errores, propter quos in anatomicis VESALIO, in physiologicis vero CASP. HOFMANNO, plurimis in locis vapulat, praesertim, vbi ARISTOTELI iniquior est, & de principatu partium earumque ortu cum ipso contendit. Quibus postquam accessere HARVEI aliorumque obseruationes, hac in parte prorsus GALENVS succubuit. Haec quum ita se habeant, non citra rationem sufficientem IOAN. MELCH. VERDRIESIVS, *in vera ad veram medicinam via* pag. 9. videtur scripsisse: Quod GALENVS ineptis de structura & vsu partium sententiis, & precariis quatuor humorum, elementorum & qualitatum primarum, quibus Aristoteles naturae inquisitoribus iam fucum fecerat, opinionibus, multisque alienis, vsu cassis, nec quicquam sensus ac rationis habentibus philosophicis neniis, egregium ab HIPPOCRATE acceptum nucleum magno putamine inuoluerit.

l) De reliquis & editionibus & versionibus consuli poterit I. A. FABRICIVS in *Bibliothec. graec.* volum. VII. pag. 549. seqq.

m) *Inuent. nou-antiqu.* p. 166. seq. & 233. seqq.

n) *Bibliograph. anatomic.* p. 35. seq. Notatu dignissima NEMESIVS cap. XXVIII. de bile profert, vnde doctissimum SYLVIVM sua de bile post mille & ter centum fere annos desumsisse probabile est, licet, se orbem terrarum hoc inuento beasse, glorietur. IOANNEM pariter FREINDIVM id honoris NEMESIO tribuisse; sanguinis contra circumeuntis notitiam eidem plane denegasse, ex *Historiae* eius *medicinae* parte I. p. 364. apparet, vberiusque ibidem diductum legi potest.

§. II.

Magna illa, qua GALENVS floruit, auctoritas, & radicata nimium, falsa licet, opinio, ac si ab eodem in scientia anatomica aeque ac physiologica omnia iam tum exhausta quasi fuissent, caussa procul dubio fuit, cur sequentes medici, graeci pariter atque latini immo & arabes, incrementa & augmenta studii physiologici, peculiaribus scriptis vlterius prouehendi; nullam omnino in se susceperint curam operamue. Similis incuriae atque negligentiae notam attraxerunt sibi etiam ita dicti latino-barbari hac in re; minime tamen, quoad hanc periodum, mihi praetereundus videtur physiologicus o) ille, nullius quidem pretii, oppido tamen rarus liber, qui, in-

inscriptus: MAGNI HVNDT *Anthropologium de hominis dignitate, natura & proprietatibus, de elementis, partibus & membris humani corporis, de iuuamentis, nocumentis, accidentibus, vitiis, remediis & physionomia ipsorum, de excrementis & exeuntibus, de spiritu humano eiusque natura, partibus & operibus, de anima humana & ipsius appendiciis;* Lipsiae anno 1501. 4. luci fuit expositus; quique ea saltim de caussa locum hic aliquem meretur, quoniam in illo variae figurae anatomicae, ligno incisae, reperiuntur, quae pro antiquissimis p) huius generis, quae adhuc innotuerunt, merito haberi debent.

o) In CONRADI enim GESNERI, IO. IAC. FRISII & PASCHALIS GALLI *Bibliothecis* ne verbulum quidem de hoc ipso autore legitur. Ea contra, SCHENCKIVS, LINDENIVS atque IAC. DOVGLASSIVS *Anthropologium* hocce allegarunt quidem; sed non indicauerunt simul, anatomicas in eodem inueniri figuras.

p) Vid. IO. ZACHAR. PLATNERI *Programma de* MAGNO HVNDT, *tabularum, vt videtur, anatomicarum autore.* Lipsiae 1734. 4.

§. III.

Saeculo decimo sexto admodum pauci medici de physiologia peculiariter q) scripserunt; & a quibus hoc factum, ii maximam partem r) *Galenicis* inhaeserunt principiis. Hos inter, NICOL. BIESIO, REMBERTO DODONAEO, BLASIO HOLLERIO & IO. COSTAEO locum hic aliquem adsignabo. NIC. BIESIVS *Libros* suos *sex theoreticae medicinae* Antwerpiae 1558. 4. euulgauit. REMBERTVS DODONAEVS *Tabulas* suas *physiologiae medicae* Coloniae Agrippinae anno 1581. 8. in lucem emittebat. BLAS. HOLLERII *Medicae artis theorica, libris duobus succincte comprehensa*, Argentorati 1565. 8. excudebatur, & Coloniae 1572. pari forma recudebatur. De IOANNIS COSTAEI *Disquisitionibus physiologicis*, Bononiae anno 1589. 4. impressis, GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS s) bene iudicauit, nec minus

admodum etiam ante paucos annos CHRISTOPH. IAC. TREW *Epistola de vasis linguae salivalibus atque sanguiferis, ad* ALBERT. HALLERVM, Norimbergae anno 1734. 4. fuit diuulgata. Venas lacteas CASP. o) ASELLIVS; ductum thoracicum, & quidem, quantum ad bruta, IO. p) PECQVETVS, quantum vero ad homines attinet, THOM. q) BARTHOLINVS, primi descripserunt; IOANNES r) porro SALZMANNVS singularem encheiresin, eidem inueniendo facilius inseruientem, monstrauit. De vasis lymphaticis cum OLAVS s) RVDBECKIVS, tum THOM. t) BARTHOLINVS, quorum vterque eorundem inuentionem sibi adscripserunt, bene sunt meriti.

g) Vid. HEISTERI *Orat. de incrementis anatomiae seculi* XVIII. pag. 41. & 137.

h) I. E. WREDEN *Arteriologische Tabellen, in welchen die Arterien, derselben Ramificationes, vnd die Oerter, wo sie hingehen, deutlich entworfen* &c. Hannouer 1721. f.

i) Vid. eius *Opuscula noua anatomica* p. 678. seqq.

k) ANT. NVCKII *De ductu saliuali nouo, saliua, ductibus oculorum aquosis & humore oculi aqueo libellus.* Lugd. bat. 1685. in 12. qui tempore insequuto, rubricam gerens: ANT NVCKII *Sialographia & ductuum aquosorum anatome noua*, priori auctior, ibidem loci 1690. 8. fuit recusus.

l) Vid. Noua litterar. Lips. a. 1721. m. Mart. p. 39. seqq.

m) AVG. FRIDER. WALTHERI *Exercitatio de lingua humana, nouis inuentis octo sublingualibus saliuae riuis, nunc ex suis fontibus, glandulis sublingualibus, eductis, irrigua.* Lips. 1724. 4.

n) G. D. COSCHWIZII *Diss. sistens ductum saliualem nouiter detectum.* Halae 1724. 4.

o) CASP. ASELLII *De lactibus, seu, lacteis venis, quarto vasorum meseraicorum genere, nouo inuento, dissertatio.* Mediolani 1627. 4. Basil. 1628. 4. Lugd. bat. 1640. 4. & 1641. 8. Num promissa a celeberrimo anatomico, IO. CHRISTOPH. BOHLIO, & in nouis litterariis anni 1732. p. 177. iam significata, *Galaxia corporis animalis examinata*, typis exscripta prodierit? de eo nihil magis, quam de promissa ibidem *Vita* FREDER. RVYSCHII, resciscere hactenus mihi licuit.

p) IO. PECQVETI *Experimenta noua anatomica, quibus incognitum hactenus chyli receptaculum, & ab eo per thoracem in ramos vsque subclauios vasa lactea deteguntur.* Harderouici 1651. 12.

q) THOM.

q) THOM. BARTHOLINI *Historia anatomica de lacteis thoracicis in homine brutisque nuperrime obseruatis*, Hafniae 1652. 4. impressa, & *Opusculis* eius *nouis anatomicis de lacteis thoracicis, & lymphaticis vasis*, Hafniae 1670. 8. euulgatis, deinde fuit inserta.

r) IO. SALZMANNI *Encheiresis noua, qua ductus thoracicus, vna cum receptaculo chyli, in quouis subiecto humano demonstrari potest.* Argentor. 1711. 4.

s) OLAI RVDBECKII *Exercitatio noua anatomica, exhibens ductus hepaticos aquosos, & vasa glandularum serosa, nunc primum inuenta, aeneisque figuris delineata.* Arosiae 1653. 4. & Lugd. batau. 1654. 12.

t) THOM. BARTHOLINI *Vasa lymphatica in animalibus inuenta.* Hafniae 1653. 4. *Eiusdem Vasa lymphatica in homine reperta.* Hafniae 1654. 4. Quoniam itaque noua haec inuenta quamplurimis scriptis eristicis occasionem porrexerunt; BARTHOLINVS omnes suas hac in controuersia euulgatas apologias in modo dictis *Opusculis nouis anatomicis, de lacteis thoracicis & vasis lymphaticis*, vno volumine comprehensis, Hafniaeque anno 1670. 8. editis, iunctim imprimendas curauit.

§. VIII.

De organis sensoriis in genere, IVL. CASSERIVS, *Placentinus*, vel potius, sub CASSERII nomine, CASPARVS u) BARTHOLINVS, ita inscriptum *Pentaestheseion* w) luci exposuit publicae. In specie autem, auditus sensum atque organon, ex veteribus, BARTHOLOM. x) EVSTACHIVS, HIER. FABRICIVS y) AB AQVAPENDENTE, & IVL. z) CASSERIVS, *Placentinus;* e recentioribus autem, IOSEPH. a) DV VERNEY, GÜNTH. CHRISTOPH. b) SCHELHAMMERVS, ANT. MARIA c) VALSALVA, RAYMVNDVS d) VIEVSSENIVS, & IO. FRIDER. e) CASSEBOHMIVS, peculiaribus tractatibus, ex parte ab ALB. f) HALLERO diiudicatis, indagauerunt. De visu HIER. g) FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, VOPISCVS FORTVNATVS h) PLEMPIVS, GVILIELMVS i) BRIGGS, & PET. k) KENNEDY, prae reliquis fuere solliciti. Odoratum CONR. VICTOR SCHNEIDER l), & CASP. m) BARTHOLINVS, *iunior*, peculiari disquisitione dignum habuerunt. De

 lin-

lingua & gustu MARCELLVS MALPIGHIVS, & CAROLVS FRACASSATVS, in epistolis n) huic argumento dicatis, praecipue vero LAVR. BELLINVS, in *Organo gustus nouissime deprehenso*, Bonon. 1665. 12. egerunt. Tandem & modo nominatus MARCELL. MALPIGHIVS *Epistolam anatomicam, de externo tactus organo*, epistolis illis, quas modo allegaui, anatomicis inserendam curauit.

u) Scribit enim THOMAS BARTHOLINVS in praefatione, quam *Anatomiae* suae *reformatae*, Lugduni batau. 1669. 8. impressae, praemisit, expressis verbis: Quam plurima cadauera Patauii manu sua B. Parens dissecuit, apud CASSERIVM, *cum huius nomine pentaesthesēion adornaret.*

w) IVL. CASSERII, *Placentini, Pentaesthesēion, hoc est, de quinque sensibus liber, organorum fabricam, variis iconibus fideliter aere incisis illustratam, nec non actionem & vsum continens.* Venetiis 1609. fol. & Francofurti 1622 fol. vbi hac inscriptione innotescit: IVL. PLACENTINI *Noua anatomia, continens accuratam organorum sensilium, tam humanorum quam brutorum, delineationem & vsum.*

x) Huius *Libellus de auditus organis* inuenitur inter *Opuscula anatomica* eius, de quibus sect. praeced. §. 6. dixi.

y) HIERON. FABRICII, *De visione, voce, auditu, tractatus.* Venet. 1600. fol. Patau. 1603. fol. Francof. 1605. fol. Reperiri etiam possunt in *Operibus* eius *anatomicis & physiologicis.* In BOERHAAVII *Praelect. academ. in proprias institutiones*, volum. IV. p. 353. haec leguntur: FABRICII libellus de aure elegans, sed nostro seculo neglectus.

z) IVL. CASSERII, *Placentini, De vocis auditusque organis historia anatomica.* Ferrar. 1600. 1601. f.

a) *Traité de l'organe de l'ouie, contenant la structure, les vsages, & les maladies de toutes les parties de l'oreille, par Monf.* DV VERNEY. à Paris 1683. 8. & nuper Lugd. bat. 1731. 12. In BOERHAAVII *Methodo discendi medicinam* p. 367. hic liber omnibus reliquis huius argumenti scriptis multa cum laude praefertur, simulque monetur, cauendam esse versionem latinam, Norimbergae 1684. 4. impressam, idque propter figuras aeneas inepte exsculptas.

b) GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Liber vnus de auditu, quo plerorumque omnium doctorum sententiae examinantur, & auditus ratio noua methodo ex ipsius naturae legibus explicatur.* Lugd. bat. 1684. 8. In praemissa CAR. DRELINCVRTII Epistola scribitur quidem: Auditus rationem tam neruose SCHELHAMMERI sedulitate exhaustam esse, vt, quid doctius exactiusque

que

que desiderari queat, non percipiat. Huic autem sententiae ALBERTVM HALLERVM album, quod dicitur, non adiecisse calculum, nota f) pluribus docebit.

c) ANT. MAR. VALSALVAE *De aure humana tractatus, in quo integra auris fabrica, multis nouis inuentis, & iconismis illustrata, describitur, omniumque eius partium vsus indagantur*; Bononiae primum anno 1704. 4. excusus, postea Traiecti anno 1707. eadem forma recusus, operibus tandem eius iunctim Venetiis anno 1740. 4. impressis, est adiectus, & in BOERHAAVII quidem *Methodo discendi medicinam* pag. 367. parum pensi habitus; a LAVRENT. contra HEISTERO in *Orat. de incrementis anatom.* p. 38. multisque aliis tanto maiore laude euectus.

d) *Traité nouueau de la structure de l' oreille, par* RAYMOND VIEVSSENS. a Toulouse 1714. 4. Vid. HEISTER. *Orat. de increm. anatom.* p. 72. & 137. seq. vbi haec leguntur: In VIEVSSENII tractatu de aure, quem prius, vt affirmat, non edidit, antequam millies aurem examinauit, multa noua inuenta contineri, & ipse, & diarium eruditorum Parisiense asseuerant, maximamque partem eorum, quae VALSALVA de aure noua scripsit, ille sibi vindicat.

e) Ab anatomico hoc sollertissimo sex tractatus huc spectantes hactenus accepimus, sequenti modo inscriptos: *Tractatus quatuor de aure humana, tribus figurarum tabulis illustrati, auctore* IO. FRID. CASSEBOHM. Halae 1734. 4. *Eiusd. Tractatus quintus anatomicus de aure humana. Cui accessit sextus de aure monstri humani, cum tribus figurarum tabulis.* Halae 1735. 4. Ceterum plurium huius argumenti tractatuum a se conscribendorum iucundam eruditis spem fecerat autor, fato ipsius tandem frustratam.

f) In *Notis ad* BOERHAAVII *praelectiones academicas in proprias institutiones medic.* Volum. IV. pag. 419. FABRICIVS non ita multum addidit, & multa omisit in libro de aure, quae cognouerat FALLOPPIVS. Icones etiam malas dedit. SCHELHAMMERVS magis physicus, quam anatomicus, bruta quidem passim secuit, & priores diligenter legit; sed in multis, e. g. in chorda, canalibus semicircularibus &c. insigniter peccauit. DV VERNEY. Concinnus libellus cum pulcherrimis iconibus, quae priores plurimum superant elegantia. Musculum stapedis primus euidenter asseruit &c. VALSALVA elegante libello aliquot errores DV VERNEY in tubae nomine, in musculo Casserii externo correxit. Inuenit musculos minores auriculae, tubae fabricam & musculos restituit, canales accuratius dimensus est, physiologiam auris insigniter auxit.

g) Vid. eius tractatus in nota y) modo allegatos.

h) VOPISCI FORTVNATI PLEMPII *Ophthalmographia, siue, tractatio de oculi fabrica, actione & vsu.* Amstelod. 1632. 4. longeque auctior Louanii 1648. fol.

i) GVIL. BRIGGS *Ophthalmographia, siue, oculi eiusque partium descriptio anatomica.* Cantabrigiae 1675. 8. & Lugdun. Bat. 1686. 12. Insertum fuit hoc quoque opusculum DAN. CLERICI & IO. IAC. MANGETI *Bibliothecae anatomicae.*

k) PET. KENNEDY *Ophthalmographia* Londini 1713. 8. lingua anglicana conscripta, in conspectum reipublicae litterariae prodiit, & eodem loco, continuatione aucta, inscripta: *A supplement to* KENNEDYS *ophthalmographia, or, treatise of the eye,* anno 1739. 8. denuo est emulgata.

l) CONR. VICT. SCHNEIDERI *Liber de osse cribriformi, & sensu ac organo odoratus.* Wittebergae 1655. 12.

m) CASP. BARTHOLINI, *Thom. fil. de olfactus organo disquisitio anatomica.* Hafniae 1679. 4.

n) *Epistolae anatomicae* MARCEL. MALPIGHII & CAROL. FRACASSATI. Amstelodam. 1669. 12. Continentur: M. MALPIGHII *Epistolae de lingua; de cerebro; de externo tactus organo; de omento, pinguedine & adiposis ductibus.* C. FRACASSATI *Epistolae de lingua; de cerebro.*

§. IX.

Partibus genitalibus, tum masculini tum sequioris sexus, describendis occupati fuere FRANCISCVS PLAZZONVS, GVERNERVS ROLFINCIVS, & REGNERVS DE GRAAF; horum tamen vltimus a IOANNE SWAMMERDAMIO plagii litterarii hoc in argumento commissi suspectus fuit redditus. FRANCISCI PLAZZONI, *De partibus generationi inseruientibus libri II. quibus omnium & singulorum organorum vtriusque sexus, ad generationem concurrentium, structura, actiones & vsus explicantur,* Pataui anno 1621. 4. excudebantur, & Lugduni Batauorum 1644. & 1664. 12. vna cum IVL. CAES. ARANTII *Dissert. de humano foetu,* & GEORG. NYMANNI *Dissert. de vita foetus in vtero,* recudebantur. GVERNERI ROLFINCII *Ordo & methodus generationi dicatarum partium, per anatomen, cognoscendi fabricam,* lucem Ienae 1664. 4. adspexit. REGNERI DE GRAAF *Tractatus de virorum organis generationi inseruientibus* Lugdun. Bat. 1668. 8. & *Tractatus de mulierum organis generationi inseruientibus* Lugd. Bat. 1672. 8. editus, vterque paullo post operibus o) eius omnibus iunctim impressis fuit inser-

fertus. In ſpecie SEVERINVS p) PINAEVS *De notis virginitatis;* & HIERONYMVS q) CAPIVACCIVS *De ſignis virginitatis tam maſculi, quam foeminae,* ſcripſerunt; & nuper admodum IOANNES IACOBVS HVBERVS *Commentationem de vaginae vteri ſtructura rugoſa, nec non de hymene,* cum adiunctis iconibus, Goettingae anno 1742. 4. multa cum doctorum approbatione, emiſit. LEALIS LEALIS *Exercitationem* r) ſuam *epiſtolicam de partibus ſemen conficientibus in viro*, HERMANNO BOERHAAVIO adeo laudatam, & IOANNES s) SWAMMERDAMIVS quantiuis pretii *Tractatum de vteri muliebris fabrica*, luci expoſuerunt publicae; quibus merito, *Vteri humani grauidi anatomen & hiſtoriam, autore* WILHELMO NOORTWYCK, Lugd. bat. 1744. 4. diuulgatam, adiungere me oportet; MARTINI contra NABOTHI *Diſſertatio de ſterilitate mulierum*, Lipſiae 1707. 4. excuſa, in qua nouum ouarium muliebre notum facere voluit, quam plurimos inuenit, qui inuentori contradicerent.

o) REGNERI DE GRAAF *Opera omnia.* I. *De virorum organis generationi inſeruientibus.* II. *Epiſtola ad* LVCAM SCHACHTIVM *De partibus genitalibus mulierum.* III. *De mulierum organis generationi inſeruientibus.* IV. *Partium genitalium defenſio.* V. *De ſucci pancreatici natura & vſu.* VI. *De clyſteribus.* VII. *Epiſtola ad* VOPISCVM FORTVNATVM PLEMPIVM. VIII. *De vſu ſiphonis in anatomia.* Lugd. Bat. 1677. 8. Ibid. 1678. 8. & 1705. 8.

p) SEVER. PINAEI *Opuſculum phyſiologico-anatomicum, in duos libellos diſtinctum, in quorum primo de integritatis & corruptionis virginum notis, in altero de grauiditate & partu naturali agitur.* Pariſ. 1598. 8. De crebro repetitis, diuerſisque in locis recuſis editionibus huius libri, euolui poterit IAC. DOVGLASSII *Bibliographia anatomica* p. 173. quarum ea, quae Moeno-Francofurti anno 1690. 12. prodiit, additamentis quibusdam LVDOV. BONACIOLI, FEL. PLATERI, & MELCH. SEBIZII adaucta comparuit in publico.

q) Vid. eius tomo I. cap. V. §. 15. allegata opera omnia.

r) Patauii 1686. 12. Adnexa eadem quoque fuit BARTHOL. EVSTACHII *Opuſculis anatomicis*, Lugduni Batauorum anno 1707. 8. cum HERMAN. BOERHAAVII praefatione impreſſis.

s) 10.

s) IO. SWAMMERDAMII *Miraculum naturae, siue, uteri muliebris fabrica, notis in D.* IO. VAN HORNE *prodromum illustrata, & tabulis, a clarissimis expertissimisque viris cum ipso archetypo collatis, adumbrata. Adiecta est noua methodus, cauitates corporis ita praeparandi, vt suam semper genuinam faciem seruent.* Lugd. Bat. 1672. 4. 1679. 4. 1729. 4. Habetur autem editio prima reliquis melior.

§. X.

Iam nunc multum negotii mihi foret reliquum, si, eundo per omnes & singulas tam diuersas, quae supersunt adhuc, corporis partes, ex ordine indicare & recensere vellem scriptores particulares, qui de iisdem egerunt. Sic, exempli gratia, de capite, IOSEPHVS t) CHARRIERE; de corde, RICHARD. u) LOWER, & RAYMVNDVS w) VIEVSSENIVS; de pulmone, THOM. BARTHOLINVS x) & MARCELLVS MALPIGHIVS; de stomacho & intestinis, FRANCISCVS y) GLISSONIVS, & CHRISTIANVS BERNHARDVS z) ALBINVS; de peritonaeo, IACOB. a) DOVGLASSIVS; de pancreate, IOANNES CONRADVS b) BRVNNERVS, & IOANNES CONRADVS PEYERVS; de hepate FRANCISCVS c) GLISSONIVS, & IO. BAPT. d) BIANCHI; de splene, MATTH. e) TILINGIVS; de renibus, BARTH. f) EVSTACHIVS, & LAVR. BELLINVS; de vesica, IAC. h) PARSONIVS; de secundina humana, NIC. i) HOBOKENVS; & de aliis partibus alii scripsere peculiares libellos. Verumenimuero quum in tam latum campum hic excurrere mihi non sit licitum; remittendus est lector ad crebro iam allegatam *Bibliothecam anatomicam Clerico - Mangetianam*; quanquam scripta anatomica specialia, quae a collecta illa bibliotheca prodierunt, facile tanta comparebunt copia, vt, etiamsi meliora eorum tantum seligere quis voluerit, numerus eorum suffecturus sit nouae paris molis collectioni conficiendae.

t) *L' anatomie de la tête de l' homme, par Monf.* CHARRIERE. a Paris 1703. 8.

u) RICH.

u) RICH. LOWERI *Tractatus de corde; item de motu & colore sanguinis, & chyli in eundem transitu.* Amstelodami 1669. 8. Lugd. Batav. 1722. 8. In SCHELHAMMERI *Additamentis ad Conring. introduct.* Cap. IV. §. 39. scriptum legimus: Quod RICHARDVS LOWERVS cordis historiam absoluisse videatur.

w) *Traité nouueau de la structure & de la cause du mouuement naturel du coeur, par Monf.* RAYMOND VIEVSSENS. a Toulouse 1715. 4. Recensio huius libri admodum honorifica legi potest in HEISTERI *Orat. de increment. anatom.* p. 138.

x) THOMAE BARTHOLINI *De pulmonum substantia & motu diatribe. Accedunt* MARCELLI MALPIGHII *Obseruationes anatomicae de pulmonibus* Hafniae 1663. 8. Lugd. 1672. 12.

y) FRANC. GLISSONII *Tractatus de ventriculo & intestinis. Cui praemittitur alius de partibus continentibus in genere, & in specie, abdominis.* Amstelodam. 1677. in 12.

z) CHRIST. BERN. ALBINI *Specimen anatomicum, exhibens nouam tenuium hominis intestinorum descriptionem.* Lugd. Batav. 1724. 8. Laudatus fuit iste libellus in actis eruditorum anni 1725. Mens. Septemb.

a) IAC. DOVGLASSII *Descriptio peritonaei & membranae cellularis, vna cum recensione veri situs omnium viscerum abdominis, quantum ad has membranas attinet. Ex anglico latine versa & annotationibus aucta ab* ELIA FRIDERICO HEISTERO. Helmstad. 1733 8.

b) IO. CONR. BRVNNERI *Experimenta noua circa pancreas. Acc.* I. *Eiusd. Diatribe de lympha & genuino pancreatis vsu.* II. IO. CONR. PEYERI *Schediasma de pancreate & eius vsu.* III. IO. CONR. BRVNNERI *Responsum ad schediasma de pancreate.* Amstelodam. 1683. 8.

c) FRANC. GLISSONII *Anatomia hepatis, cui praemittuntur quaedam ad rem anatomicam vniuerse spectantia.* Londini 1654. in 8. Amstelod. 1659. 1665. 12. Hag. Com. 1681. in 12.

d) IO. BAPT. BIANCHI *Historia hepatis, siue, tractatus de hepatis structura, vsibus & morbis.* August. Taurinor. 1710. 4 1715. 4. longeque auctior Geneuae 1724. 4. Recensio huius libri habetur in *Giornale de' letterati d' Italia* tom. XX. p. 230-271. Ceterum, a IO. BAPT. MORGAGNO, LAVRENT. HEISTERO aliisque illi saepe contradictum, autorem quoque variorum errorum postulatum esse, notum.

e) MATTH. TILINGII *Anatomia lienis, ad circulationem sanguinis, aliaque recentiorum inuenta, accommodata.* Rintelii 1673. 12.

f) BARTH. EVSTACHII *Libellus de renum structura, officio & administratione, opusculis eius anatomicis,* in praecedente iam sectione allegatis, est adnexus.

g) LAV-

g) LAVRENT. BELLINI *Exercitatio anatomica de structura & vsu renum*, Florentiae anno 1662. 4. lucem salutauit publicam, Argentorati, Amstelodami & Pataui recusa, nec non Lugduni Batauorum anno 1711. & 1726. 4. vna cum eiusdem *Exercitatione de gustus organo nouissime deprehenso*, impressa. Tanta cum approbatione illa excepta fuit, vt NICERONIVS in *Memoires des hommes illustres* tom. V. p. 348. omni cum iure scribere potuerit: Cet ouurage, que BELLINI publia a l' âge de 19. ans, lui fit beaucoup d' honneur, taut par rapport à la beautè de ses decouuertes, que par rapport à l' elegance de son stile.

h) *A description of the human vrinary Bladder. By* IAMES PARSONS. London 1742. 8.

i) NIC. HOBOKENI *Anatomia secundinae humanae repetita, aucta, & 44. figuris, propria autoris manu delineatis, illustrata. Eiusdem anatomia secundinae vitulinae, 38. figuris, propria autoris manu delineatis, illustrata. Accedunt* THOMAE BARTHOLINI, & HENR. EYSSONII *Litterae, cum autoris ad easdem responsione.* Vltraiect. 1676. 8.

k) Vid. Tom. I. cap. VII. sect. II. §. 2.

CAP. II.

DE SCRIPTORIBVS PHYSIOLOGICIS.

§. I.

Scriptorum physiologicorum numerus etsi nequaquam est exiguus; de perpaucis tamen ego hic loci, scopi mei tenax, & intra circumscriptos mihi me continens cancellos, dicendi occasionem inuenturus sum: quum horum plerique ad philosophicam potius, quam ad medicam, spectent & pertineant bibliothecam; multi vero, qui anatomiam cum physiologia coniunxerunt, quique historiam & structuram partium cum doctrina de vsu partium iunctim tractauerunt, in capite superiori, seu huius tomi primo, iam sint recensiti; alii denique, quos sola quidem physiologia tenuit occupatos, quorum tamen scripta ante GVI-

LIEL-

LIELMI HARVEI aetatem prodierunt, nostris temporibus parum quaerantur, paruique aestimentur momenti.

§. II.

Vt ergo vltimo loco nominatos breuiter & iusto recenseam ordine; in duas praesens caput dispescam sectiones. In harum priore illorum facturus sum mentionem, qui de physiologia in genere egerunt; in posteriore autem eos saltem attingam, qui de hac illaue physiologiae parte speciatim scripserunt. Idque ea a me fiet ratione, vt, quantum fieri poterit, seriem chronologicam presso pede sequar.

CAP. II. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS PHYSIOLOGICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores physiologici graeci §. *1.* *Latino-barbari* §. *2.* *Scriptores physiologici saeculi XVI.* §. *3.* *Saeculi XVII.* §. *4. 5.* *Scriptores physiologici recentissimi.* §. *6. 7.*

§. I.

Quandoquidem mihi constitutum est, scriptis veterum graecorum dudum deperditis a), quae ceteroquin ad rem physiologicam pertinuere, non immorari, de quorum partim male, partim bene ac solide fundatis obseruationibus, PLVTARCHVS, & *In sympofiacis*, & *in placitis philosophorum*, multa memoratu digna consignauit: HIPPOCRATIS adeo saltem atque GALENI, ceu principum inter superstites medicos graecanicos, mentio mihi praesenti loco

loco erit iniicienda; quibus denique celebrem illum phoeniciae quondam episcopum, NEMESIVM, sum adiecturus b). De primi horum *Opusculis physiologicis*, quae ANVTIVS FOESIVS in tertia operum HIPPOCRATIS sectione in vnum collecta fasciculum c) collocauit, iam alibi d) obseruaui, exigui eadem esse momenti e); etiamsi non diffitendum sit, non nulla interdum probe obseruata f) iis esse interspersa; quemadmodum & diuersi tractatuum *Hippocraticorum* istorum, & inter hos praecipue *Libellus de aere, aquis & locis*, variis g) commentariis fuerunt illustrati. Ex CLAVDII GALENI *Operibus* h) *physiologicis*, *libri XVII. de vsu partium*, per multorum saeculorum decursum, ceu princeps i) quoddam & primarium opus, maximi fuerunt aestimati, etsi a variis naeuis atque erroribus non omnino sint immunes, nec adhibitae in iisdem hypotheses, iudice G. C. SCHELHAMMERO k), fuerint sufficientes. NEMESII contra *De natura hominis liber vnus*, qui graece ac latine, optima & plenissima forma, Oxonii 1671. 8. diuulgatus l) fuit, vel eo nomine memoria dignus habetur, quod, ex mente editoris anonymi Oxoniensis, cui & THEODORVS IANSSONIVS AB ALMELOVEEN m) & IACOBVS DOVGLASSIVS n) adsentiuntur, de circuitu sanguinis, deque vero bilis vsu, talia placita in eodem proferuntur in medium, qualia superiori saeculo pro plane nouis & antea inauditis omnino inuentis fuerunt venditata.

a) Pertinent ad hancce classem varii tractatus ALCMAEONIS, DEMOCRITI, ARATI, DIOCLIS, PRAXAGORAE, HEROPHILI, ERASISTRATI, THEOPHRASTI ERESII &c.

b) GREGORII enim NYSSENI *Libellum de opificio hominis*, & MELETII *Libellum de natura hominis*, studio & data opera hic praeterire volui; videri tamen de vtroque poterit FABRICIVS in *Bibliotheca graeca* volum. VIII. p. 145. sequ. & p. 405. sequ.

c) Inueniuntur ibi sequentia: *De natura hominis; de genitura; de natura pueri; de carnibus; de septimestri partu; de octimestri partu; de superfoetatione; de dentitione; de corde; de glandulis; de ossium natura; de aere, locis, & aquis; de flatibus; de morbo sacro.*

d) Vid.

d) Vid. STOLLII *Historia medicinae litterar.* p. 500. seqq.

e) Scripsit equidem CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 8. p. 87. Physiologica scripta HIPPOCRATIS digna lectu sunt; adiecit autem perquam circumspecte mox sequentia: non tamen sine ratione admittenda.

f) Quando v. c. substantiam cerebri glandulosam, substantiam cordis musculosam, generationem hominis ex ouo, aliaque similia iam indagauit.

g) Horum indicem GOELICKIVS in *Historia medicinae vniuersalis* p. 729. sequ. exhibuit, ex quibus LVDOV. SEPTALII *Commentarii quinque in librum Hippocratis de aeribus, aquis & locis*, Francofurti 1645. fol. editi, a CONRINGIO in *Introduct. in art. medicam* cap. XIII. §. 5. reliquis cunctis fuerunt praelati.

h) Inueniri haec, iuxta IANI CORNARII distributionem, poterunt, in tomo operum GALENI primo; quibus tamen anatomica etiam illius scripta sunt sociata. Tractatuum istorum physiologicorum non nullos a IOAN. BAPT. MONTANO, PETRO DE PERAMATO, IAC. SEGARRA, LVDOV. LEMOSIO, MELCH. SEBIZIO, & in primis a CASP. HOFMANNO, commentariis vtilibus fuisse illustratos, id vero iam in generaliore bibliothecae huius parte a me fuit adnotatum.

i) Vid. CLERC *Histoire de la medecine*, pag. 715. Ces mêmes liures de l' vsage des parties sont vn chef-d'oeuure, qui a été admiré de tout temps, & qui fait le mieux voir l'etendue du genie de son auteur. Probe autem idem eadem pagina in adnotatione sequentia moniti loco adiecit: on ne veut pas dire par là, qu'il n'y a point de défaut dans cet ouurage; il y en a plusieurs; mais cela n' empeche pas, que l' ouurage ne soit d'ailleurs excellent, sur tout pour le temps, auquel il a été composé. Consonat huic iudicium quod de eodem opere tulit CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 17. sequentibus verbis: Verum maxime inter omnia excellunt de vsu partium libri: quod sane opus incredibili ἀκριβείᾳ & singulari plane ingenio conscriptum est, vt in quo autor vim sui iudicii potissimum declarauit; fatendum tamen, multa passim apud GALENVM, etiam in ipso hoc de vsu partium opere, occurrere, quae cum veritate non vsquequaque, immo non raro neutiquam conueniunt, vtut identidem corporum humanorum sectione glorietur.

k) Vid. Eius *Additament. ad Conring. introduct.* pag. 64. Quorum GALENI errorum meo iudicio est praecipuus, quod quatuor primis sic dictis qualitatibus plerasque omnes tum morborum, tum simplicium virtutum caussas tulit acceptas: Alter, quod facultatum inane nomen in scholas attulit, iisque functiones partium adscripsit.

Et pag. 125. iterum haec habentur: GALENVS plurimos fouit errores, propter quos in anatomicis VESALIO, in physiologicis vero CASP. HOFMANNO, plurimis in locis vapulat, praesertim, vbi ARISTOTELI iniquior est, & de principatu partium earumque ortu cum ipso contendit. Quibus postquam accessere HARVEI aliorumque obseruationes, hac in parte prorsus GALENVS succubuit. Haec quum ita se habeant, non citra rationem sufficientem IOAN. MELCH. VERDRIESIVS, *in vera ad veram medicinam via* pag. 9. videtur scripsisse: Quod GALENVS ineptis de structura & vsu partium sententiis, & precariis quatuor humorum, elementorum & qualitatum primarum, quibus Aristoteles naturae inquisitoribus iam fucum fecerat, opinionibus, multisque alienis, vsu cassis, nec quicquam sensus ac rationis habentibus philosophicis neniis, egregium ab HIPPOCRATE acceptum nucleum magno putamine inuoluerit.

l) De reliquis & editionibus & versionibus consuli poterit I. A. FABRICIVS in *Bibliothec. graec.* volum. VII. pag. 549. seqq.

m) *Inuent. nou - antiqu.* p. 166. seq. & 233. seqq.

n) *Bibliograph. anatomic.* p. 35. seq. Notatu dignissima NEMESIVS cap. XXVIII. de bile profert, vnde doctissimum SYLVIVM sua de bile post mille & ter centum fere annos desumsisse probabile est, licet, se orbem terrarum hoc inuento beasse, glorietur. IOANNEM pariter FREINDIVM id honoris NEMESIO tribuisse; sanguinis contra circumeuntis notitiam eidem plane denegasse, ex *Historiae* eius *medicinae* parte I. p. 364. apparet, vberiusque ibidem didicium legi potest.

§. II.

Magna illa, qua GALENVS floruit, auctoritas, & radicata nimium, falsa licet, opinio, ac si ab eodem in scientia anatomica aeque ac physiologica omnia iam tum exhausta quasi fuissent, caussa procul dubio fuit, cur sequentes medici, graeci pariter atque latini immo & arabes, incrementa & augmenta studii physiologici, peculiaribus scriptis vlterius prouehendi, nullam omnino in se susceperint curam operamue. Similis incuriae atque negligentiae notam attraxerunt sibi etiam ita dicti latino - barbari hac in re; minime tamen, quoad hanc periodum, mihi praetereundus videtur physiologicus o) ille, nullius quidem pretii, oppido tamen rarus liber, qui, in-

inscriptus: MAGNI HVNDT *Anthropologium de hominis dignitate, natura & proprietatibus, de elementis, partibus & membris humani corporis, de iuuamentis, nocumentis, accidentibus, vitiis, remediis & physionomia ipsorum, de excrementis & exeuntibus, de spiritu humano eiusque natura, partibus & operibus, de anima humana & ipsius appendiciis;* Lipsiae anno 1501. 4. luci fuit expositus; quique ea saltim de caussa locum hic aliquem meretur, quoniam in illo variae figurae anatomicae, ligno incisae, reperiuntur, quae pro antiquissimis p) huius generis, quae adhuc innotuerunt, merito haberi debent.

o) In CONRADI enim GESNERI, IO. IAC. FRISII & PASCHALIS GALLI *Bibliothecis* ne verbulum quidem de hoc ipso autore legitur. Ea contra, SCHENCKIVS, LINDENIVS atque IAC. DOVGLASSIVS *Anthropologium* hocce allegarunt quidem; sed non indicauerunt simul, anatomicas in eodem inueniri figuras.

p) Vid. IO. ZACHAR. PLATNERI *Programma de* MAGNO HVNDT, *tabularum, vt videtur, anatomicarum autore.* Lipsiae 1734. 4.

§. III.

Saeculo decimo sexto admodum pauci medici de physiologia peculiariter q) scripserunt; & a quibus hoc factum, ii maximam partem r) *Galenicis* inhaeserunt principiis. Hos inter, NICOL. BIESIO, REMBERTO DODONAEO, BLASIO HOLLERIO & IO. COSTAEO locum hic aliquem adsignabo. NIC. BIESIVS *Libros* suos *sex theoreticae medicinae* Antwerpiae 1558. 4. euulgauit. REMBERTVS DODONAEVS *Tabulas* suas *physiologiae medicae* Coloniae Agrippinae anno 1581. 8. in lucem emittebat. BLAS. HOLLERII *Medicae artis theorica, libris duobus succincte comprehensa*, Argentorati 1565. 8. excudebatur, & Coloniae 1572. pari forma recudebatur. De IOANNIS COSTAEI *Disquisitionibus physiologicis*, Bononiae anno 1589. 4. impressis, GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS s) bene iudicauit, nec minus

IOANNES RHODIVS t) omnia medici huius scripta lectu digna aestimauit.

q) De medica saltem physiologia hic ego loquor; quippe quae mox anatomicis operibus, mox institutionibus medicis, mox systematibus medicis vna fuit annexa.

r) IOANNEM autem FERNELIVM, & IOANNEM ARGENTERIVM, in quibusdam; PARACELSVM contra in plerisque partibus, *Galenicas* hypotheses deseruisse, id priori iam tomo est adnotatum: quapropter hoc loco istud tantum obseruatum volo, IACOBVM ZWINGERVM *Physiologiam medicam, Paracelsi dogmatibus illustratam*, Basileae anno 1610. 8. diuulgasse.

s) In *Additam. ad Conring. introduct.* cap. IV. §. 39. p. 181. vbi tamen pro, COSTAEVS, erronee ponitur, COSTERVS.

t) In *Bibliothec. medic.* pag. 145.

§. IV.

Cum saeculo septimo decimo numerus quidem physiologicorum scriptorum haud mediocriter auctus est, singularem quoque ista medicae artis pars, ob coeptam a GVIL. HARVEO & HENRICO REGIO reformationem eius, subiit mutationem; nihilo tamen minus plerique, vsque ad extremam ferme saeculi istius partem, *Galenica* dogmata hactenus retinuerunt. Ea propter paucos tantum huius generis autores recensebo. ANT. SANTORELLI u) *De sanitatis natura libri XXIV. in quibus explicantur, quaecunque ad partem physiologicam a medicis vocatam pertinent;* IOANNIS ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Medicina* w) *physiologica, noua curataque methodo, ex optimis quibusque auctoribus contracta, & propriis obseruationibus locupletata;* ANT. DEVSINGII *Oeconomia corporis animalis in quinque* x) *partes distributa,* & GVALTHERI CHARLETONI *Exercitationes physico-anatomicae,* siue, *oeconomia* z) *animalis, nouis in medicina hypothesibus superstructa & mechanice explicata*, citra dubium ad hancce pertinent classem, non obstante, quod posterior horum in rubro libri sui meras nouitates a) venditauerit. Similiter & GVERNERI ROLFINCII b), GOTHOFREDI c) MOEBII, nec non IOAN-

IOANNIS THEODORI d) SCHENCKII *Scripta physiologica* ea sunt ratione adornata, vt horum autores GALENI principia vbique fere secuti deprehendantur; quamuis detectam a GVILIELMO HARVEO circulationem, quae dicitur, sanguinis nequaquam negauerint.

u) Neapoli 1643. fol.

w) Amstelodami 1653. 4.

x) Singulae Groeningae, annis 1660. & 1661. in 12. in conspectum orbis litterati prodiere.

z) Londini 1659. 12. Lugdun. batauor. 1678. 12. & Hagae Comitum 1681. 12. Harum editionum vltimae GVIL. COLE *Cogitata de secretione animali* sunt adiecta.

a) Hoc non obstante, SCHELHAMMERVS *In additament. ad Conringii introduct. in art. medic.* cap. IV, §. 39. p. 182. scribit: Anglorum plurimi, HARVEI exemplo inducti, in eo suam operam collocarunt. Numerantur in his NATHANAEL HIGHMORVS, FRANC. GLISSONIVS, GVALTHERVS CHARLETON; qui tamen de pluribus, veterum potius more, egerunt.

b) GVERNERI ROLFINCII *Dissertationes anatomicae, veterum & recentiorum obseruationibus illustratae, ad circulationem accommodatae, & sex libris methodo synthetica exaratae.* Norimberg. 1656. 4.

c) GOTHOF. MOEBII *Fundamenta medicinae physiologica, in quibus origo & natura medicinae, doctrina de animae facultatibus, spiritibus ac temperamento, nec non constitutio partium principalium naturalis & praeternaturalis, vna cum earum vsu, ex veterum & recentiorum sententiis ventilantur, variisque obseruationibus illustrantur.* Ienae 1657. 4. Idem opus postea eodem loco eademque forma 1661. 4. (non autem 1662. vt in LINDENIO *renouato* pag. 356. erronee scribitur) est recusum; nec non, teste *Bibliotheca Meibomiana*, part. III. pag. 104. cum praefatione G. W. WEDELII, Francofurti ad Moenum anno 1678. 4. denuo impressum, & a SCHELHAMMERO in *Additament. ad Conringii introduct. in art. medic.* cap. IV. §. 39. pag. 182. sequentem in modum laudatum: quod omnium fere sententias doctissimo suo opere complexus sit MOEBIVS. IACOBVS tamen FRIDER. REIMMANNVS in *Histor. litterar. germanorum* tom. vlt. pag. 704. sequ. ratione methodi, quae scholastica nimis illi est visa, diuersa, quae hic carperet, inuenit.

d) IO. THEOD. SCHENCKII *Schola partium humani corporis, vsum earundem & actionem, secundum situm, connexionem, quantitatem, qualitatem, figuram atque substantiam, continens.* Ienae 1664. 4.

§. V.

Vergente ad exitum decimo septimo saeculo, maiore libertate vti coeperunt medici: dum non nulli veluti eclecticos se gessere; alii vero philosophiam, quam dicunt, corpuscularem, ab HENRICO REGIO medicinae coniunctam, in tractanda speciatim physiologia, in subsidium vocare conati sunt. Ad priorem classem referri possunt GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS, IVSTVS VESTI, & IOAN. PHIL. EYSELIVS; ad posteriorem autem THEOD. CRAANEN, HEYDENREICH OVERCAMPIVS, & BENIAMIN A BROECKHVYSEN. De GEORG. WOLFFG. WEDELII *Physiologia* e) *medica* & *Physiologia* f) *reformata*, multa cum laude iudicium suum GVNTH. CHRISTOPH. g) SCHELHAMMERVS, & IAC. FRIDER. h) REIMMANNVS tulerunt. IVSTI VESTI *Oeconomia corporis humani, in qua, octo dissertationibus, functiones pleraeque & potiores, facili & concinna methodo, in vsum studiosae iuuentutis, proponuntur, & ex suis causis deducuntur;* Ienae 1698. 8. in lucem emissa admodum breuis exiit, &, aeque ac IO. PHIL. i) EYSELII *Compendium* k) *physiologicum*, *modernorum dogmatibus accommodatum*, *per quaestiones & responsiones distinctum*, *corporis humani fabricam*, *quoad omnes partes*, *concinne describens*, Francof. 1698. 8. euulgatum pro tironibus saltem est composita. THEODORI l) CRAANEN *Tractatus physico-medicus de homine*, Lugduni batau. 1689. 4. impressus, ab DAVIDE GRAEBNERO, *In medicina veteri restituta*, Lipsiae 1695. 4. luci exposita, passim sub acrem vocatus est censuram. Ea contra HEYDENREICHII OVERCAMPII *Oeconomia animalis*, in germanicum transfusa idioma, Lipsiae 1690. 8. fuit diuulgata. De BENIAMINI A BROECKHVYSEN *Oeconomia corporis animalis*, primum Nouomagi 1672. 8. excusa, & deinceps Amstelodami 1683. 4. recusa, vnum tantum est, quod moneam, autorem nempe in posteriore

edi-

editione, *Cartesiana* sua cogitata, quibus antea adhaeserat, in quamplurimis immutauisse ac eadem dimisisse.

e) Ienae 1679. & 1704. 4.

f) Ienae 1688. 4.

g) In *Additament. ad Couring. introduct.* cap. IV. §. 39. pag. 182.

h) In *Histor. litterar. germanor.* tom. vlt. p. 706. sequ. quo vero loco REIMMANNVS physiologiam medicam cum reformata permutauit, putans, SCHELHAMMERVM l. c. de posteriore loquutum esse, qui tamen priorem habuit in mente.

i) Vid. Tom. I. cap. V. §. 34.

k) Reliquit istud altera vice prelum Erfurti 1710. 8. insequuto autem tempore operibus eius medicis atque chirurgicis, supra iam recensitis, fuit insertum.

l) Dictum de eo iam tom. I. cap. V. §. 27.

§. VI.

Recentissimis temporibus, inter illos medicos, qui peculiaribus physiologiam scriptis illustrare sunt conati, duae factiones exstiterunt; aliis, iisque numero plurimis, *mechanica*; aliis contra, hisque paucioribus, *Stahliana*, principia fundamenti loco, hic substernentibus. Ex ordine priorum, qui multitudine vincunt, haud praetereundi mihi videntur sequentes. IOANNIS FRIDERICI ORTLOBII *Historia partium & oeconomiae hominis secundum naturam, seu, dissertationes anatomico-physiologicae*, Lipsiae 1696. 4. impressae; CHRISTIANI VATERI *Physiologia* m) *experimentis & demonstrationibus mechanicis, chimicis & anatomicis illustrata & confirmata*; & IOANNIS BOHNII *Circulus* n) *anatomico-physiologicus, seu, oeconomia corporis animalis, hoc est, cogitata* o), *functionum animalium potissimarum formalitatem & caussas concernentia*, a LAVRENTIO p) HEISTERO, optimae notae scriptoribus physiologicis accensentur. Parem, si non maiorem, laudem consequuta est *Physiologia* illa *medica* IOANNIS GOTHOFREDI q) BERGERI, adeo solide adeoque nitide elucubrata, cuius autor a CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIO r), IO. FRANC. s) BVDDEO,

IO. MELCH. t) VERDRIESIO & a multis aliis pro dignitate magnorum ipsius in rem publicam litterariam meritorum, optimo iure concelebratus fuit. De HERMANNI BOERHAAVII *Physiologia, praelectionibusque ab ipso in eandem habitis academicis*, iam superius u) referre me, memini, eas nouum veluti splendorem esse sortitas praestantissimis illis additamentis, quibus easdem ALBERTVS HALLERVS locupletare studuit. Nec minus & HERM. FRIDER. TEICHMEYERI *Elementa anthropologiae* Ienae 1719. 4. characteribus exscripta, beneuole fuerunt excepta. Nec gallicus liber, inscriptus: *Idée generale de l' oeconomie animale par Monf.* HELVETIVS, à Paris 1722. 8. famam autoris sui vllatenus obscurauit. Nec denique germanica conscriptae lingua *Physiologiae medicae* GEORGII HENRICI w) BEHRII, & IO. GOTTLOB KRÜGERI x) fautoribus suis caruerunt.*)

m) Exposita haecce luci fuit Wittebergae 1701. 4. deinde vero eodem loco, eademque forma 1712. 4. auctior tamen simul atque emendatior, curante ABRAHAMO VATERO, prelum repetiit.

n) Aliquoties impressus fuit iste liber; plenissime vero optimeque curatus prodiit Lipsiae anno 1710. 4.

o) Quam modeste vir iste perquam doctus de conatu suo iudicauerit, sequentia eius, quae in praefatione libro praemissa leguntur, verba testabuntur. Hinc tandem, inquit, functionum animalium potissimas contemplatus, meas circa has coniecturas in chartam conieci, non quod indolem harum maioris aestimem, sed vt ex his etiam dignoscant alii, quantum in rebus naturalibus me nescire lubens profitear, ac praesenti scripto tester.

p) In *Compendio institutionum, siue, fundamentorum medicinae*, pag. 37.

q) Prod. Vitembergae 1702. 4. & Francofurti ad Moen. 1737. 4. In BVRCH. ADAM. SELLII *Schediasmate, de anatomicae historiae scriptoribus atque commentariis*, pag. 12. editio quaedam Lipsiensis anni 1708. 4. citatur, quam vero oculis vsurpare mihi nunquam contigit. In *Bibliotheca* tamen *philosophica*, B. G. STRVVII & LVD. MART. KAHLII tomo I. pag. 386. sequentem lego commemorationem: IO. GODOFRED. BRENDELIVS, artis salutaris apud Goettingenses professor experientissimus & celeberrimus, nouam eius parat editionem, luculentis atque egregiis plane accessioni-

sionibus adornandam, quarum non nullas beatus BERGERVS litteris consignatas nepoti dignissimo reliquit, plures autem proprio marte hic ipse concinnabit,

r) In *Epistolar. arcanar.* tom. I. p. 346. Hic aliquandiu in consultissimi ZIEGLERI conuictu fuit IO. GODOFR. BERGERVS, artis salutaris doctor, in quo & elegantia moris, & ingenii nitor, & artis medicae decus atque ornamenta emicant, & doctrinam pariter vsumque commendant.

s) In *Elementis philosophiae theoreticae*, vbi circiter finem praefationis scribit In prima parte, quae de homine agit, id quod dissimulare nefas duco, maximo mihi vsui fuit physiologia medica celeberrimi viri, IOH. GOTHOFR. BERGERI, medicinae in academia Wittenbergensi professoris clarissimi, qui tanta iudicii ἀκριβείᾳ, tanta methodi facilitate, tanta stili elegantia hoc argumentum tractauit, vt reliquis in hoc genere dubiam fecisse palmam videatur.

t) In *Vera ad veram medicinam via* p. 12. Medicinae mechanicae vere ita dictae illustria specimina nobis exhibuit summi ingenii politissimaeque eruditionis vir I. G. BERGER, archiater regius & professor medicinae Wittenbergensis primarius, de natura humana, de natura, morborum medico, de secretione animali, aliaque similia doctissima pariter atque elegantissima,

u) Vid. tom. I. cap. IV. §. 15.

w) GEORG. HENR. BEHRII *Physiologia medica, das ist, richtige vnd vmständliche Beschreibung des menschlichen Leibes, darinnen alle desselben Theile, nebst dessen natürlichen vnd ordentlichen Verrichtungen, Nutzen vnd Würckungen, den Studiosis medicinae vnd chirurgiae insonderheit zu Liebe, in teutscher Sprache, aus den besten physiologischen, anatomischen vnd andern Autoribus, zugleich auch eigener Vntersuchung vnd Nachforschung, abgehandelt worden,* Strasburg 1736. 4.

x) IOH. GOTTL. KRÜGERI *Natur - Lehre erster Theil.* Halle 1740. 8. *Zweyter Theil, welcher die Physiologie, oder Lehre von dem Leben vnd der Gesundheit der Menschen in sich fasset.* Halle 1743. 8. Videantur Noua litteraria anni 1744. pag. 91. seqq.

*) Non sine plausu quoque exceptum EMAN. SWEDENBORGII *Regnum animale, anatomice, physice & philosophice perlustratum,* cuius pars I. & II. Hagae comitum 1744. 4. Pars III. vero Londini 1745. 4. lucem adspexit publicam.

§. VII.

Ex illorum partibus, qui, ad *Stahlianorum* principiorum ductum, physiologiam speciatim tractare aggressi fuere, locum hic occupent CHRISTIAN. FRI-

DER. RICHTERVS, GEORG. PHIL. NENTERVS, GEORG. DAN. COSCHWITZIVS, & in primis IO. IVNCKERVS. CHRIST. FRID. RICHTERI liber hac de re germanice scriptus, cui titulus: *Höchst nöthige Erkäntniss* y) *des Menschen, sonderlich nach dem Leibe und natürlichem Leben; oder, Deutlicher Vnterricht von der Gesundheit vnd deren Erhaltung;* vel ideo memoratu dignus est, quod IO. CHRISTOPH. GOETZIVS in *Recensione scriptorum Stablianorum aliorumque ad eius mentem differentium*, p. 173. de autore eiusdem refert, primum hunc fuisse, qui principia *Stabliana* medicinae theoreticae lingua germanica docere & publico scripto proponere tentauerit. In GEOR. PHIL. NENTERI *Theoria hominis sani, seu, Physiologia medica*; Argentorati 1714. in 12. z) excusa, Ephemeridum Triuoltiensium [*Memoires des Treuoux*] autores ann. 1720. varia a) quae monerent, quaeue carperent, inuenere. GEORG. DAN. COSCHWITZII *Organismus & mechanismus in homine viuo obuius & stabilitus, seu, hominis viui consideratio physiologica, ex veris naturae principiis eruta, ad mechanismi & organismi leges ordine concinno deducta, & methodo plana ac demonstratiua exposita*, Lipsiae 1725. 4. diuulgata, cuius iam supra b) mentio a me facta fuit, in actis eruditorum germanicis, part. CVIII. censuram c) experta est admodum acrem. IO. IVNCKERI *Conspectus physiologiae medicae & hygieines, in forma tabularum repraesentatus, & ad dogmata Stabliana potissimum adornatus*, Halae 1735. in 4. luci expositus publicae, ob seruatum ordinem, perspicuumque dicendi genus, vtiliter legi potest.

y) Crebro prela hic liber fatigauit, Lipsiae quoque anno 1727. 8. impressus, quae editio octaua vel nona omnino, ni fallor, fuit.

z) In BVRCHARD. ADAM. SELLII *Schediasmate de anatomicae historiae scriptoribus* p. 12. Argentoratensis editio anni 1714. 4. allegatur, quam nunquam vidi.

a) Vid. Noua litteraria anni 1720. p. 804.

b) Vid. tom. I. cap. III. sect. II. §. 6. & cap. IV. §. 17.

c) Compendium huius recensionis legere, cui lubet, licet in Nouis litterariis anni 1725. pag. 899. sequ.

CAP.

CAP. II. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS PHYSIOLOGICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores de partibus solidis, §. *1.* *de partibus spirituosis*, §. *2.* *de partibus fluidis*, §. *3 - 5.* *Scriptores de temperamentis*, §. *6.* *de actionibus oeconomiae animalis scriptores*, §. 7 - *10.*

§. I.

Initium faciam ab illis, qui de solidis ac fluidis humani corporis partibus, harumque vsu peculiaribus egerunt tractatibus. Postquam igitur in capite antecedente potissimi scriptores, qui de osteologia, neurologia, adenologia &c. libros ediderunt, sunt recensiti; possunt adeo ex reliquis, qui circa partes solidas enarrandas fuerunt occupati, CASP. HOFMANNI *De partibus similaribus liber singularis*, Francofurti anno 1667. in 4. impressus, porro FRANCISCI GLISSONII *Tractatus* a) *de partibus continentibus*; praecipue autem, tantiuis pretii aestimatum illud *Specimen* b) *quatuor librorum de fibra motrice & morbosa* GEORG. BAGLIVI c); IO. DOMIN. SANTORINI *Opusculum* d) *de structura ac motu fibrae*, & ANTON. PACCHIONI e) *Tr. de durae meningis eiusque glandularum structura & vsu*, huc referri.

a) Schediasma isthoc *libro* autoris *de ventriculo & intestinis*, Amstelodami 1677. in 12. impresso fuit insertum, nec minus deinceps CLERICI atque MANGETI *Bibliothecae anatomicae* inclusum.

b) Inuenitur istud in operibus ipsius medicis iunctim editis, de quibus tomo priori, cap. V. §. 30. dixi. Dolendum vero, quod opus ipsum, praematura morte impeditus, ad colophonem perducere non potuerit.

c) *In quibus de solidorum structura, vi, elatere, aequilibrio, vsu, potestate, & morbis differetur, nec non de durae matris constructione, elatere, aequilibrio, & in singula quaeque solida oscillatione systaltica.*

d) Hoc

d) Hoc quoque opusculum non nullis operum medicorum G. BAGLIVI editionibus adiectum comparet.

e) Romae 1713. 8. Vid. *Giornale de' Letterati d'Italia* tom. XX. p. 352 - 405. Quaenam IO. DAN. GOHLIVS de vsu membranarum meningaearum in medium attulerit, qualemue iisdem praerogatiuam in stabiliendo sensu & motu viuentis animalis adscripserit, contendens, eas ad hunc efficiendum magis necessarias longeque vtiliores esse, quam ipsum cerebrum, cerebellum ac spinalem medullam; id vero in actis medicorum Berolinensium dec. I, volum. VIII. legi potest. Quod ipsum etiam paradoxon in alio scripto, cui titulus; *Insufficientia cerebri ad sensum & motum animalis expensa, meningumque ad illos indispensabilior vsus, assertus aduersus* IO. PHIL. BVRGGRAVIVM, Colbergae 1732. 4. impresso, vlterius defendere fuit conatus.

§. II.

Circa ita dictos spiritus, horumque indolem ac multiplicem vsum, multi fuerunt occupati: quorum quidam eosdem adserendi, alii vero reiiciendi *) illos operam in se suscepere. IO. ACTVARII *Libri II. de actionibus & affectibus spiritus animalis, eiusque victu ac nutritione*, iam superius f) sunt recensiti. IO. ARGENTERII *De somno & vigilia, de spiritibus* g) *& calido innato libri duo, quibus multae veterum & recentiorum sententiae expenduntur*, quam plurimas nouas, a *Galenicis* dogmatibus abhorrentes sententias continent. DOMINICI BERTACHII *Libri quatuor de spiritibus, nec non de facultate vitali libri tres,* Venet. 1584. 4. nunquam in conspectum meum venerunt. CASP. HOFMANNI *Syntagma* h) *de calido innato & spiritibus*, ceu opus posthumum considerari debet. IO. MAYOWII *Tractatus de motu musculari* i) *& spiritibus animalibus*, aeque ac THOM. WILLISII *Exercitatio de anima* k) *brutorum, quae hominis vitalis ac sensitiua est*, propter singulares non nullas, in hoc libro venditatas opiniones, plus contradictionis, quam approbationis inuenit. Similiter & ANDR. OTTOMAR. GOELICKII *Spiritus animalis ex foro medico relegatus* l), vehementem expertus est aduersarium IO. PHILIP. m)

BVRG-

BVRGGRAVIVM, iuniorem. Quid vero praestiterit peculiariter hoc in argumento IO. THEOD. BRINIVS, in *Inquisitione physico - medica de spiritibus animalibus, deque iis praecipue, quae iisdem attributa in animantibus, siue sanis, siue morbosis, contingunt*, Patauii 1729. 4. typis exscripta, id vero ex actis eruditorum anni 1731. mens. April. disci poterit.

*) Recentioribus temporibus varios viros doctos, ARGENTERIVM sequutos, exsistentiam spirituum animalium, si non negare, dubiam certe reddere studuisse; e GODOFRED. BIDLOO, GEOR. ERN. STAHLII, huiusque sectatorum scriptis abunde patet.

f) Vid. tom. I. cap. II. sect. I. §. 18.

g) Florentiae 1566. 4. Paris. 1568. 4. Adiecti sunt etiam iidem insequuto tempore ARGENTERII *Operibus medicis*, quorum tomi prioris capite V. §. 14. mentionem iam feci.

h) Francofurti 1667. 4.

i) Vid. eius *Opera medico - physica*, Oxon. 1674. 8. & Hag. comit. 1681. 8. Insertum quoque schediasma hoc fuit *Bibliothecae anatomicae Clerico - Mangetianae*.

k) Vid. tom. I. cap. III. sect. I. §. 5. & cap. V. §. 20.

l) *Siue, disquisitionum physiologico - pathologicarum trias, qua fabulosae medicorum traditiones de spirituum animalium exiftentia, natura, proprietatibus, effectibus & adfectibus morbosis enarrantur, totum systema vanitatis falsitatisque coarguitur, tandemque in perpetuum exilium illud relegandum esse, concluditur.* Francofurti cis Viadrum 1725. 4.

m) Opposuit enim illi hic duo scripta antagonistica. Prius hac inscriptione gaudet IO. PHIL. BVRGGRAVII *Commentatio medica de existentia spirituum neruosorum eorumque vera origine, indole, motu, effectibus, & affectibus in corpore humano viuo, sano & aegro.* Francof. ad Moen. 1725. 4. Posterius vero hanc in fronte praefert rubricam: *Spiritus neruosus immerens exul, pristinis laribus restitutus, ac ab iniquis imputationibus* A. O. GOELICKII *denuo absolutus per* IO. PHIL. BVRGGRAVIVM. Francof. ad Moen. 1729. 4.

§. III.

Humores in genere diuersorum meditationibus & lucubrationibus praebuerunt occasionem. HIPPOCRATIS *Liber de humoribus*, in quem LVDOV. n) DV-

DVRETI exstat commentarius, semiologice magis, quam physiologice, est concinnatus. CLAVDII GALENI *Liber de humoribus*, quem ARCHANGELVS o) PICCOLHOMINVS peculiari illustrauit commentario, potiori iure locum hic tueri potest. IO. FRID. SCHROETERI *Liber de omnibus in vniversum totius corporis humani humoribus*, Patau. 1582. 4. etiam huc pertinet. CASP. HOFMANNI *De humoribus humani corporis liber tripartitus*, qui circa annum 1630. iam plene p) elaboratus fuit, latitat etiam nunc in manuscriptorum scriniis. Ea contra IO. THEOD. SCHENCKII *Humorum corporis humani historia generalis, cognoscendi & curandi principiis illustrata*, Ienae 1663. in 4. lucem adspexit publicam. MART. LISTERI *Tr. de humoribus, in quo veterum ac recentiorum medicorum ac philosophorum opiniones & sententiae examinantur*, Amstelodami 1711. 8. excusus, auide fuit exceptus, non obstante, quod autor in praefatione de medicis mechanicis non adeo bene senserit. IOSEPHI tamen DEL PAPA *Exercitatio de praecipuis humani corporis humoribus, eorumque historia, qualitatibus & officiis*, Florentiae 1733. 4. excusa, & Lugduni bat. 1736. 8. recusa q), plurimorum r) meruit approbationem atque suffragia.

n) LVD. DVRETI *Commentarii in librum Hippocratis de humoribus, editi a* PETRO GIRARDETO. Lutet. Parisior. 1631. 8.

o) ARCHANG. PICCOLHOMINI *In librum Galeni de humoribus commentarii.* Paris. 1556. 8.

p) Vid. BAIERI *Biographias professorum medicinae Altorfinorum*, pag. 59. seq.

q) Batauae isti editioni HIERONYMI etiam BARBATI *De sanguine & sero exercitatio* est adiecta.

r) Videantur noua litteraria anni 1734. p. 642.

§. IV.

Nec minus tamen fluidae quoque a medicorum non nullis peculiari disquisitioni subiectae sunt partes.

tes. Circuitum sanguinis primus s) GVILIEL. HARVEVS descripsit, in *Exercitat. de motu cordis & sanguinis:* quem deinceps HERM. CONRINGIVS t) *De sanguinis generatione & motu naturali,* PAVLLVS MARQVARTVS SLEGELIVS in *Commentatione de motu* u) *sanguinis*, & IO. WALAEVS *in Epistolis* II. *de motu chyli* w) & *sanguinis*, vna cum aliis x) sunt sequuti; quamuis IO. MERY nouum quoddam systema de motu sanguinis, in libro gallice scripto, cui titulus: *Nouveau systeme de la circulation du sang par le trou ouale dans le foetus humain*, Lutetiae Parisiorum 1700. 8. impressso, diuulgauerit, nemini tamen probatum; ADAMVS vero CHRISTIANVS THEBESIVS, in *Dissertatione* Lugduni bat. 1716. 8. excusa, *De circulo sanguinis in corde*, nouam plane sententiam in scenam produxerit; MAVRIT. denique REVERHORSTIVS in *Dissertatione de motu bilis circulari*, Lugduni bat. 1696. 8. in lucem exposita, circuitum bilis quoque adserere atque defendere voluerit. HIERON. BARBATVS in *Libello* y) *de sanguine & eius sero*, studium scepticismi medici luculenter satis prodidit. IAC. DE SANDRIS *Specimina medica de naturali & praeternaturali sanguinis statu*, Bononiae 1696. 4. in conspectum orbis eruditi prolata, cum praefatione IO. HELFRICI IÜNGKENII Moeno-Francofurti 1712. 8. sunt recusa. IAC. KEILLII *Tentamina medico-physica ad quasdam quaestiones, quae oeconomiam animalem spectant, accommodata; quibus accessit medicina statica Britannica*, Londini 1718. 8. impressa; antea vero anglice primum euulgata, complectuntur lectu dignas tres z), ad hoc argumentum pertinentes, Dissertationes: quibus THO. SCHWENCKII *Haematologia, siue, sanguinis* a) *historia, experimentis passim superstructa*, Hagae comit. 1743. 8. edita, optimo iure iungi potest. Diuersi quoque, peculiaribus commentationibus, de sanguine menstruo egerunt, vbi quidem ex antiquioribus, IAC. SYLVII *Commentarius* b) *de mensibus mulierum;* e recen-

centioribus vero, GVALTERI CHARLETONI *Inquisitio de caussis catameniorum & vteri rheumatismo*, Londini 1688. 8. FRANC. BAYLE *Dissertatio* c) *de caussis fluxus menstrui mulierum*, & 10. d) FREINDII *Emmenologia*, prae reliquis notari merentur; quanquam vltimo loco nominatus autor complures antagonistas e) hac de caussa nactus fuerit.

s) Vid. tom. I. cap. III. sect. I. §. 9. vbi pluribus hac de re verbis loquutus sum.

t) Helmstadii anno 1643. 4.

u) Hamburgi 1650. 4. Oppositum est isthoc schediasma IOAN. RIOLANO iuniori.

w) Adnexae sunt hae anatomiae *Bartholinianae* & operibus medicis ADRIANI SPIGELII.

x) Exstat peculiaris collectio scriptorum huius argumenti, cuius me iam mentionem fecisse tom. I. cap. VII. sect. II. §. 1. memini.

y) Francof. ad Moen. 1667. 12. & Lugd. bat. 1736. 8.

z) Vid. Noua litterar. Lipsf. lat. an. 1718. p. 24.

a) Vid. Noua litterar. a. 1744. p. 66. seq.

b) Impressus hic fuit separatim Venetiis & Basileae 1556. 8. deinde & operibus eius medicis, quorum tom. I. cap. V. §. 10. mentionem feci, insertus.

c) Vid. Tom. I. cap. V. § 22. Prodiit haec ipsa dissertatio, sociata duabus aliis, etiam Tolosae 1674. 4.

d) IOANNIS FREINDII *Emmenologia*, *in qua fluxus muliebris menstrui phaenomena, periodi, vitia, cum medendi methodo ad rationes mechanicas exiguntur*, Oxoniae 1703. 8. & vltima vice Amstelodami 1726. 8. Versionem quoque libri huius gallicanam edidit IOHANNES DE VAUX, cui titulus: *Traité de l'euacuation ordinaire aux femmes*, Lutetiae Paris. 1730. 12. impressam.

e) Vid. Tom. I. cap. V. §. 29.

§. V.

Reliquas partes fluidas quantum attinet, has quoque qui peculiaribus commentationibus illustrare studerent, non defuere. De sero in genere IOAN. THEOD. SCHENCKII *Historia de sero sanguinis, ex veterum & recentiorum scriptis, certis capitibus comprehensa*, Ienae 1655. 4. luci exposita, consuli potest. WARNERI CHROVETI *Tr. de trium oculi humorum origine, natura & formatione*, Leodii 1691. 8. diuulgatus, tantun-

tundem attentionis meretur, quantum IAC. HOVII *Tractatus de circulari humorum motu in oculis*, Lugdun. bat. 1716. 8. prelo protrusus. PETRI PETITI *Libri tres de lachrymis*, Paris. 1660. 4. typis exscripti, & MARTIN. SCHVRIGII *Sialologia* f) *historico - medica*, *seu*, *saliuae humanae consideratio physico - medico - forensis*, locum hic suum etiam tuebuntur: quibus IOSEPH. LANZONI *Exercitatio de saliua humana*, *eiusque natura*, *vsu & proprietatibus*, quae operibus ipsius inserta habetur, sociari potest merito. De lacte HIERON. ACCOROMBONVS in *Tractatu* g) *de lacte*, & IO. NARDIVS in *Lactis* h) *physica analysi* peculiariter egerunt; quanquam posterioris liber a DAN. GEORG. MORHOFIO i) non melioris notae esse iudicatus sit. Circa qualitatem & vsum succi pancreatici considerandum occupati fuerunt REGNERVS k) DE GRAAF & BERNH. l) SWALVE: vtrique tamen a variis contradictum fuit. Seminis, tum virilis tum feminei, consideratio, praeter HIPPOCRATEM atque GALENVM, horumque interpretes m), multos & veteres & nouos medicos exercuit; ego tamen impraesentiarum ex illis quidem, MVNDINI MVNDINII *Dissertationibus de semine* n) *& genitura*, ob quas AEMIL. o) PARISANVM & CASP. p) HOFMANNVM aduersarios expertus est; ex his vero, ANT. A LEEVWENHOECK q) *Experimentis de semine*, & MART. SCHVRIGII *Spermatologiae historico - medicae*, Moeno - Francofurti 1720. 4. in lucem emissae litterariam, locum tantum hic aliquem adsignabo. Denique & hoc adnotasse praesenti iuuabit loco: HIERON. MERCVRIALEM, in *Libris quinque de morbis cutaneis & omnibus corporis humani excrementis*, *nempe*, *de vrinis*, *de faecibus alui*, *de sudoribus*, *de lachrymis*, *de sputis*, *de mucis*, & *de sordibus aurium*, qui Basileae anno 1577. 8. impressi fuere, de variis ad hoc argumentum pertinentibus, ex instituto egisse.

f) Dresdae anno 1723. 4.
g) Venet. 1536. 8. Norimberg. 1538. 4.
h) Florentiae 1634. 4.
i) *Polyhist.* tom. II. lib. I. cap. V. §. 2. p. 27.
k) REGNERI DE GRAAF *Tractatus anatomico - medicus de succi pancreatici natura & usu.* Lugd. bat. 1671. 8. qui & operibus eius omnibus, ibidem anno 1677. 8. iunctim editis insertus inuenitur, postea etiam *Bibliothecae* DAN. CLERICI & IO. IAC. MANGETI *anatomicae* adiectus.
l) BERN SWALVE *Pancreas; pancrene, seu, pancreatis & succi ex eo profluentis commentum succinctum.* Amstelodami 1678. 12.
m) Ita v. g. HIPPOCRATIS *Libellus de genitura* a IOAN. GORRAEO & THEODORO ZWINGERO; GALENI autem *Libri de semine* a PETRO DE PERAMATO commentariis sunt illustrati.
n) Harum prior pars anno 1609. 4. posterior 1622. 4. & additamentum apologeticum ad disputat. de genitura 1625. 4. Venetiis prodierunt.
o) Vid. Eius *Nobiles exercitationes de subtilitate*, quarum pars I. 1623. pars II. 1635. & pars III. 1638. folio, Venetiis in lucem exiit. In *Naudaeanis* pag. 34. & 165. lego equidem, partem etiam IV. anno 1643. in folio publicatam fuisse; hanc vero oculis vsurpare nunquam mihi contigit.
p) Vid. Eius *Libr. IV. de generatione contra* MVNDINVM MVNDINIVM Francofurt. 1629. fol.
q) Inueniri haec possunt in operibus eius Lugduni batauorum 1722. 4. iunctim euulgatis; suntque vel eo memoratu digna nomine, quod LEEVWENHOECKIVS, vel potius HAMMIVS, circiter annum 1677. vermiculos seminales, ope microscopiorum suorum, primum animaduertisse sibi visus, &, virtute huius inuenti, systema generationis ex ouo pessundare penitus conatus fuit: qua de re ALB. HALLERI *Notae ad* HERM. BOERHAAVII *Praelectiones academicas in proprias rei medicae institutiones*, tomo V. part. I. pag. 349. seqq. vberius consuli possunt.

§. VI.

Quandoquidem e varia partium fluidarum ac solidarum mixtura atque qualitate ita dicta, temperamenta ortum trahunt; de his vero cum philosophi, tum medici quam plurima conscripserunt: equidem, quantum ad posteriores attinet, paucis solum moniturus sum, CLAVDII GALENI *Libros tres de temperamentis*, a IAC. SYLVIO, IO. BAPT. r) MONTANO, FELICE s) ACCOROMBONO, FRANC. *) VALLE-

LESIO, IAC. SEGARRA, CASP. t) LOPEZ, IER. u) THRIVERIO, aliisque non nullis w), peculiaribus commentariis esse illustratos. Ea contra alii hac ipsa de materia proprias elucubrauerunt commentationes: id quod editi toties x) *Libri duo* LEVINI LEMNII *De habitu & constitutione corporis, quam graeci κρᾶσιν, Triuiales complexionem vocant;* aeque ac aliorum autorum de hoc argumento elaborata opera locupletibus testimoniis confirmant. Quemadmodum autem omnia huius indolis scripta nostra aetate parum curantur; ita e contrario GEORG. ERNEST. STAHLII *De temperamentis philosophico-physiognomico-pathologico-mechanica enucleatio*, Halae 1697. 4 diuulgata, & germanice versa sub titulo: G. E. STAHLII *Neuverbesserte Lehre von Temperamenten*, Lipsiae 1723. 8. auctior excusa; vt & FRIDER. HOFMANNI *Differt. de temperamentis, fundamento morum & morborum in gentibus*, Halae 1705. 4. publici iuris facta, commodis studiosi artis salutaris citra dubium melius inseruient.

r) I. B. MONTANI in *Libros* GALENI *de elementis, natura humana, atra bile, temperamentis & facultatibus naturalibus periochae.* Hanouiae 1595. 8. curante Cratone.

s) FEL. ACCOROMBONI in *Libros* GALENI *de temperamentis annotationes.* Romae 1590. fol.

*) Huius commentarius tertium solum librum GALENI de temperamentis elucidauit. Prodiit autem ille, vna cum interpretamentis aliorum quorundam scriptorum *Galenicorum*, quae hunc ipsum Hispanum medicum agnoscunt autorem, in conspectum orbis litterati, Compluti anno 1569. in 8.

t) CASP. LOPEZ in *Libros* GALENI *de temperamentis, noui & integri commentarii, in quibus fere omnia, quae ad naturalem medicinae partem spectant, continentur.* Compluti 1565. fol.

u) IEREM. THRIVERII in *Tres libros* GALENI *de temperamentis, & vnum de inaequali intemperie, commentarii quatuor, nequaquam ex aliis collecti, sed propriis rationibus instructi.* Louanii 1535. 8. Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 432. sequ. vbi vero erronee vocatur HIERONYMVS THRIVERIVS.

w) Pertinent eodem adhuc, idque merito, LEONH. FVCHSII *Commentarii in libros* GALENI *de temperamentis & differentiis febrium,* Lutetiae Parisior. anno 1554. fol. typis excusi.

x) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 749. vbi tamen editio Francofurtana anni 1591. 12. apud *Ioannem Wechelum*, non comparet.

§. VII.

Actiones oeconomiae animalis quantum attinet; de generatione & formatione foetus, tam a veteribus y) quam recentioribus z) medicis pariter ac philosophis, opera perquam multa in lucem fuerunt prolata. Quum vero talium recensio ad physicam potius, quam medicam, spectet bibliothecam; sufficiet, breuiter saltim obseruasse: ex illo tempore, quo *Exercitationes* illae tanti vbiuis aestimatae *de generatione* a) *animalium*, a GVILIEL. HARVEO editae, vna cum THEOD. KERCKRINGII *Anthropogeniae* b) *ichnographia*, in publicum prodiere, apud batauos MATTH. c) SLADE, & CAROLVM DRELINCVRTIVM d); apud gallos, DAN. e) TAVVRY, NIC. f) VENETTE, & PETRVM g) DIONIS; apud germanos, MART. SCHVRIGIVM, *in Syllepsilogia historico-medica*, Dresdae 1732. 4. euulgata; apud italos h) autem, IOAN. HIERON. i) SBARAGLIAM, IO. BAPT. k) BIANCHI, & ANTON. VALLISNIERI, prae reliquis hoc in argumento excelluisse, illudque maximo studio excolendum sibi sumsisse. Citra tamen controuersiam vltimo loco nominatus Italus, sua, lingua Tusca l) consignata, & nunquam nimis laudanda, *Historia de generatione hominis & animalis*, ceteris omnibus huius generis scriptoribus hactenus palmam praeripuit. De molis vteri IO. BAPT. m) A LAMZWEERDE; de hermaphroditis CASP. n) BAVHINVS & IACOBVS PARSONIVS o); de conceptione in tubis vterinis, MATTHIAS p) TILINGIVS, IO. SIGISM. *) ELSHOLTZIVS, & ABRAH. CYPRIANI *in Epistola ad* THOM. MILLINGTONIVM, Lugduni batau. 1700. 8. impressa; de grauiditate multorum annorum FRANCISCVS q) BAYLE, & GODOFRED. r) HELDIVS A HAGELSHEIM; de insolitis denique partus viis s) THOM. BARTHOLINVS peculiariter egerunt. Ea con-

contra CHRISTOPH. IAC. TREWIVS *Differentiam hominis nati & non nati* in tractatu quodam Norimbergae anno 1736. 4. impresso demonstrauit; IOANNES autem HENRICVS t) SCHVLTZIVS primus fuit, qui ligaturam vasorum vmbilicalium in recens natis infantibus necessariam negaret.

y) Referri huc prae reliquis possunt IAC. RVEFF *De conceptu & generatione hominis, & iis, quae circa haec potissimum considerantur, libri sex*, Tiguri 1554. 4. impressi; IVL. CAESAR. ARANTII *Liber de humano foetu*, Venet. 1595. 4. IO. COSTAEI *Tr. de humani conceptus formatione ac partus tempore*, Papiae 1604. 4.

z) Ita e. c. huc pertinent IO. BENED. SINIBALDI *Geneanthropia*, Romae 1642. fol. edita, & Francof. 1669. in 4. de qua MORHOFIVS in *Polyhist.* tom. II. lib. II. part. II. cap. 47. cum laude scripsit; item ANTON. EVERHARDI *Nouus & genuinus hominis brutique animalis exortus*, Medioburgi 1661. 12. denique GVALTHERI NEEDHAM *Disquisitio anatomica de formato foetu*. Londini 1667. 8. &c.

a) Publicatae hae sunt prima vice Londini 1651. 4. & deinceps crebrius repetitae. Vid. DOVGLASSII *Bibliograph. anatomic.* pag. 241. Haud ita pridem etiam GVIL. HARVEI *Opera omnia* cum praefatione B. S. ALBINI, Lugduni batau. iunctim sunt edita.

b) Amstelodami 1670. 4.

c) Sub nomine THEOD. ALDES *Dissertationem epistolicam de generatione animalium, contra* HARVEVM edebat, impressam Amstelodami 1666. 12.

d) Huius diuersae ad hoc argumentum spectantes commentationes operibus eius omnibus iunctim Hagae comit. anno 1727. 4. editis singulae insertae inueniuntur.

e) *Traité de la generation & de la nourriture du foetus.* Paris. 1700. 12.

f) *Tableau de l'amour coniugal, seu, Traité de la generation de l'homme*, à Cologne 1702. 12.

g) Eius *Traité de la generation de l'homme*, additus inuenitur alteri eius libro inscripto: *Traité des accouchemens.* Vterque etiam in germanicam transfusus est linguam, quae versio prodiit Lipsiae & Francofurti anno 1723. 8. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 492. sequ.

h) Hos inter etiam FRANC. MARIAE NIGRISOLI *Considerazione della generazione de' viuenti*, Ferrariae 1712. 4. & IO. BAPT. PAITONI *Discorsi della generazione*, Venet. 1722. 4. potuissent numerari; verum potissimos tantum eligere volui.

i) IO. HIER. SBARAGLI *De viuipara generatione scepsis, seu, dubia contra viuiparam generationem ex ouo.* Viennae 1696. 8. Ceterum de viri huius vita, scriptis & controuersiis euolui potest *Giornale de' Letterati d'Italia*, tom. IV. pag. 263-292.

k) I. B. BIANCHI *De naturali in humano corpore, vitiosa morbosaque generatione historia.* Taurini 1741. 8. Vide Noua dicti anni litteraria pag. 715. sequ. vbi magna laude euehitur iste liber.

l) *Istoria della generazione dell' uomo e degli animali, se sia da' vermicelli spermatici, o delle uova: di* ANT. VALLISNIERI. In Venezia 1721. 4. Vid tom. I. cap. V. §. 32.

m) Eius *Historia naturalis molarum vteri* Lugduni batau. 1686. 8. impressa est, ab A. O. GOELICKIO quidem in *Introduct. in histor. litterar. anatom.* p. 327. laudata; a IOANNE autem IAC. HARDERO diuersis in locis culpata.

n) CASP. BAVHINI *De hermaphroditorum monstrosorumque partuum natura libri duo,* Francofurti annis 1604. & 1629. 8. impressi, historice magis atque philologice, quam medice, sunt scripti.

o) IAMES PARSONS *Mechanical and critical Inquiry on the nature of Hermaphrodits.* London 1740. 8.

p) MATT. TILINGII *De tuba vteri, deque foetu extra vteri cauitatem in tuba concepto, exercitatio anatomica.* Rinthelii 1670. 12.

*) *De conceptione tubaria.* Colon. Brandenb. 1669. 8.

q) Vid. Eius opuscula, de quibus a me iam dictum fuit tom. I. cap. V. §. 22.

r) GODOFR. HELD A HAGELSHEIM *Dissertatio epistolaris de tempore partus, occasione partus tubarii per 46. annos gestati, & in vetula 94. annorum mortua inuenti.* Baruthi 1722. 4.

s) Hafniae 1664. 8.

t) In *Dissertatione, qua problema, an vmbilici deligatio in nuper natis absolute necessaria sit, in partem negatiuam resoluitur.* Halae 1732. 4. Quam plurimos vero inuentos esse, qui huic ipsius opinioni contradicerent, facile quisque sibi persuadebit.

§. VIII.

Modus & ratio nutritionis in genere u) ab ANT. DEVSINGIO in *Exercitatione physiologico-medica de nutritione animalium*, Groeningae 1660. 12. diuulgata; & ante non adeo multos annos ab OTTON. IVST. WREDENIO in *Tractatu de nutritione*, Hannouer, 1731. 8. impresso, est proposita: Nutritio autem foetus in vtero a IO. CLAVDIO DE LA COVRVEE in *Paradoxis de nutritione foetus in vtero*, Dantisci editis anno 1655.

1655. 4. GEORG. SEGERO *De orthodoxia* HIPPOCRATIS, *& heterodoxia* DEMOCRITI *in doctrina de nutritione foetus*, Basileae 1660. 4. vulgata, porro a PETRO STALPARTIO VAN DER WIEL, in *Exercitatione de nutritione foetus*, Lugduni bat. 1686. 4. & denique a MART. SCHVRIGIO in *Embryologia historico-medica* Dresdae & Lipsiae 1732. 4. excusa, peculiariter fuit indagata; ita, vt nutritio foetus per vasa vmbilicalia a PETRO STALPARTIO atque a IOANNE CLAVDIO DE LA COVRVEE penitus reiiceretur. Concoctionem ciborum IO. ASTRVCIVS in gallico libro, inscripto: *Traité de la Digestion*, Tolosae 1714. 8. diuulgato, & PHIL. HECQVETVS etiam in gallicano idiomate conscripto tractatu, *De la digestion & des maladies de l'estomac*, Lutetiae Paris. 1729. typis exscripto in 12. explicare tentauerunt; ita, vt posterior systema triturationis hac in re defendere studuerit. De respiratione, praeter ea, quae GALENVS w) hoc de argumento reliquit, saeculo superiori HIERON. FABRICIVS AB x) AQVAPENDENTE, IO. MAYOWIVS y), MALACH. z) THRVSTONIVS, & IOAN. SWAMMERDAMIVS a) in peculiaribus scriptis egerunt: recentissimis vero temporibus, GEORG. ERH. HAMBERGERVS in *Dissertatione de respirationis mechanismo*, Ienae anno 1727. 4. emissa; & BENIAM. HOADLEY b) circa hoc argumentum prae reliquis fuerunt occupati.

u) In FORTVNII etiam LICETI *Libris IV. de his, quae diu viuunt sine alimento*, editis Patauii 1612. in fol. plurima huc pertinentia occurrunt.

w) In *Libris de caussis respirationis*; *de vsu respirationis*; *de spirandi difficultate* &c. Id etiam obiter hoc loco adnotare libuit, THADDAEVM DVNVM, in *Libro de respiratione*, Tiguri 1588. 8. euulgato, contra GALENVM probare conatum fuisse, quod respiratio non sit motus voluntarius.

x) *De respiratione & eius instrumentis libri duo.* Patauii 1615. 4.

y) Huius duo exstant tractatus: vnus, *de respiratione*; alter, *de respiratione foetus in vtero & ouo*, vterque seorsim initio luci expo-

 situs,

situs, deinceps autem operibus eius medico-physicis, Hagae comit. 1681. 8. iunctim editis, insertus.

z) *De respirationis vsu primario diatriba*, Londini 1670. 8. Lugdun. batauor. 1671. 8.

a) IO. SWAMMERDAMII *Tractatus physico-anatomico-medicus de respiratione vsuque pulmonum, in quo, praeter primam respirationis in foetu inchoationem, aeris per circulum propulsio statuminatur, attractio exploditur.* Lugd. batau. 1667. 1679. 8. & haud ita pridem anno 1738. 4. typis excusus. Quae IO. BAPT. A LAMZWEERDE in *Exspiratione respirationis Swammerdamianae*, Amstelodami 1674. 8. euulgata, contra eum in medium protulit, parum eidem obfuerunt.

b) *Three lectures on the organs of respiration. By* BENIAM. HOADLEY. London 1740. 4. Recensita inueniri potest haec commentatiuncula in nouis actis eruditorum anni 1742. mense Februar.

§. IX.

Illos inter, qui secretionem humorum peculiariter illustrandam sibi sumserunt, GVILIELM. COLE, BERNH. CONNOR, PETR. ANT. MICHELOTTVS, IAC. KEILL & IO. DE GORTER locum hic tueri poterunt; quanquam posteriores duo plurima hac in caussa nacti sint suffragia. GVIL. COLE *Cogitata de secretione animali* Hagae comitum anno 1681. 12. & Amstelodami 1698. 8. recusa fuerunt, prius Oxonii 1674. 12. excusa & luci prima vice exposita. BERNH. CONNOR *Tentamen de secretione animali*, annexum est ipsius *Euangelio* c), quod vocat, *medici*. De PETR. ANT. MICHELOTTI *Dissertatione physico-mechanico-medica de separatione fluidorum in corpore animali*, notandum, primam eius partem d) Venetiis 1721. 4. in conspectum reipublicae litterariae prodiisse. IAC. KEILLII *Dissertatio, qua ratione humores in corpore animali a sanguine secernantur*, in modo allegatis *Tentaminibus* eius *medico-physicis*, quae Lugduni bat. 1727. 4. recusa & vbique ferme locorum magni aestimata fuerunt, inueniri potest. IO. DE GORTER *Libellus de secretione humorum e sanguine*, Lugdun. batau. anno 1727. 4. emissus, beneuole est exceptus. Nec minus ratio & indoles transspirationis insensibilis, cui debito

bito modo indagandae, ceu rei maxime necessariae, SANCTORIVS SANCTORIVS fundamentum tam illustre substrauerat, a DIONYS. DODARTO in Gallia, a IAC. KEILLIO c) in Britannia, & a IO. DE GORTER f) in Belgio, peculiari g) meditatione digna fuit habita: nec non ab ABRAH. KAAV singularis quoque *De perspiratione Hippocratica tractatus* Lugduni batauorum anno 1739. 8. publici iuris est factus.

c) Impressus est iste liber Londini, Amstelodami & Ienae alibique. Ego vtor editione bataua, Amstelodami anno 1699. 8. perquam nitide expressa: in qua tentamen isthoc inde a pagina 157. vsque ad paginam 176. insertum legi potest.

d) Vid. Noua litteraria anni 1721. pag. 725.

e) *Medicina* eius *statica Britannica tentaminibus* ipsius *medico - physicis* fuit sociata.

f) In *Opere de perspiratione insensibili*, Lugduni batau. 1725. & 1736. 4. diuulgato.

g) Vid. ALB. HALLERI notas ad BOERHAAVII *Praelect. acad. in proprias rei medicae institutiones* tom. III. pag. 579. vbi ita scribit: Experimenta SANCTORII imitati sunt in Gallia per XX. annos DODARTVS, paruo libello, neque perfecto; in Anglia KEILLIVS per X. annos; apud batauos volumine magno, sed minus definitis experimentis, GORTERVS.

§. X.

De motu animali explicando, superiori saeculo, HIER. FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, & IO. ALPHONSVS BORELLVS; praesenti vero, IACOB. KEILLIVS & ALEXANDER STVARTVS, prae aliis h) fuere solliciti. *Primi* horum *tractatum de motu locali animalium*, Patauii 1618. 4. impressum, ALB. HALLERVS i) vix modice laudare sustinuit; ea contra IO. ALPH. BORELLVS, praestantissimo opere suo *De motu* k) *animalium* edito, longe maiorem consecutus est gloriam. IAC. KEILLII *Dissertatio de motu musculorum tentaminibus* eius *medico - physicis* adiecta habetur; ALEX. vero STVARTVS, exhibita sua *De fabrica & motu musculorum exercitatione*, quae Londini anno 1736. 4. impressa fuit, praemium l) ab acade-

 mia

mia bonarum litterarum, scientiarum & artium Burdegalensi propositum reportauit. De loquutione & eius instrumentis, deque loquela brutorum, nominatus modo HIER. FABRICIVS in scriptis suis, Patauii 1603. fol. impressis egit; diuersi m) autem, cum IO. CONR. n) AMMANNO id operam dederunt, qua ratione surdos natos, adeoque & mutos, loqui docerent. IOANNES quoque DE GORTER, in *Exercitationibus medicis quatuor, de motu vitali, de somno & vigilia, de fame, de siti,* quae Amstelodami anno 1737. 4. in lucem expositae sunt publicam, multa eximia lectuque omnino digna in medium attulit.

h) IOANNES namque MAYOWIVS *Dissertatione* sua *de motu musculari & spiritibus animalibus* aliorum adsensum & suffragia adsecutus non est. IOANNIS BERNOVLLII *Dissertationes physico-mechanicae de motu musculorum, de efferuescentia & fermentatione,* Venetiis anno 1721. 4. impressae, aeque ac aliorum mathematicorum scripta, ad philosophicam potius, quam medicam pertinent bibliothecam. Sequens tamen scriptum anglicanum, cui titulus: *A New Essay on muscular motion.* By BROWNE LANGRISH, London 1733. 4. quod in nouis actis eruditorum anno 1736. Mens. Mai. recensitum legitur, forte non omnino fuerit hoc loco praetereundum.

i) In *Notis ad* BOERHAAVII *Praelectiones academicas Institut.* volum. V. part. I. p. 264. sequ. Senile opus multum, vt solent *Fabriciana,* eruditionis *Aristotelicae* & *Galenicae* habet; anatomes non satis.

k) Romae 1680. 1681. 4. & nuper admodum Hagae Comitum 1743. 4. sub titulo: IOANNIS ALPHONSI BORELLI *De motu animalium Pars I. & II. Editio noua, a plurimis mendis repurgata, ac dissertationibus physico-mechanicis de motu musculorum, de efferuescentia & fermentatione clarissimi Viri* IOAN. BERNOVLLII *aucta & ornata.* Hagae Comit. 1743. 4. c. figur. aen.

l) Vid. Noua litteraria anni 1738. p. 125.

m) Vid. MORHOFII *Polyhist.* tom. I. lib. II. cap. 3. & lib. IV. cap. I. nec non eiusdem *Dissertat. de paradoxis sensuum* cap. III. vbi Hispanis laudem inuentae huius artis adscripsit: qua de re GEORGII quoque PASCHII *Inuenta nou-antiqua* cap. VII. pag. 612. consuli queunt.

n) IO. CONR. AMMANNI *Surdus loquens, seu, methodus, qua, qui surdus natus est, loqui discere possit.* Amstelodami 1692. 8.

CAP.

CAP. III.

DE SCRIPTORIBVS PATHOLOGICIS.

§. I.

Quoniam quamplurimi medici modo ſemeioticen, modo therapiam, cum pathologia coniunxerunt; pauci e contrario integram pathologiam, ſcriptis huic argumento peculiariter atque vnice deſtinatis, illuſtrandam ſibi ſumſerunt; illi vero, qui hoc fecerunt, in lectu digna praefatione, quam HERMANNVS CONRINGIVS *Obſeruationibus medicis* PHIL. SALMVTHI praemiſit, maximam partem iam indicati ſolideque diiudicati ſunt: ideo equidem lectorem tuto eodem remittere potero, nec erit adeo, cur latius me hic diffundam; ſed omnia potius quam breuisſime expediam.

§. II.

Quum ergo conſtet, in Pathologia duo momenta primaria obuenire, quae ſunt nempe hiſtoria morborum, & aetiologia morborum; ſcriptores vero ad poſterius momentum reſpicientes iam tomi prioris capitis tertii ſectione prima, vbi de nouatoribus medicis ſermo mihi fuit, ſint recenſiti: diuidam igitur praeſens caput in duas ſectiones, & in harum quidem priore ſcriptores pathologicos generaliores, vna cum praecipuis obſeruatoribus medicis percenſebo; in poſteriore autem locum illis adſignabo, qui de morbis, modo ſecundum aetates, modo ſecundum ſexus differentiam, modo ſecundum vitae, quam quisque ſequitur, conditionem, modo denique ſecundum reliquorum, quae hominibus accidere eosque circumſtare ſolent, rationem, ſigillatim agere ſtuduerunt.

CAP.

CAP. III. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS PATHOLOGICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

§. I.

Ad scriptores generaliores quantum attinet; non est, cur scripta HIPPOCRATIS atque GALENI pathologica, quae, ex editione RENATI CHARTERII, Tomo VII. operum HIPPOCRATIS & GALENI iuncta sibi inuicem a) continentur, quum ex parte huc ne spectent b) quidem, me diu morentur: verum istud saltem notasse iuuabit, e GALENI tractatibus pathologicis, classe III. operum GALENI, iuxta editionem IANI CORNARII huiusque distributionem, contentis, *Libros* eius *de caussis procatarcticis, de temporibus morborum, de typis,* praecipue autem *Libros sex de differentiis & causis morborum symptomatumque*, commodissime locum hic tueri posse; idque eo potiore ratione, quod a FRANC. c) VALLERIOLA, ANTONIO PONCIO d) DE SANTACRVCE, & MELCH. e) SEBIZIO, haud secus ac AVICENNAE libri pathologici a IOAN. BAPT. f) MONTANO, commentariis vtilissimis sunt illustrati.

a) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 446. seq.

b) Plerique enim HIPPOCRATIS libelli huc referri soliti, circa Semioticam & Therapiam, vel ad summum circa historiam morborum, potius sunt occupati.

c) *Com-*

c) *Commentarii eius in libros VI.* GALENI *de morbis & symptomatis* Lugduni anno 1540. 4. sunt impressi.

d) ANTONII PONCII DE SANTACRVCE *Commentarii in libros* GALENI *de morbo & symptomate.* Matriti 1637. fol. Vid. ANTONII *Bibliothec. Hispan. nou.* T. I. p. 121.

e) MELCH. SEBIZII *Libri* GALENI *de differentiis & caussis morborum symptomatumque in theses contracti & ad disputandum propositi,* prodierunt Argentorat. 1630. sequ. 4.

f) IO. BAPT. MONTANI *Lectiones in secundam Fen libri I. canonis* AVICENNAE, *in qua agitur de caussis aegritudinibus, accidentibus, pulsibus & vrinis.* Venet. 1557. 8.

§. II.

Seculo decimo sexto varii fuerunt, qui pathologiam in genere peculiaribus scriptis tradere instituerunt. IOANNIS FERNELII *Libri VII. de pathologia*, particulatim initio luci expositi publicae, deinceps vero operibus g) medicis eius iunctim editis adiecti, magni olim sunt facti, etiamsi multae in iisdem deprehendebantur nouationes, CASPARVS quoque HOFMANNVS h) quam plurima contra autorem monere publice ausus fuerat. IOANNIS ARGENTERII *Libri XIIII.* i) *de morbis*, qui Florentiae 1556. fol. & Lugduni 1558. in 8. seorsim prelo substrati, & insecuto tempore eiusdem operibus k) medicis vna inserti fuerunt, laudari quidem maximum in modum a IOANNE RHODIO & VOPISCO FORTVNATO PLEMPIO meruerunt; a plerisque aliis autem ea de caussa probati non sunt, quod autor in detegendis GALENI naeuis nimis longe progressus esse, finesque modestiae transsiliisse videretur. De COMITIS MONTANI l) *Libris quinque de morbis ex* GALENI *sententia*, qui vehementem aduersarium nacti sunt THOMAM m) ERASTVM, & a CASPARO n) quoque HOFMANNO examini subiecti fuerunt, quid sentiendum iudicandumue sit? docuit PETRVS o) MONAVIVS, optime vero HERMANNVS p) CONRINGIVS. MARCI quoque ODDI *Tractatio dilucidissima* de

de morbi natura & essentia, Patauii 1589. in 4. typis signata, inter scriptores pathologicos huius saeculi generaliores locum quendam obtinere potest: cui NIC. KLEINFELD *Pathologiae libri duo* q) *de morbis & symptomatibus eorumque caussis & differentiis* addendi.

g) Vid. Tom. I. cap. V. §. 10.

h) In *Reiectaneis pathologicis de morbis formae & materiae, a* FERNELIO & ARGENTERIO *per somnium visis*, quod schediasmation initio Helmstadii 1639. 8. publicatum, deinceps eius *Opellis pro veritate*, Lutetiae Parisior. 1647. 4. impressis, quarum iam tom. I. cap. VI. sect. I. §. 6. mentionem inieci. subnexum fuit.

i) Hic numerus in tituli quidem ponitur frontispicio, proprie tamen VIII. saltem libri horum ad pathologiam spectant, nempe *Liber I. de morbi generibus; lib. I. de morbi differentiis; libri III. de caussis morborum; libri II. de symptomatis, siue effectibus morborum; & liber I. de temporibus morborum.* Reliqui sex, *Libri* videlicet *IV. de signis medicis*; & *libri II. de officiis medici*, pro aliis medicinae partibus, id quod rubrica testatur, sunt consignati.

k) De his vide tom. I. cap. V. §. 14.

l) Venet. 1580. & 1591. 4. Defensio autem huius operis, sequenti sub inscriptione: COMITIS MONTANI *Defensio librorum suorum aduersus* THOMAM ERASTVM, itidem Venetiis anno 1584. 4. fuit edita.

m) *In* COM. MONTANI, *noui medicorum censoris, quinque librorum de morbis nuper editorum viua anatome.* Basileae. 1581. 4.

n) *In animaduersionibus in* COM. MONTANI *libros quinque de morbis, &* THOMAE ERASTI *anatomen eorundem, nec non Ant-Erastica eiusdem* MONTANI, *cum auctario de caussa continente.* Amstelodami 1641. 12.

o) Vid. CRATONIS *Consiliorum & epistolar. medicinalium* lib. V. p. 315. vbi MONAVIVS *In epistola ad* ANDR. DVDITHIVM ita scribit: Edidit nuperrime Italus quidam Vicentinus, qui se COM. MONTANVM nuncupat, librum quendam in quinque alios diuisum de morbis ex GALENI sententia, in quo libro D. IVLIVM acerbissime perstringit, neque vero hunc tantum, sed etiam FERNELIVM, FVCHSIVM, VALERIOLAM, ARGENTERIVM & ERASTVM, quos omnes veluti ineptos nouatores, in arte medica a GALENI doctrina recedentes, aut saltem, dum eum tueri conantur, turpius aberrantes, acriter reprehendit, eorumque dogmata refutat. Non videtur deesse COMITI illi MONTANO, ingenii & iudicii acrimonia, sed tamen optarim, multis in locis modestius agere,

agere, & non seuera censura in viros senes & alioquin pene emeritos ac rude donandos animaduertere. Magis haud dubie & sibi consuluisset, & apud alios plus autoritatis obtinuisset.

p) *In introduct. in art. medic.* cap. V. §. II. p. 190. seq. vbi ita: COMES, inquit, MONTANVS, eiusque aduersarius THOMAS ERASTVS, viri eximii, de morbis acerrime inter sese contenderunt, quorum vtriusque ἀντιλεγόμενα scripta doctissimis animaduersionibus illustrauit CASPAR HOFMANNVS noster, cuius reliqui etiam libri pathologici, vt omnia eius, lectione digni sunt. ERASTI sane disputationes multa de affectibus praeter naturam continent, quae expendi omnino merentur, vtut controuersia illa cum MONTANO agitata haud pauca a medica schola aliena vereque logica comprehendat.

q) Antwerpiae 1598. 12.

§. III.

Nec saeculo decimo septimo, qui de pathologia generatim tractanda solliciti essent, defuerunt medici. FRANC. RANCHINI *Pathologia vniuersalis*, quae opusculis eius medicis, tomo I. cap. V. §. 22. allegatis, inserta inuenitur, cum vsu sane non exiguo legi potest. GREG. HORSTII, senioris, *Liber de morbis eorumque* r) *caussis* sine dubio etiam huc pertinet. IO. MAGIRI *Pathologia, seu, morborum & affectuum omnium praeternaturalium, qui corpus humanum inuadere solent, enumeratio, ex veterum graecorum, latinorum arabumque fontibus, & recentiorum limpidissimis riuulis exhausta, cum breui pathologiae delineatione*, Francof. 1615. 8. ceu opus posthumum exigui momenti habendum est. Longe vero maioris sunt GVALTHERI CHARLETONI *Exercitationes pathologicae, in quibus morborum pene omnium natura, generatio & caussae ex nouis anatomicorum inuentis sedulo inquiruntur*, Londini 1661. 4. impressae. Qua ratione, quoque intuitu GVERNERI s) ROLFINCII *Ordo & methodus medicinae specialis commentatoriae*, huc pertineat, GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS t) docuit: qui & ipse *Pathologide generalis dissertationes tres* Helmstadii 1687. 4. diuulgauit. Palmam tamen omnibus hactenus

nus enarratis hoc in argumento praeripuisse videtur GEO. WOLFG. WEDELIVS, dum non solum *Pathologiam medicam* u) *dogmaticam*, sed *Tabulas* etiam *pathologico-therapeuticas* w), *Exercitationes* x) *pathologico-therapeuticas*, nec non *Exercitationes* y) *semiotico-pathologicas*, promouendae huius disciplinae gratia, in lucem emisit publicam.

r) Giessae 1612. 4. & auctior Marburgi 1629. 8. Insertus postea quoque fuit operibus eius medicis, quorum tom. I. cap. V. §. 25. facta est a me mentio.

s) Ienae 1665. 4.

t) In *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. V. §. 9. p. 203. De caussis morborum in vniuersum breuiter, vt solet, sed accurate egit GVERNERVS ROLFINCIVS in sua methodo medicinae commentatoriae: ipsique debetur diuisio caussarum in immediatam, mediatam proximiorem & remotiorem, quae tamen philosophiae, quam medicinae, aptior videtur.

u) Ienae 1692. 4.

w) Ibid. 1687. fol.

x) Ibid. 1697. 4.

y) Ibid. 1700. 4.

§. IV.

In recentissimis temporibus succurrunt memoriae IO. PHIL. EYSELIVS, GEORG. PHIL. NENTERVS & IO. IVNCKERVS, iique prae reliquis nominandi. Horum *Primi compendium pathologicum, modernorum dogmatibus accommodatum, per quaestiones & responsiones distinctum, corporis humani statum praeternaturalem, nempe morbos, caussas & symptomata, concinne describens*, quod Erfurti 1699. 8. prelo exiit, recusum ibidem anno 1712. eadem forma, nec non eius operibus z) medicis & chirurgicis deinde innexum, vtile lectu est, ob sui perspicuitatem, tironibus inprimis. Postremorum autem duorum scripta ad *Stabliana* principia concinnata sunt, & GEORGII quidem PHILIPPI NENTERI *Theoriae hominis aegroti, seu, pathologiae medicae pars generalis, cui praemissa introductio de naeuis pathologiae modernae, & actiuo in morbis*, Argentorati 1716. 8. euulgata: IOANNIS

NIS vero IVNCKERI *Conspectus pathologiae, ad dogmata Stabliana praecipue adornatae, in forma tabularum repraesentatus*, Halae 1736. editus fuit in 4. Vtrique iungi meretur IO. SAMVELIS CARL *Historia medica pathologico-therapeutica, in qua morborum circumstantiae perpetuae, essentiales & extraessentiales, aphoristice expenduntur*. Hafniae 1737. 8.

z) Vid. Tom. I. cap. V. §. 34.

§. V.

Enumeratos hucusque scriptores pathologicos generales sequantur nunc ex obseruatoribus medicis ii, qui historiam morborum, seu, quam vocare amant, historiam clinicam prae reliquis excolere, deque ea bene mereri studuerunt. Prius tamen quam eorum recensionem aggrediar, nefas foret non indicasse, rationem ac methodum, qua vti debeat, qui concinne atque vtiliter historiam morborum contexere velit, a GEORGIO BAGLIVO de praxi medica, & quidem praecipue secundo eius libro, ex instituto esse demonstratam; a FRIDERICO HOFFMANNO, in *Dissert. de modo historias morborum recte consignandi & ad vsum applicandi*, Halae 1721. 4. emissa, breuiter delineatam; a GEORGIO denique ERNESTO STAHLIO tanta cum ingenii iudiciique ἀκριβείᾳ traditam esse, & quidem *In dissert. de emendandae historiae clinicae fundamentis*; vt autor illius, IAC. FRIDER. REIMMANNO a) iudice, vel ob solam hanc commentationem, maximis medicinae statoribus accenseri mereatur.

a) Vid. *Histor. litterar. germanorum* tom. VI. p. 736.

§. VI.

Inter medicos veteres, qui ex historia morborum maximam sibi peperere gloriam, iam alio loco b) principem HIPPOCRATI, ARETAEO, CLAVDIO GALENO & CAELIO AVRELIANO concessi

 sedem,

ſedem. Primus horum, qui ceteroquin ex aetiologia morborum parum laudis adſecutus fuit, ex hiſtoria e contrario morborum immortalem ſibi c) acquiſiuit famam; quippe qui in *Libris de morbis, de internis affectionibus*, maxime autem in *Libris* d) *epidemiorum* tot locupletia dexteritatis ſuae hac in re exempla atque documenta poſt ſe reliquit, vt mirari quidem illa omnes omnino ſoleant, oppido pauci vero & imitari valeant. ARETAEO CONRINGIVS *In praefatione* e) *de doctrina pathologica*, hoc perhibuit teſtimonium, quod is, poſt HIPPOCRATEM, omnes graecos f) medicos, hac in re longe antecelluerit eosque ſuperauerit: cui effato etiam IO. HERM. g) FÜRSTENAVIVS album adiecit calculum. Quae in CLAVDII GALENI operibus ad hoc argumentum ſpectantia exſtant, ea a SYMPHORIANO i) CAMPEGIO, longe melius vero a IO. BAPT. k) SYLVATICO, in vnum congeſta ſunt faſciculum. De CAELIO contra AVRELIANO, quem CONRINGIVS in laudata modo praefatione omnino omiſit, rectisſime GEORG. BAGLIVVS l) obſeruauit, proximam ab HIPPOCRATE deberi eidem hac in re laudem.

b) Vid. STOLLII *Hiſtoriam medicinae litterar.* pag. 516. ſeqq.

c) Vid. CONRINGII *Praefat. ad obſeru. medic.* PHIL. SALMVTHI, vbi ſequentia leguntur: Enimuero HIPPOCRATEM multum adeo ſtudii huc contuliſſe dixerim, vt omnes poſt ſeculos longe anteuerterit. Sedulitatem ipſius in annotandis ſingularibus aegrorum hiſtoriis loquuntur epidemii libri, quos illi pro aduerſariis fuiſſe manifeſtum eſt. *Aphoriſmi, prorrhetica, prognoſtica, coaca* alia tota conſtant ex vniuerſalibus pronunciatis diuturno ſingularium vſu conſtructis: ad quod exemplum omni poſt aeuo nihil natum eſt.

d) Quia, in iſtos libros *Hippocraticos* qui commentarentur, perquam multi fuere; ſuffecerit hic annotaſſe, ex antiquorum numero, GALENVM, & IOANNEM ALEXANDRINVM; recentiorum vero, HIERONYMVM MERCVRIALEM & FRANC. VALLESIVM potisſimam hinc laudem reportaſſe, qui poſteriores duo non ſolum in IOAN. ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductione ad medicinam* pag. 89. ſed & in CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. VI, §. 11. pag. 222. omnibus reliquis, verbis ſequen-

sequentibus praeferuntur: In epidemias historias lectu dignissimas annotationes scripserunt FRANC. VALLESIVS & HIERON. MERCVRIALIS. VALLESII certe scripta ipsi GALENO propter doctrinam praeferri in haud paucis merito poterunt. Non minus honorifice GVIDO quoque PATINVS in selectarum epistolarum (*Lettres choisies*) volum. I. epist. 45. pag. 193. de Hispano isthoc medico pronunciauit. Impressa autem fuerunt FRANC. VALLESII *Commentarii in libros* HIPPOCRATIS *de morbis popularibus*, Matriti 1577. fol. Coloniae 1588. fol. Neapoli 1621. fol. Aureliae 1654. fol. Paris. 1663. fol. HIERONYMI autem MERCVRIALIS *Praelectiones Pisanae*. Venetiis 1597. fol. *Praelectiones* porro *Bononienses* Foroliuii 1626. fol. prelo prodiere.

e) Praemissa haec est, vt sub initium praesentis capitis dictum, *Obseruationibus medicis* PHIL. SALMVTHI.

f) Verba eius ita habent: Longe priscis illis omnibus, sed deperditis, inferiores se praestiterunt philosophiae pariter & medicinae graeci scriptores, quorum scripta nobis deus aeui fecit reliqua. ARETAEVM tamen prae aliis commendaueris a diligenti annotatione eorum, quae circa morbos solent accidere, quin immo isthoc nomine palmam commeritus est.

g) In *Desideratis medicis* p. 88. Reliquos inter autores priscos, post HIPPOCRATEM & GALENVM, vt vulgo vocantur, principes, ARETAEVS *Cappadox*, ob summam, in recensendis morborum symptomatibus, adhibitam industriam, eminet.

h) Scripsit quidem, in allegata modo praefatione, CONRINGIVS: Ceterum GALENVM ipsum & in historiis & in caussis affectuum maximum studium eximio successu collocasse, res loquitur; ne tamen, quae mea mens sit, dissimulem, maiori, credo, iure FÜRSTENAVIVS in *Desideratis medicis* pag. 87. de GALENI in historiam morborum impensa opera, scripsit & pronunciauit: In GALENI quidem multis vastisque voluminibus quicquid continetur eximii, illud HIPPOCRATI maximam partem deberi, iam pridem aliis animaduersum est.

i) CLAVDII GALENI *Historiales, campi per* SYMPHORIANVM CAMPEGIVM *in quatuor libros congesti & commentariis illustrati*. Basileae 1532. fol.

k) CLAVD. GALENI *Historiae medicinales a* IO. BAPT. SYLVATICO *enarratae*. Hanouiae 1605. fol.

l) De *Praxi medica* lib. II. cap. VIII. §. 2. p. 197.

§. VII.

Arabes quidem, aeque ac aemuli eorum, ita dicti latino-barbari, in historia morborum nequaquam

 se

ſe heroas m) geſſerunt, aut eximii quidquam praeſtiterunt; interim prioribus tamen ea laus inuideri aut negari nullatenus n) poteſt, quod in ſcriptis RHAZIS, AVICENNAE, AVENZOARIS & ALSAHARAVII hiſtoria variolarum, morbillorum, ignis perſici, venae medinenſis, ſpinae ventoſae, relaxationis oeſophagi, abſceſſus mediaſtini & pericardii, tota ſerie ſua, enarratis cunctis eo ſpectantibus circumſtantiis, quas dicunt, tali ratione ſit propoſita, quali nunquam ante factum fuerat. Quum vero opera arabum & latino-barbarorum medicorum noſtra aetate parum, aut plane non legi ſoleant, priores quoque ex miſeris illis planeque abſonis, quae exſtant, verſionibus *) non vbique intelligantur; contenti interea debemus eſſe compendio illo, quod ZACVTVS LVSITANVS in *Hiſtoria* o) *principum medicorum*, pro captu p) ſuo, inde nobis excerptum reliquit.

m) Vid. CONRINGII *Praefat.* ad SALMVTHI *obſeruat.* vbi: Inter Arabes, inquit, quoque vix eſt, qui hoc in loco pretium aliquod operae fecerit. AVICENNA tamen & RHASES non fraudandi ſunt laude, diligentiore ſymptomatum recenſione, & aegrorum aliquot hiſtoriolis parta. Par ratio eſt medicorum, qui a ſeculo poſt decimum tertio vſque ad ſextum artem ſcriptis tradere ſunt conati, ceu quibus ſatis eſt viſum, veſtigia premere antegreſſorum, & praecipue quidem arabum.

n) Vid. FÜRSTENAVII *Deſiderata medica* pag. 158. Variolas quidem, a quibus morbilli non niſi gradu differunt, veteribus ignotas, ſaltem in graecorum ſcriptis minus tactas, ab arabibus demum primum eſſe deſcriptas, extra controuerſiam poſitum eſſe arbitramur. Hos inter AVICENNA, RHASIS & ALSAHARAVIVS, adeo accurate & diligenter affectus huius ingenium hiſtoriamque expoſuere, vt recentiores parum de ſuis addidiſſe videantur. Reliquos in paragrapho hoc enarratos morbos quod attinet, de iis conſuli poterit FREINDIVS in *Hiſtoria medicinae* part II.

*) Quid enim, quaeſo, hoc ſibi vult, quando e. c. in AVICENNAE *Canone*, de variolis ſequentia narrantur: Fortaſſe permutantur Variolae ad phlegmonem, & maſſere, & ad dubellati, quae aggregat ſaniem. Vel: Quandoque aſſociantur almelilctu antecedenti febres, nauſea & vrina plurima, & grauitas capitis & tebegi?

o) Prodiit haec initio Amſtelodami in lucem, ſingulis voluminibus formae moliſque minoris ſibi inuicem ſuccedentibus aliquot: tum vero

vero operibus autoris omnibus Lugduni 1657. fol. diuulgatis est inserta.

p) Vid. SCHELHAMMERI *Additamenta ad Conring. introduct.* cap. V. §. XII. pag. 205. Ex Lusitanis ZACVTVS, iudaeus, eas historias, quae sparsim in veterum graecorum, latinorum, arabum scripti reperiuntur, collegit in vnum: super quas amplas deinde disquisitiones, sed saepe inanes, conscripsit.

§. VIII.

Inde a laeta illa litterarum & scientiarum palingenesia ac restauratione, varii exoriebantur, qui neglectam tam diu morborum historiam, e puluere suscitatam quasi, rursus excolendam sibi sumebant. In hac igitur periodo nefas fuerit praeteriisse sequentes saeculi a decimo sexti scriptores. ANTONII BENIVENII, *De abditis non nullis ac mirandis morborum ac sanationum caussis, liber*, Florentiae 1507. 4. luci expositus publicae, insequuto tempore SCRIBONII LARGI, *Compositionibus*, Basileae 1529. 8. impressis, nec non REMBERTI DODONAEI *Obseruationibus medicinalibus*, Coloniae 1581. 8. euulgatis, adiectus fuit. AMATI LVSITANI *Curationum medicinalium centuriae VII.* quae initio singulae prodierant, anno porro 1557. Venetiis in 8. iunctim excusae, & deinceps diuersis in locis q), diuersis quoque formis, recusae, propter contentas illis historicas relationes, non integram vbiuis locorum inuenere fidem r). MARCELLI DONATI *Libri sex de medica historia mirabili*, qui Mantuae anno 1586. 4. prela reliquerunt, studioque GREGOR. HORSTII, in editione Francofurtana anni 1613. 8. multis additamentis fuerunt locupletati, quae postea in repetita hac ipsa editione Francofurti 1664. eadem forma, maiora etiam incrementa ceperunt s), in CONRINGII *Introduct. in art. medicam* cap. V. §. 20. laudantur. FRANC. VALLERIOLAE *Obseruationum medicinalium libri VI.* Lugduni 1573. fol. & 1588. & 1605. 8. impressi, non minus sunt lectu vtiles; GVILIELMI ta-

men BALLONII *Epidemiorum & ephemeridum libri duo*, Parisiis anno 1640. 4. diuulgati, quemadmodum iam supra t) dixisse me recordor, plerisque huius argumenti libris facile dubiam reddere poterunt palmam.

q) E. g. Venet. 1566. 8. Lugd. 1560. & 1580. 12. Burdigalae 1620. 4. Barcinonae 1628 fol. & Francofurti 1646. fol.

r) Huc v. c. pertinet historia Centur. VI. Curat. 53. narrata de puero arte chemica praeparato, omniaque sua membra perfecte mouente; de qua CASPARVS A REIES in *Elysio iucundarum quaestionum campo*, qu. 41. pag. 502. haud veritus est dicere: multa sane mendacia scripsit AMATVS, vt non absque ratione illum suggillet FALLOPPIVS. Ex hebraeorum namque commentis, vt ZACCHIAS ait, multa excogitauit ac retulit. Simili ferme ratione & CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 12. scribit: In AMATI obseruationibus multa praeclara ad artem facientia differuntur. Verum plura conficta quam facta illum scripsisse, & interdum opiniones suas isto modo confirmare voluisse apparet, quemadmodum CRATO notauit. Quem vere iudicasse, iuxta cum multis aliis doctissimis viris, non semel etiam obseruauimus.

s) Sub titulo: GEORGII HORSTII MARCELLVS DONATVS. *Editio noua, aeneis tabulis & variorum a fascino ortorum morborum enarratione & curatione aucta.*

t) Vid. Tom. I. cap. V. §. XI.

§. IX.

Nec germanorum saeculo XVI. florentes medici otiosos hoc in negotio sese gesserunt: quos inter IOANNES WIERVS, REMBERTVS DODONAEVS, FELIX PLATERVS, IOANNES SCHENCKIVS, maxime vero celeberrimus ille PETRVS FORESTVS considerandi veniunt. IOANNIS WIERI *Medicarum obseruationum rararum liber I.* u) Basileae 1567. 4. vt & Amstelodami 1657. 12. seorsim impressus, nec non vniuersis w) ipsius operibus insertus, liber lectu dignissimus audit ANDR. DVDITHIO x). REMBERTI DODONAEI *Medicinalium obseruationum exempla rara, recognita & aucta*, quae G. C. SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 12. laudauit, vna cum additamentis y) aliorum medicorum Colo-

Coloniae 1581. 8. Antwerpiae 1585. 8. & Harderouici 1621. 8. sunt diuulgata. FELICIS PLATERI, senioris, *Obseruationum medicarum libri tres*, Basileae 1614. & 1641. 8. excusi, ibidem vna cum relictis supplementis filii eius homonymi, anno 1680 eadem forma; sunt recusi, & a IOANNE RHODIO in *Bibliotheca medica* pag. 142. obseruationes peculiares atque remediorum silua vtiles, appellantur. IO. SCHENCKII *Volumen obseruationum medicarum rararum, nouarum, admirabilium & monstrosarum, septem tomis distinctum & absolutum, & de toto homine institutum*, quod autor non sine multo z) labore congessit, primum a) Friburgi Brisgoiae singulis formae octopartitae voluminibus successiue in lucem prodiit litterariam; deinde a IO. GEORG. SCHENCKIO iunctim, & quidem auctius, Francofurti 1609. fol. editum; cura porro CAROLI SPONII Lugduni 1643. fol. recusum; tandem vero Francofurti 1665. fol. nouis b) additamentis auctum a LAVRENTIO STRAVSSIO, denuo publici iuris factum, beneuole c) quoque exceptum fuit. Neque tamen inficiandum, PETRVM FORESTVM, editis suis tantiuis pretii nec vnquam satis celebrandis *Obseruationibus* d) & *curationibus medicinalibus ac chirurgicis*, tantam sibi conciliasse existimationem, vt nimis magnae molis res futura esset, si encomia omnia e), quibus ideo cumulatus fuit, hic loci vellem repetere.

u) Elenchum harum obseruationum in LINDENIO *renouato* p. 702. legere licet.

w) Vid. Tom. I. cap. V. §. 18.

x) Vid. CRATONIS *Consilia & epistol. medicinal.* lib. III. p. 189. sq.

y) Access. ANT. BENIVENII *De abditis nonnullis ac mirandis morborum ac sanationum caussis liber, cum annotationibus* DODONAEI. VALESCI DE TARANTA & ALEX. BENEDICTI *Medicinalium obseruationum exempla rara.* MATTH. CORNACIS, AEGID. HERTOGII & ACHILLIS PIRMINII GASSERI *Historiae gestationis foetus mortui in vtero.* REMB. DODONAEI *Tabulae physiologicae.*

z) Vid. CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. V. §. 12. Praecipue laudandae sunt obseruationes illae, quas SCHENCKIVS magna diligentia congessit; vtpote qui plerorumque omnium notatu dignas historias medicas singulari industria in vnum volumen collegit. Ea ipsa quoque de caussa IO. RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 142. Obseruationes *Schenckianas* vocauit, laboriose ac diligenter conquisitas; CASPARVS vero a REIES in *Elysio iucundarum quaestionum campo* quaest. 41. pag. 497. ipsum autorem appellat admirandarum historiarum indagatorem & enarratorem maximum.

a) Vid. IO. GEORG. SCHENCKII *Bibliothec. medic.* p. 335. seq.

b) Titulus est: IO. SCHENCKII *Obseruationum medicarum rariorum libri VII. a* IO. GEORG. SCHENCKIO *Accuratissime illustrati, ante annos XX. ab innumeris praecedentium editionum mendis,* CAROLI SPONII *opera, vindicati, & nunc passim nouis recentiorum autorum obseruationibus aucti a* LAVR. STRAVSSIO. Francof. 1665. fol.

c) In SCHELHAMMERI nihilo minus *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. V. §. 12. p. 205. censuram lego sequentem: Eorum, qui historias medicas scripserunt, non nulli propria & sibi obseruata tradunt, qui maiorem fidem merentur: Alii vero ab aliis quomodocunque accepta & semiplene intellecta annotarunt. Quos inter primo loco BORELLVS collocandus, deinde & BARTHOLINVS, & IO. RHODIVS, singuli suo loco mox nominandi, & magna ex parte ipse etiam SCHENCKIVS,

d) Euulgatae sunt illae per partes initio in aliquot voluminibus formae quam vocant octopartitae, idque Antwerpiae ex officina *Plantiniana* & Lugduni bat. e *Raphelengiana*; postea insertae sunt operibus eius Francofurti 1623. & 1660. fol. iunctim impressis, & Rhotomagi quoque anno 1654. fol. editis. Habetur autem Batauo-Lugdunensis editio pro optima & correctissima; quum e contrario Francofurtana posterior viliori constet charta.

e) Praecipua eorum maxime inueniuntur in IAC. FRIDER. REIMMANNI *Historia litteraria germanorum* tom. vlt. p. 731. seq. quibus SCHELHAMMERI tantum iudicium, quod in *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. V. §. 12. occurrit, hoc loco adiiciam, quod tale est: Belgium FORESTVM genuit, virum experientissimum, qui innumeras obseruationes prolixo insuper auxit commentario, in quo vniuersam omnium morborum pathologiam, vnaque praecipuas controuersias veterum legas, vt, quanta instructus fuerit hic vir doctrina, inde liceat aestimare. Pari ratione GEORGIVS quoque BAGLIVVS libro I. de fibra motrice & morbosa, de his ipsis obseruationibus eximia cum laude est locutus.

§. X.

§. X.

Ingentia cum saeculo septimo decimo obseruatorum turba cepit incrementa. Quandoquidem vero instituti mei ratio postulat, vt eorum saltem rationem habeam, qui prae reliquis eminuere; video, e Lusitanis ZACVTVM LVSITANVM; e Gallis f) CAROLVM PISONEM, PETRVM BORELLVM, & LAZARVM RIVERIVM; ex Italis, EPIPHANIVM FERDINANDVM, & DOMINICVM PANAROLVM; porro Anglos inter, THOM. SYDENHAMIVM, praetereundos mihi non esse. ZACVTI LVSITANI *De praxi medica admiranda libri tres* g) *in quibus exempla monstrosa, rara, noua, mirabilia circa abditas morborum caussas, signa, euentus atque curationes exhibita diligentissime proponuntur*, paria cum conterranei eius, AMATI LVSITANI, *Centuriis curationum* fata h) sunt experti. CAROLI PISONIS *Selectiorum obseruationum & consiliorum de praeteruisis hactenus morbis affectibusque praeter naturam, ab aqua, seu serosa colluuie ortis, liber* i) *singularis*, ab HERM. k) BOERHAAVIO encomiis minime vulgaribus est ornatus, nec non a IO. RHODIO in *Bibliotheca medica* pag. 153. inter autores, qui in certis materiis excellunt, numeratus est; quum contra ea PETRI BORELLI *Historiarum & obseruationum medico-physicarum* l) *Centuriae IV. in quibus multa vtilia, rara, stupenda ac inaudita continentur*, suffragia doctorum sperata minime inuenerint m). Sic & LAZARI RIVERII *Obseruationum medicarum & curationum insignium Centuriae IV.* Lutetiae Paris. 1646. 4. & Hagae Comit. 1656. 8. separatim excusae, postea vero vniuersis eius n) operibus adiectae, ab his culpantur, ab illis laudantur. EPIPH. FERDINANDI *Centum historiae, seu, obseruationes & casus medici*, Venetiis 1621. fol. impressae, bene GEORG. o) BAGLIVO audiunt. Nec minus DOMINICI PANAROLI *Iatrologismorum, seu, medicinalium obseruationum pentecostae quinque, vtilibus praeceptis, singularibus medelis, reconditis speculationi-*

bus, portentosis casibus refertae, Romae 1652. 4. & Hanouiae 1654. 4. excusae, iudice SCHELHAMMERO p) cum vtilitate legi possunt. THOMAM denique SYDENHAMIVM quod attinet, satis notum est, cuncta ferme eius q) scripta ad restitutionem emendationemque r) historiae clinicae tendere; eorumque autorem omni iure GEORGIO s) BAGLIVO, diligentissimum post HIPPOCRATEM obseruatorem, IOANNI autem HERMANNO t) FÜRSTENAVIO, accuratissimum febrium historiographum audire.

f) PETRI POTERII *Obseruationum & curationum insignium centurias tres*, singulas initio publicatas, deinde vniuersis eius, iunctim frequenter impressis, optime vero Francofurti 1698. 4. cum commentario FRID. HOFFMANNI editis, operibus practicis & chymicis insertas, ideo omisi; quia ad historiam morborum parum aut nihil conducunt; sed tantum enarrandis multis iisque magni momenti curationibus, ope arcanorum ipsius susceptis, occupantur. NICOLAI vero CHESNEAV *Obseruationum libri quinque* Lutet. Paris. 1672. 8. & Amstelodami 1673. 8. excusi potiori iure locum hic aliquem tueri poterunt.

g) Amstelodami 1634. 8. lucem salutarunt; postea vero auctiores operibus eius iunctim Lugduni 1649. & 1657. in folio editis sociati fuerunt.

h) Vid. CASP. A REIES *Elysium iucundarum quaestionum campum*, Qu. XXXI. pag. 371. vbi scribit: Fuit quippe ZACVTVS, pessimus hic Iudaeus, alter mendaciorum pater, vt de AMATO, illi simillimo, non absque ratione dicebat FALLOPPIVS. Vterque enim, vt legentes in sui admirationem trahant, & nouitatibus inauditisque demulceant, chimaeras mille atque putidissima mendacia scribere non erubuerunt. Simile ferme de hoc scriptore iudicium est CONRINGII in *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 12. cui consentit SCHELHAMMERVS in *Additamentis ad Conringianae introductionis* cap. V. §. 12. scribens: Edidit ZACVTVS suas obseruationes, sub titulo *Praxis admirandae*. Continet autem ille liber vere admiranda & rara; sed quorum suspecta non nullis fides est.

i) Ponte ad Monticulum 1618. 4. Lugd. Batau. 1650. 8. Francof. & Lips. 1674. 8. & denique Lugd. Bat. 1714. 4.

k) In *Methodo discendi medicinam* p. 451. vbi medicum isthunc vocauit, omnium obseruatorum optimum.

l) Prodiere Castris 1653. 12. Paris. 1657. 8. Francof. & Lips. 1670. & 1676. 8. quarum vltimo loco citatae editioni adiectae sunt

10.

-IO. RHODII *Obseruationes*, ARNOLDI BOOTII *Tractatus de affectibus omissis*, & PET. MATTH. ROSSII *Consultationes & obseruationes selectae*; quum ea contra prioribus editionibus non nisi ISAACI CATTIERI *Obseruationes rarae* additae compareant.

m) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Coaring. introduct.* cap. V. §. XII. BORELLVM multa saepe paradoxa interspersisse, e Centur. IV. obs. LXII. abunde apparet: vbi, aeque ac PARACELSVS, non solum artificialem palingenesian plantarum, sed animalium quoque & hominum defendere voluit.

n) Vid. Tom. I. cap. V. §. 22.

o) Vid. *Differt. VI. de anatome, morsu & effectibus tarantulae*; quae inter opera eius inuenitur.

p) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. XII.

q) Edita sunt illa Londini 1685. 8. Amstelodami 1687. 12. Lipsiae 1695. 8. & 1711. 12. plenissime autem, attamen cum additamentis quibusdam aliorum medicorum, Geneuae 1716. & 1736. 4. titulo instructa isthoc: THOMAE SYDENHAM *Opera medica*. Nouissime quoque, sine aliorum tamen medicorum accessionibus, prodiere Lugdun. bat. 1741. 8.

r) Speciatim huc pertinent *Obseruationes medicae circa morborum acutorum historiam & curationem*: ad quas tamen SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 20. diuersa, quae moneret, habuit, qui etiam sententiam suam clarius ita exprimit: Caeterum, qui praecipuus in illo opere est scopus, vix potest sperari: nimirum fore, vt tandem post plurimos annos iidem morbi eodem ordine recurrant, eadem prorsus facie, adeoque nobis inde nascatur hoc pacto absolutissima epidemiorum scientia. Tanta enim aëris tempestatumque inconstantia est, vt id prorsus mihi videatur ἐκ τῶν ἀδυνάτων, etiam in ipsa vrbe Londinensi.

s) Lib. II. *Praxeos medicae* cap. X. §. 5. p. 222. Pluribus vero aliis locis etiam perquam honorifice de eodem pronunciauit; quemadmodum peculiariter lib. I. Praxeos medicae cap. XII. §. 3. scribit: Febris denique adhuc ardet & in scholis, & in aegrotantium laribus, eiusque incendia latius propagata ingemuisset orbis, nisi inter tot scriptores vnus hoc aeuo praeluxisset THOMAS SYDENHAMIVS, artis nostrae ornator & ornamentum, qui, sepositis opinionum commentis, ad obseruationes prorsus se dedit, & a prima aetate ad extremum vsque senium cum natura cohabitauit.

t) In *Desideratis medicis*, p. 117.

§. XI.

Germanicorum, hoc saeculo florentium, medicorum, ad hunc ordinem referendorum, tanta est nubes,

bes, vt hi omnibus reliquis nationibus, hac quidem in re, longe praeiuisse videantur. De WOLFFGANGI quidem GABELCHOVERI *Centuriis VI.* u) *Curationum & obseruationum medicinalium*, in SCHELHAMMERI *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. V. §. XII. sequentia leguntur: GABELCHOVERVM minus aestimo, nimis enim vulgata congessit; verum enim vero credo ego, notitias illas vulgarium morborum, experientiis aliorum fundatas, practico incipienti longe esse & vtiliores & magis etiam necessarias, quam talium casuum collectiones, qualium vix vnus sexcentis medicis per totum praxeos suae decursum obuenire solitus est. PHIL. HOECHSTETTERI *Obseruationes medicinales*, constantes initio sex w) tantum decadibus, successu autem temporis, curante autoris nepote, IO. PHIL. HOECHSTETTERO, quatuor decadibus posthumis auctae x), existimationem minime vulgarem, ex mente LVC. SCHROECKII y), merentur. GREG. HORSTII, senioris, *Obseruationum medicinalium singularium libri VIII*, Vlmae 1628. 4. impressi, & deinde operibus eius medicis inserti, multorum z) ornati sunt suffragiis. HENR. AB HEER *Obseruationes medicas oppido raras*, IO. MICHAELIS, in praefatione, quam Lipsiensi a) earundem editioni praemisit, obseruationes omni memoria dignissimas vocauit. PHIL. SALMVTHI *Obseruationum medicarum* *) *Centuriae III. posthumae* Brunsuigae 1648. 4. impressae, vel inde peculiari gaudent praerogatiua, & fausto veluti omine lecturos praeoccupant, quod HERM. CONRINGIVS dignas easdem habuit, quas laudata iam toties praefatione, de doctrina pathologica, ornaret. AVGVST. THONERI *Obseruationum medicinalium* b) *haud vulgarium libri quatuor* non sine fructu luculento legentur. BALTH. TIMAEI A GÜLDENKLEE *Casus medicinales*, Lipsiae 1662. & 1667. 4. diuulgati, pariter ac reliqua c) viri huius scripta, plausibus sunt excepti. Nec PHIL. GRVLINGII *Curatio-*

tionum dogmatico-hermeticarum Centuriis VII. Northu- ſae 1662. 4. excuſis, ſui defuere fautores.

u) Harum Centuria I. & II. Tubingae 1611. Centuria III. & IV. Francofurti 1612. & Centuria V. & VI. iterum Tubingae 1627. 8. publici factae ſunt iuris.

w) Ita, vt Decades tres priores Auguſtae Vindelicor. 1624. 8. Decades vero tres poſteriores eodem loco, eademque forma, anno 1627. lucem ſalutarent litterariam.

x) PHIL. HOECHSTETTERI *Rararum obſeruationum medicinalium Decades VI. antehac editae: quibus nunc acceſſere quatuor Decades aliae, nunquam hactenus viſae, continentes hiſtorias, quaeſita, obſeruata, variaque monita medica iucunda, ſalutaria, vtilia.* Francofurti & Lipſiae 1674. 8.

y) In *Hygea Auguſtana*, vbi ſcribit: PHIL. HOECHSTETTERI Obſeruationum medicarum opus, inſigni labore, induſtria & doctrina refertum, inque decades ſex digeſtum, & ab ipſo autore editum, ante octennium vero a nepote eius, D. IO. PHIL. HOECHSTETTERO, Phyſico Rotenburgenſi ad Tubarim, aui & parentis veſtigia preſſo pede inſequente, quatuor decadibus poſthumis adauctum, nulla vnquam aetas venerari deſinet.

z) Vid. tom. I. cap. V. §. 25.

a) Anni 1645. 12. Cur autem iſthaec editio recuſa in tituli limine vocata fuerit *ſecunda?* equidem ignoro. Quod ſi enim verum eſt, quod in LINDENIO *renouato* pag. 395. refertur, dictas videlicet obſeruationes iam Leodii 1614. & 1622. in 8. prelis prodiiſſe; nec non Lugduni batauorum 1645. & 1685. 12. impreſſionem earundem repetitam eſſe; ſequitur inde neceſſario, hanc editionem ipſam aut *tertiam*, aut omnino *quartam* fuiſſe.

*) Hiſtoria de infante in ventriculo concepto & per os excluſo, quam Centur. III. Obſeru. 94. narrauit autor, multis eiusmodi viſa fuit, quae fidem plane nullam mereatur.

b) Vlmae 1649. & 1651. 4.

c) Vid. tom. I. cap. V. §. 26.

§. XII.

GEORG. HIER. WELSCHIVS, non diuulgata ſolum aliorum d) medicorum, quas manu exaratas hi reliquerant, *Curationum & obſeruationum medicinalium ſylloge* e), *Centurias VI. complectente;* ſed editis etiam *propriarum obſeruationum* f) *phyſico-medicarum Hecatoſtheis II.* bene de re medica mereri ſtuduit. Idem laudabile inſtitutum fuit quoque IO. NIC. BINNINGERI,

GERI, euulgantis *Centurias* ſuas *quinque obſeruationum* g) *& curationum medicinalium.* NIC. TVLPII *Obſeruationes medicae,* quarum initio tres h) tantum libri prelo exierunt, quaeque poſtea quarto libro auctae crebrius i) prela exercuerunt, a G. C. SCHELHAMMERO k) omnibus reliquis huius argumenti ſcriptis praelatae fuerunt. Ita & GERH. BLASIVS *Obſeruationes medicas rariores*, Amſtelodami 1677. 8. CORN. STALPARTIVS VAN DER WIEL *Obſeruationum rariorum medicarum, anatomicarum, chirurgicarum Centuriam I. & Centuriae II. Partem primam* Lugd. bat. 1687. 8. & VITVS RIEDLINVS, cum patris ſui homonymi *Obſeruationum medicarum Centurias III.* Auguſt. Vindelic. 1691. 12. tum & ab ſe ipſo ſcriptas *Lineas medicas* l) *ſingulos per menſes quotidie ductas*, ad commoda medicorum promouenda, euulgandas curauerunt. Denique THEOPH. BONETVS, partim quidem in *Mercurio* m) *compitalitio*, partim vero in *Medicina* n) *ſeptentrionali collatitia,* obſeruationes medicorum anglicanorum, germanorum, danorum aliorumque in vnum corpus congesſit.

d) Videlicet MARCEL. CVMANI, HIERON. REVSNERI, IER. MARTII, ACHILL. GASSERI, & IO. VDALRICI RVMLERI.

e) Auguſt Vindelic. 1668. & 1676. 4.

f) Ibidem anno 1675. 4.

g) Montbelgardi 1673. 8. & Argentorat 1676. 8.

h) NICOL. TVLPII *Obſeruationum medicarum libri tres.* Amſtelodami 1641. 8.

i) E. gr. Amſtelodami 1652. & 1672. 8. nec non 1685. in 8. & Lugduni denique batau. 1716. 8.

k) In *Additam. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 12. NIC. TVLPII obſeruationes omnium aliorum eius generis relationes elegantia antecellunt.

l) Conſtant hae ſex tomis, quorum primus anno 1695. vltimus vero 1701. Auguſt. Vindel. in 12. ſunt impresſi.

m) Geneuae 1682. fol.

n) Huius pars prior Geneuae 1684. poſterior autem ibidem anno 1686. vtraque in folii forma, euulgata fuit.

§. XIII.

§. XIII.

Plurimum mihi laboris adhuc facesserem, si residuos scriptores, vt: BERNH. VERZASCHAE *Centuriam obseruationum medicarum*, Basil. 1677. 8. PHIL. IAC. SCHENFELDERI *Historiarum, enarrationum, & curationum medicarum librum* I. Ratispon. 1681. 8. IO. IAC. HARDERI *Apiarium, obseruationibus medicis centum, ac physicis experimentis plurimis refertum*, Basil. 1687. 4. EHRENFR. HAGENDORNII *Obseruationum* o) *& historiarum medicarum Centurias tres;* CASPAR. THEOPH. BIERLINGII *Thesaurum theoretico-practicum, obseruationes & curationes medicas continentem.* Ienae 1694. 4. CHRISTIAN. FRANC. PAVLLINI *Obseruationum medico-physicarum, rararum, selectarum & curiosarum Centurias IV.* Lips. 1706. 8. editas vna cum pluribus aliis recensere; aut, si vel ipsos particulares scriptores, qui chirurgicas p), anatomicas q) aut similis generis alias obseruationes edidere, saltim tribus, quod dicitur, verbis attingere cogitarem. Quum vero de posterioribus longe commodius, loco conueniente, partim iam dictum, partim adhuc dicendum sit; hic autem de praecipuis tantum scriptoribus generalibus instituendus sermo veniat: agmen claudant iam IO. NIC. PECHLINI *Obseruationum physico-medicarum libri tres*, Hamburgi 1691. 4 impressi; quippe qui, cum propter argumenti & rerum praestantiam, tum propter nitidissimam latinitatem, tales sunt, vt, eos legisse, neminem vnquam poenituisse queat.

o) Rudolphstadii 1690. 8. & Francofurt. 1698. 8.

p) E. gr. GVIL. FABRICII *Hildani*, HENR. A ROONHVYSEN, IOBI VON MEECKREN, IO. MVYSII, FREDER. RVYSCHII, IDONIS WOLFFII, aliorumque chirurgicas obseruationes. Loquor enim de solis scriptoribus germanicis saeculi XVII.

q) Non tamen committendum mihi est, vt silentio praeteream omnimodo IO. IAC. WEPFERI *Obseruationes anatomicas ex cadaueribus eorum quos sustulit apoplexia*, Amstelod. 1681. 8. impressas, quemadmodum & eiusdem viri celeberrimi *Obseruationes medico-practicae de affectibus capitis internis & externis*, quae, ab illo manu scriptae relictae, post mortem ipsius demum Scaphusiae anno

1727.

1727. 4. typis exscriptae. sunt, locum omnino hic aliquem merentur.

r) Vid. SCHELHAMMERI *Dissert. de febribus*, vbi scribit, in praefatione PECHLINI, ornamenti litterarum & saeculi, obseruationes non tam historias continere videntur, quam artis solida fundamenta, ex naturae intimis recessibus eruta, dum velut accensa face phaenomena morborum collustrauit.

§. XIV.

Quandoquidem etiam ad rite texendam historiam morborum haud parum confert doctrina de successionibus morborum; haec ipsa vero ad hanc vsque aetatem debita ac sufficienti ratione indagata nondum fuit s); paucis tantum commemorabo, praeter STEPH. RODERICI CASTRENSIS, hoc argumentum spectantem t), tractatum, cui titulus: *Quae* u) *ex quibus?* hanc materiam recentiori aeuo a GEORG. ERNEST. STAHLIO & FRIDER. HOFFMANNO peculiaribus dissertationibus propositam, & haud ita pridem a CAROLO etiam GIANELLA in *Libris III.* w) *de successione morborum*, Pataui anno 1742. editis in 8. eandem esse deductam. E contrario IO. CASALECCHI *Apparatus ad historiam de morborum transmutationibus iuxta mentem* HIPPOCRATIS *Epidemiorum* lib. I. sect. III. tit. I. etiam nunc in scriniis x) delitescit, nec dum publicam lucem vidit.

s) Vid. BAGLIVVS *De fibra motrice & morbosa* lib. II. cap. I. Argumentum de morborum successionibus, siue conuersionibus, aut mutationibus vnius morbi in alium, nouum omnino est, nec quenquam adhuc legi auctorem, qui de illo intime differuerit.

t) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. V. §. 11. Huc etiam referendus est liber STEPH. RODER. DE CASTRO, ridiculo titulo, *Quae ex quibus*: vtpote qui ineptias nominis bona doctrina compensat.

u) Florent. 1627. 12. Lugdun. 1645. 12. vt & Francofurt. 1646. & 1667. 12.

w) Vide Noua litteraria anni 1743. p. 490. sequ. vbi vero de illis non adeo bene iudicatur.

x) Vid. *Giornale de' Letterati d'Italia* tom. VI. pag. 355 seqq.

CAP.

CAP. III. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS PATHOLOGICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores de morbis aetatum, §. *1. de morbis sexus*, §. *2. de morbis nationum*, §. *3. de morbis ratione varii vitae generis*, §. *4. de morbis hereditariis & incurabilibus*, §. *5. de morbis contagiosis, occultis & subitaneis*, §. *6. de morbis omissis & nouis*, §. *7. de morbis a fascino ortis*, §. *8. de morbis biblicis*, §. *9. Scriptores de morbis varii argumenti*, §. *10.*

§. I.

Agmen ducant, qui morbos iuxta diuersas hominum aetates considerandos sibi sumserunt: qua de re in genere GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Differt. de morbis aetatum*, Ien. 1694. 4. impressa, & GEOR. ERN. STAHLII *Differt. de morborum aetatum fundamentis pathologico - therapeuticis*, Halae 1703, 4. typis exscripta, legi possunt. Morbi infantum, de quibus RHAZES primus a) peculiarem tractatum conscripsit, a compluribus b) medicis singulari cura sunt descripti; ex paullo antiquioribus tamen HIERON. MERCVRIALIS *Tractatus de morbis puerorum*, Venetiis 1583. in 4. impressus, MARII ZVCCARI *Tractatus de morbis puerorum*, Neapoli 1604. 4. exscriptus & FRANC. RANCHINI *Tractatus* c) *de morbis puerorum*, CONRINGIO d) iudice, omnibus reliquis facile praeferendi erunt. E recentioribus contra MICH. ETTMÜLLERI *Valetudinarium* e) *infantile*, GVALTHERI HARRIS f) *Tractatus de morbis acutis infantum*, GEO. WOLFFG. WEDELII *Liber de morbis infantum*, Ienae 1717. 4. euulgatus, THEOD. ZWINGERI *Paedoïatreia practica* Basil. 1722. 8. luci exposita, & FRID. HOFF-

MANNI *Tr. de morbis* g) *infantum*, maximos applausus meruere. De morbis adultorum LAVR. HEISTERVS in *Diss. de morbis adolescentum*, Helmstadii 1724. 4. edita, & ROBERTVS WELSTEDIVS in *Libro de adulta aetate*, Londini 1725. 8. diuulgato, solliciti fuerunt. De morbis senum plura quidem exstant scripta; quum autem horum pleraque diaetetice h) magis, quam pathologice & practice, sint elaborata; possunt adeo inter antiquiores quidem DAV. DE POMIS *Enarratio breuis de senum affectibus praecauendis & curandis*, Venetiis 1588. 4. excusa, FRANC. FOGEROLAEI *Tractatus de senum affectibus praecauendis & curandis* Lugduni 1610. 4. publicatus, &, qui inter FRANC. RANCHINI opuscula medica exstat, *Libellus de senum conseruatione & senilium morborum curatione*: inter recentiores autem IO. GOTHOFR. BERGERI *Dissertatio de morbis senum*, Wittebergae 1693. 4. publice emissa, FRID. SCHRADERI *Diss. de senectutis praesidiis* Helmstadii 1699. 4. luci exposita, denique ROB. WELSTEDII *Liber de vergente aetate*, Londini 1724. 8. publicatus, commode hic locum suum tueri.

a) Vide FREINDII *Historiam medicinae* parte II. pag. 88. sequ.

b) Elenchus horum legitur in LINDENII *renouati* libro II. p. 65. quamuis IAC. PRIMEROSII *Tr. de morbis puerorum*, Roterodami 1659. typis expressus in 12. ex lapsu memoriae sit praeteritus. Quoniam vero plerique libros suos practice potius, quam pathologice composuerunt, horum quoque multi leuiculi sunt momenti; ideo praestantissimos tantum illorum hoc loco volui producere.

c) Vide eius opuscula medica, de quibus iam tom. I. cap. V. §. 21. me dixisse, memini.

d) In *Introduct. in art. medic.* cap. V. §. 19. 20. In IO. RHODII *Bibliothec. medica* p. 153. princeps HIERONYMO MERCVRIALI sedes concessa, & ipse inter autores, qui in certis materiis excellunt, relatus est.

e) Lipsiae 1675. 4. Idem deinceps autoris operibus omnibus insertum, & a IO. HERM. FÜRSTENAVIO in *Desideratis medic* pag. 101. sequenti ornatum fuit encomio: Argumentum de morbi

bis infantum a MICH. ETTMÜLLERO & GVALT. HARRIS fere in totum exhaustum est.

f) Londini 1689. 8. Geneuae 1696. 8. & auctior Amstelod. 1715. 8. Translatio germanica Francofurti 1691. 12. impressa fuit, gallicana autem a IOHANNE DEVAVX curata; liber ipse denique ab HERM. BOERHAAVIO in *Methodo discendi medicinam* p. 442. ceu incomparabilis pretii, commendatus est.

g) Tractatus hicce seorsim quoque, in germanicam transfusus linguam, Francofurti 1741. 8. prodiit.

h) Ex. gr. GABR. DE ZERBIS *Gerontocomia, seu, de senum cura atque victu, tractatus.* Romae 1489. 4. AVREL. ANSELMI *Gerocomica, siue, de senum regimine libri tres*, Venet. 1606. 4. BENED. DE BACQVERE *Senum medicus & salutator*, Colon. 1673. 8. BERNARD. STAINERI *Gerocomicon.* Wittebergae anno 1681. 4. &c.

§. II.

Quantum spectat morbos ratione diuersorum humani generis sexuum; notus est HIPPOCRATIS *Libellus de morbis virginum*, quem IOH. STEPHANVS peculiari illustrauit *Commentario*, Venetiis anno 1635. 4. seorsim impresso, postea que vniuersis i) eius operibus adnumerato. Quemadmodum autem fragmentum hocce *Hippocraticum* parui est momenti: ita FRANC. RANCHINI *Tractatus de morbis virginum*, opusculis ipsius medicis insertus, citra controuersiam maiori cum fructu legetur; GVILIELMI tamen BALLONII *De virginum & mulierum morbis liber*, Lutet. Paris. 1643. 4. editus, omnibus reliquis huius generis scriptoribus ab HERM. BOERHAAVIO k) fuit praelatus. De morbis mulierum qui agerent, longe plures fuere; quum vero plerorumque scripta in indicatis iam supra l) *Collectionibus gynaeciorum* iuncta inueniri possint: breuiter tantum obseruasse iuuabit, inter opera insequuto tempore hac de materia edita, IO. RAPHAEL. MOXII *Methodi medendi morbis mulieribus acutis libros quatuor*, Colon. Allobrog. 1612. 8. & IO. VARANDAEI *De morbis mulierum libros tres*, Hanou. 1619. 8. prelis expeditos, ab HERMAN. m) CONRINGIO valde laudatos; e contrario RODE-

RICI A CASTRO *Vniuersam* n) *mulierum medicinam* contemtim o) ab eodem habitam fuisse. HERMANNVS porro BOERHAAVIVS modo nominato GVIL. BALLONIO, & FRANC. p) MAVRICEAV praecipuam q) hoc in argumento laudem tribuit. His omnibus GEORG. ERN. STAHLII Tractatus germanice scriptus, & inscriptus: *Ausführliche Abhandlung von den Zufällen vnd Kranckheiten des Frauenzimmers*, Lipsiae 1724. 8. diuulgatus, addi merito poterit. Similiter quoque lego, librum anglicano scriptum idiomate, cui titulus: *The Female Physician, by* JOHN MAVDRAY, Londini 1724. 8. typis exscriptum, in actis eruditorum anni 1725. mens. April. haud parum laudari.

i) Vide de his tom. I. cap. V. §. 24.

k) In *Methodo discendi medicinam* p. 448. seq.

l) Vide tom. I. cap. VII. sect. II. §. 7.

m) In *Introduct. in art. medic.* cap. V. §. 18. Insignia etiam habet quaeque alibi non reperiantur, IOAN. VARANDAEVS, Monspeliensis, vt & IO. RAPHAEL MOXIVS, Gerundensis Hispanus, cuius opus de morborum muliebrium per venae sectionem curandi ratione peregregium est & lectu apprime dignum. CASPARVM autem A REIES in *Elysio iucundarum quaestionum campo*, de VARANDAEI opere parum honorifice loquutum esse, id equidem e quaest. 49. pag. 610. disci poterit.

n) Hamburgi 1604. fol. 1617. 1628. 1662. 4. & Coloniae Agripp. 1689. ead. form.

o) Citato iam loco, vbi haec leguntur: Multa quoque habemus in peculiari huius generis volumine RODER. DE CASTRO, Iudaei Hamburgensis, cuius liber doctus quidem est, non tamen, vt titulo respondeat, neque illam laudem, quam affectauit, mereatur. Longe tamen aliam mentem fuisse IOH. RHODIO, hincque RODERICVM A CASTRO inter autores, qui in certis materiis excellunt, laudasse, abunde testabitur eius *Bibliotheca medica* pag. 154.

p) *Traité des maladies des femmes grosses, & de celles, qui sont accouchées, par* FRANÇOIS MAVRICEAV, à Paris 1722. in 4. quae fuit sexta huius libri editio, ob sui praestantiam in germanicam, anglicam & alias linguas etiam translati.

q) In *Methodo discendi medicinam* p. 449. Egregius est MORISAEVS in opere de morbis grauidarum, parturientium & puerperarum. Scripti sunt hi libri sine eruditione, sed post annosissimam experien-

rientiam millenorum certe casuum & experimentorum. SCHELHAMMERVS quoque in *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 18. ita iudicauit : Non hic silentio praetereundus nuperus scriptor gallicus, FRANC. MAVRICEAV, qui de puerperarum cura habenda peregregie scripsit, cuius etiam liber, non exigua vtilitate ad obstetrices redundante, nuper in germanicum idioma translatus est.

§. III.

De morbis quoque certarum gentium ac regionum solliciti fuerunt non nulli. Et in genere quidem hoc ipsum argumentum in CHRISTIAN. IOAN. LANGII r) *Dissertatione de morbis endemiis*, Lipsiae 1694. 4. in IOH. IAC. WEPFERI *Dissertatione de morbis climatum*, Duisburgi 1704. 4. optime autem in FRID. HOFFMANNI *Dissertatione de morbis certis regionibus & populis propriis*, Halae 1705. 4. edita deductum fuit. Alii contra in specie circa vnam tantum regionem quandam occupati fuere. THOM. BARTHOLINVS peculiarem commentatiunculam *De morbis Danorum curandis*, *Dissertationibus* suis *decem de medicina Danorum domestica*, Hafniae anno 1666. in 8. impressis, inseruit. CAROLVS CLARAMONTIVS *Dissertationem de aëre, solo & aquis angliae, deque morbis anglorum vernaculis*, Londini 1672. 12. euulgauit. ROBERTVS SIBBALDVS in *Scotia illustrata*, Edinburgi 1684. fol. edita, de morbis Scotorum egit. PROSPER porro ALPINVS *De medicina Aegyptiorum*; IACOB. BONTIVS *De medicina Indorum*; ANDR. CLEYERVS *De medicina Sinica*; GVIL. TEN RHYNE *De acupunctura Iaponensium*; quae scripta singula iam & omnia tom. I. cap. I. sect. II. §. 18. seqq. recensita sunt, de morbis Aegyptiorum, Indorum, Sinensium & Iaponensium diuersa simul proferunt. Sic & ENGELB. KAEMPFERVS in allegatis iam s) *Amoenitatibus exoticis*, de morbis atque medicina Persarum non nulla interspersit.

r) Mirari subit, cur haec dissertatio in operibus omnibus CHRIST. IO. LANGII Lipsiae 1704. in fol. impressis non inueniatur ?

s) Videatur tomi I. cap. VI. sect. IV. §. 6.

§. IV.

Inter illos, qui morbos iuxta diuersas adeo viuendi rationes atque conditiones hominum considerauerunt, praecipui sunt ii, quos IO. HERM. FÜRSTENAVIVS in *Desideratis medicis* pag. 103. sequ. iam nominauit. De morbis eorum, qui in aulis principum vitam degunt, sollicitos se gesserunt IO. IAC. WALDSCHMIDTVS in *Dissertatione de morbis aulicis*, Marpurgi 1686. 4. typis excusa; & GEO. ERN. STAHLIVS in *Programmate de morbis aulicis*, Halae 1705. 4. emisso. POLYCARP. GOTTL. SCHACHERVS *Dissertationem de eruditorum morbis* Lips. 1719. 4. in lucem exposuit litterariam; ERN. porro HENR. WEDELIVS *Dissertationem de morbis concionatorum* Ienae 1699. 4. edidit; & IO. denique HERM. FÜRSTENAVIVS *Epistolam* ad ZACH. CONR. AB VFFENBACH *De morbis ICtorum* *) diuulgauit, qui & ipse *Dissertationem de morbis medicorum*, Rintel. 1732. 4. typis expressam, exarauit. BERNHARDINVS RAMAZZINI pulcherrimam illam lectuque adeo dignam *Diatriben de morbis artificum* publico commodo dedit, quae optimo habitu t) Patauinis prelis anno 1713. 8. exiit. FRIDER. HOFFMANNVS *Dissertationem de metallurgia* u) *morbifera*, & MICH. ALBERTI *Dissertationem de metallicolarum non nullis morbis*, Halae 1721. 4. excusam, conscripserunt. SAMVEL STOCKHVSIVS *De montano metallicidis familiari affectu*, Goslariae 1656. 12. tractatum prodire iussit; THEOPHRASTVS denique PARACELSVS etiam *Tres libros* w) *de morbis metallurgorum* reliquit. In morbos nautarum W. COCKBVRNIVS & IO. GLAVBERVS inquisiuerunt. *De affectibus rusticorum* IO. HENR. FVCHSIVS peculiari dissertatione, Duisburgi 1714 4. impressa, egit. Plures autem fuere, quos morbi militibus vsitati tenerent occupatos. Postquam enim ARNOLD. VILLANOVANVS *In regimine* x) *castra sequentium* prima veluti vestigia huius operae monstrauerat, tam superiori,

quam

quam praesenti saeculo mox complura huius argumenti scripta comparuerunt in conspectu orbis litterati, quorum potissima facile fuerint sequentia: RAIMVND. MINDERERI y) *Medicina militaris;* IO. VALENT. WILLII *Tractatus de morbis* z) *castrensibus internis;* TOB. COBERI *Obseruationum medicarum castrensium* a) *Hungaricarum decades tres;* DAN. LVDOVICI *Tractatus de morbis* b) *castrensibus,* & IANI ABRAHAMI A GEHEMA germanice scriptus liber, cui titulus: *Krancker* c) *Soldat;* & alter inscriptus: *Feld-Medicus* d). Quibus e recentissimis IOH. STORCHII *Abbandlung von Kranckheiten der Soldaten,* Isenaci 1735. 8. & IO. GEORG. HEINR. KRAMERI *Medicina castrensis* Viennae & Norimb. 1743. 8. impressa prae ceteris adhuc iungenda.

s) Francofurti ad Moen. 1721. 8.

t) Vid. *Giornale de' Letterati d'Italia*, tom. XVII. pag. 217 - 247. Inuenitur etiam hoc ipsum opusculum inter opera eius vniuersa, quorum tom. I. cap. V. §. 31. mentio a me iniecta.

u) Halae annis 1695. & 1705. in 4.

w) Dillingae anno 1567. 4. Ex praefatione patet, quod SAMVEL ARCHITECTVS eos primus e manu exaratorum scriniis productos, anno & forma modo indicatis, edendos curauerit.

x) Videatur tomi I. capitis V. §. 5.

y) Augustae Vindelic. 1620. 8. Norimb. 1667. 12. Vbi silentio praeterire nolui, quod CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 13. de hoc libro perquam honorifice pronunciauerit; immo cap. XII. §. 4. libellum paruum, sed elegantissimum eum vocauerit.

z) Hafniae 1676. 4. & nuper admodum Hagae comit. 1739. 8. Ex Epistola a THOMA BARTHOLINO adiecta patet, quanto hic studio tractatum istum commendarit.

a) Francofurt. 1606. 8. & Helmstad. 1685. 4. quae posterior editio praefationem HENR. MEIBOMII praemissam sibi habet, in qua autorem reliquis omnibus huius indolis scriptoribus praetulit, adiecto simul voto, vt & reliquae decades, in manuscriptorum latebris hactenus occultatae, publica luce frui possent.

b) Vid. eius opera medica tom. I. cap. V. §. 28. recensita.

c) Hamburgi 1690. 12.

d) Ibidem 1684. 12.

§. V.

De morbis hereditariis qui peculiariter scribendi sibi sumerent argumentum, etiam non defuere medici. DERMVTII DE MEARA *Pathologia haereditaria generalis, siue, de morbis haereditariis tractatus spagyrico-dogmaticus*, Dublini 1619. 8. excusus, Londini vero 1665. 8. & Amstelodami 1666. 12. recusus, in SCHELHAMMERI *Additamentis ad Conringii introduct.* cap. V. §. 20. vocatur opusculum satis elegans, licet exiguum, nisi quod chemicis ineptiis autor indulserit. IAC. IANI *Dissertatio de morbis haereditariis*, Wittembergae 1627. 4. ROB. LYONNET *Dissertatio de morbis haereditariis*, Lutetiae Parisiorum 1646. 4. & IOACH. ARNOLD. WICHMANNI *Dissertatio de morbis haereditariis*, Erfurti 1688. 4. in lucem prodierunt; THEODORI autem ZWINGERI *Tractatus de naturae humanae inclinationibus ac dispositionibus haereditariis*, Basileae anno 1701. 4 publici iuris est factus. De morbis porro incurabilibus, aetate antiquiore, BARTHOLOM. e) HVBNERVS, & BRVNO f) SEIDELIVS peculiariter egerunt, quanquam vtriusque opera a IO. ANTONIDE VAN DER LINDEN g) parui indicatur esse momenti. E recentioris autem aetatis scriptoribus, BERNH. ALBINI *Dissertatio de atherapeusia morborum*, Francofurti ad Oder. 1694. 4. & GEORG. ERN. STAHLII *Dissertatio de morbis corruptis*, Halae 1702. in 4. & eiusd. *Dissert. de affectibus incurabilibus*, ibid. anno 1705. 4. impressae, legi merentur.

e) BARTHOL. HVBNERI *De morbis incurabilibus liber.* Erphordiae 1589 4.

f) BRVNONIS SEIDELII *Liber, morborum incurabilium caussas erudite explicans.* Francof. 1593. in 8. & Lugduni batau. 1662. 8.

g) In *Manuductione ad medicinam* p. 96. vbi scribit: Magni nihil ab his praestitum. Neque fuit huc vsque, qui potioribus neruis incubuerit in curam morborum, quos insanabiles, vel iam inde a principio, vel post talem quampiam periodum, medici decernunt, satis medius fidius indecenter & imperite. Quandoquidem neglectum sic & incuriam veluti lege sanciant, & ignorantiam ab infamia eximant.

§. VI.

§. VI.

De morbis contagiosis, quos HIER. PERLINVS in *Declamatione aduersus morborum contagionem, huiusque autores & fautores*, Hanou. 1613. 4. edita, dubios reddere studuit; diuersi exstant autores. Et quidem HIER. h) FRACASTORII *Libri tres de contagione & contagiosis morbis* & IVLII PALMARII i) *de morbis contagiosis libri VII.* a GÜNTH. CHRISTOPH. k) SCHELHAMMERO & a IO. RHODIO l) ceu melioris notae sunt commendati; nec minus tamen MELCHIORIS quoque SEBIZII *Dissertatio de morbis contagiosis & contagio*, Argentorati 1650. 4. excusa, bonae frugis legentibus spondet. De morbis occultis & venenatis habemus HIER. m) MERCVRIALIS *Libros II. de venenis & morbis venenosis;* EVSTACH. RVDII n) *Libros quinque de morbis occultis & venenatis;* & DAN. SENNERTI o) practicae medicinae librum sextum de morbis occultis: quibus optimo iure IOAN. BAPT. SYLVATICI *Institutionem medicam de iis, qui morbum simulant, deprehendendis* p). addere queas. De morbis contra subitaneis FRANC. RANCHINVS q) in *Tractatu de morbis subitaneis;* optime vero IO. MARIA LANCISIVS in *Libris suis* II. nimium quantum aestimandis *De mortibus* r) *subitaneis*, qui operibus eius iunctim s) editis inserti habentur, egerunt.

h) Venet. 1546. 8. Lugdun. 1550. 12. Adiecti postmodum sunt operibus eius philosophicis & medicis, quorum tom. I. cap. V. §. 13. mentionem iam feci.

i) Lutetiae 1578 4. Francof. 1601. 8. Hagae comit. 1664. 8.

k) In *Additamentis ad Conringii introduct.* cap. V. §. 20. De contagiosis morbis extat liber longe doctissimus HIERON. FRACASTORII: post quem idem argumentum haud parum illustrauit IVL. PALMARIVS. Neuter tamen agit vel generatim, vel de omnibus, sed praecipuos exequuntur, magisque formidabiles.

l) In *Bibliotheca medica* pag. 153. vbi PALMARIVM autoribus, qui in certis materiis excellunt, adnumerauit.

m) Francofurti 1584. 8. Basileae 1586. 8. Venetiis 1601. 4. Inueniuntur etiam in eius opusculis selectioribus, de quibus tom. I. cap. V. §. 23. dixi.

n) Venet. 1610. fol. RHODIVM hoc opus reliquis antetulisse, autoremque in numerum eorum, qui in certis materiis excellunt, retulisse, discere poteris ex eius *Bibliotheca medica* p. 154.
o) Sextus hicce liber initio Wittembergae 1635. 4. separatim prodiit.
p) Mediolani 1595. 4. Francofurti 1671. 12.
q) Vide opuscula eius medica tom. I. cap. V. §. 22. indicata.
r) Lipsiae 1709. 8.
s) Vid. Tom. I. cap. V. §. 31. ad quem locum hoc additum velim, LANCISII opera omnia Geneuae 1725. in 4. & Venetiis 1739. in folio recusa esse.

§. VII.

Quandoquidem etiam accidit, vt varii, iique rarius obuenientes morbi a vulgo practicorum aut plane omitterentur, silentioque inuoluerentur omnimodo; aut non plene satis describerentur: fuerunt adeo, qui huic quoque desiderato pro viribus mederi conarentur. PETRI SALII DIVERSI *Curationes* t) *quorundam particularium morborum, quorum tractatio ab ordinariis practicis non habetur*, in IO. RHODII *Bibliotheca medica* pag. 153. comparent in ordine illorum autorum, qui in certis materiis excellunt, & quidem loco principe. IO. WIERI, seu, WEYERI liber, germanice scriptus, inscriptusque: *Artzney-Buch von etlichen vnbekannten vnd vnbeschriebenen Kranckheiten*, Moeno-Francofurti 1588. 8. & 1599. pari forma impressus, lectu & vtilis & iucundus est. CAR. PISONIS *Selectae obseruationes de praeteruisis hactenus morbis ex serosa colluuie ortis*, sectione priore cum laude sunt allegatae. ARNOLD. BOOTII *Obseruationes medicae de affectibus* u) *omissis*, tanti momenti visae sunt HENR. MEIBOMIO, quas, praefatione sua ornatas, Helmstadii recudendas curaret. De morbis porro nouis, quos omnino negare IO. w) LANGIVS voluit, IO. x) HEVRNIVS, LVDOV. y) SEPTALIVS, HERM. z) BOERHAAVIVS, & GEORG. PASCHIVS in *Inuentis nou-antiquis* p. 377. seqq. euolui poterunt: cui lubuerit, poterit & repetere, quae ipse hac de re, cum in *Historia medicinae Stolliana*, pag. 541. seqq. tum & in

in *Compendio historiae medicae* pag. 252. seq. in medium attuli.

t) Bonon. 1584. 4. Francof. 1586. 8. Harderouici 1656. 8. Amstelod. 1681. 8.

u) Londini 1649. 12. Helmstad. 1664. 4. & Francofurt. 1676. 8.

w) In *Epistol. medicinal.* lib. I. epist. 42. & lib. II. epist. 13. 14. 15.

x) In *Epistola de morbis nouis & mirandis*, operibus eius, tom. I. cap. V. §. 19. adductis, adiecta

y) LVDOV. SEPTALII *De morbis ex mucronata cartilagine euenientibus liber vnus; opus nouum, & de nouiter cognitis morbis editum*, Mediolani 1632. 8. Librum huncce, vna cum BAPT. CODRONCHII *Libello de morbo nouo, prolapsu scilicet mucronatae cartilaginis*, Venet. 1603. 4. impresso, pari modo a IO. RHODIO iis, qui in certis materiis excellunt, adsociatum esse, docet eius *Bibliotheca medica*. p. 154.

z) HERM. BOERHAAVE *Atrocis nec descripti prius morbi historia*. Lugduni batau. 1724. 8. Eiusd. *Atrocis rarissimique morbi historia altera*. Ibid. 1728. 8.

§. VIII.

Circa morbos veneficos, seu a fascino ortos, quales IO. a) WIERVS & IO. IAC. SCHARANDAEVS dari omnino negarunt, multi negotium sibi facessiuerunt. BAPT. CODRONCHII *De morbis veneficis ac veneficiis* libri IV. Venetiis 1595. 8. & Mediolani 1618. 8. excusi, a IOH. RHODIO b) optimis huius generis scriptoribus sunt adsociati, nec G. C. SCHELHAMMERO c) illaudati. HIER. IORDANI *Tract. de eo quod diuinum aut supernaturale est in morbis humani corporis*, Francofurti 1651. 4. editus, breuis est; IOANNIS contra CHRISTIANI FROMMANNI *Tractatus de fascinatione nouus & singularis*, Norimbergae 1675. 4. impressus, quem DAN. GEORG. MORHOFIVS d) omnium superstitionum anilium pandectas vocauit, eo est diffusior. GEORG. ABRAH. MERCKLINI *Sylloge physico-medicinalium casuum, incantationi vulgo adscribi solitorum, maximeque prae ceteris memorabilium, Decurias VI. complectens, cum huc spectantibus iudiciis & curationibus*, Norimbergae 1698. 4. impressa, appendice e) aliquot tractatuum huc pertinentium, ab aliis

aliis medicis conſcriptorum, aucta eſt. De IOAN. CASP. WESTPHALI *Pathologia daemoniaca, ſeu, obſeruationibus & meditationibus phyſiologico-magico-medicis circa daemonomanias, ſimilesque morbos conuulſiuos a faſcino ortos, daemonibus olim graecorum, ethnicorum ac iudaeorum aereis, hodie vero obſesſioni aliisque diaboli infernalis tentationibus & operationibus ſuperſtitioſe adſcriptos,* Lipſiae 1707. 4. luci expoſita publicae, hoc vnum paucis adnotabo, autorem huius operis, varia ſibi hoc ipſo ſcripto attraxiſſe incommoda.

a) In famoſo illo, *De praeſtigiis daemonum & incantationibus ac veneficiis*, opere; ſpeciatim vero in *Libro de lamiis:* de quo *Hiſtoria bibliothecae Fabricianae* part. III. p. 473. ſeqq. videri poteſt.

b) In *Bibliotheca medica* pag. 155.

c) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 20. pag. 212. Eminet in morbis ſupernaturalibus triga ſcriptorum, IO. BAPT. CODRONCHIVS, HIER. IORDANVS, CONRINGII auditor non ineptus, & nuperrimus FROMMANNVS, qui reliquos rerum amplitudine ſuperauit.

d) In *Polyhiſt.* tom. II. lib. II. part. II. cap. VIII. §. 8. p. 310.

e) *Acceſſ. loco mantiſſae:* I. *Quaeſtio ſolemnis, an monſtra varia illa excreta reuera in corpore fuerint, vel extrahantur, an vero praeſtigiae daemonis ſint, extra ſaltim talia in corporis ſuperficie oſtentantis?* II. HELMONTII *tractatus de receptis iniectis: de iniectis materialibus; de iniaculatorum modo intrandi.* III. LAEVINI FISCHERI *Tractatus de morbis magice per ſagas inductis naturaliter curandis.* IV. BARTH. CARRICHTERI *Ratio medendi morbis ab incantatione dependentibus, latinitate donata.* V. *Collectanea & ſecreta Myliana ad morbos magicos, maximam partem e german. in latin. linguam translata & nunc primum edita.* Vid. tom. I. c. VII. ſect. II. §. 12.

§. IX.

Morbos quoque illos, quorum in ſacro codice fit mentio, peculiariter illuſtrandi operam in ſeſe non ſuſcepere nulli. GVILIELMI ADERI *Enarrationes de aegrotis & morbis in euangelio*, Toloſae anno 1620. & 1623. 8. editae, iudice VALENT. HENR. VOGLERO, exiguae admodum ſunt f) autoritatis; etiamſi criticis ſacris anglicanis cum aliis fuerint inſertae. VINCENTII MOLES *Pathologiam de morbis in ſacris lit-*

litteris, Matriti 1642. 4. impressam, vlterius haud noui, quam quod eandem in NIC. ANTONII *Bibliotheca Hispana noua*, tomo II., p. 264. citatam inueni. Idem mihi dicendum de MARCELLINI VBERTE *Medicina sacra de morbis*, *quorum mentio fit in sacris litteris*, Caesaraugustae 1645. 4. diuulgata, qui liber ex LINDENIO *renouato* p. 773. saltim mihi innotuit. Certiora sunt, quae de THOMAE BARTHOLINI *Miscellaneis medicis de morbis biblicis*, Francofurti 1672. 8. excusis, adserere possum, ea, ob sui praestantiam, prae aliis multis locum hic mereri. VALENT. HENR. VOGLERI *Commentarius de rebus naturalibus ac medicis*, *quarum in scripturis sacris fit mentio*, Helmstadii 1682. 4. luci expositus litterariae, amplioris quidem est ambitus pluraque complectitur; nihilo tamen minus & hic locum aliquem tueri potest. CONR. IOHRENII *Dissert. de morbis biblicis noui testamenti*. Francofurti ad Viadrum est impressa anno 1704. 4. CHRISTIANI WARLITZII *Diatribe de morbis* g) *biblicis* Wittenbergae 1714. 8. in publicum prodiit. In GEORG. WOLFFG. WEDELII *Exercitationibus medico-philologicis sacris & profanis*, quarum iam superius h) memini, multa huc pertinentia i) inueniuntur; plura autem in GEORG. GOETZII nuper coepta k) collectione exspectari poterunt.

f) Vid. *Histor. bibliothecae Fabricianae* part. I. p. 335. seq.

g) Longe plenius autem opus de morbis biblicis veteris & noui testamenti manu exaratum eum reliquisse, testantur CHRISTIAN. GRVNDMANNI *Ossa & cineres litteratorum anno* 1717. *defunctorum*, pag. 93. sequ.

h) Vid. Tom I. cap. VI. sect. IV. §. 6.

i) V. gr. *De morbis senum Salomoneis*; *de morbo* HIOBI; *de morbo* NABALIS: *de morbo* HISKIAE; *de morbo* IORAMI; *de ecstasi putata* CHRISTI; *de agonia* CHRISTI; *de* LAZARO *ante portam*; *de* PAVLO *a vipera demorso*; *de foemina profluuio sanguinis per* 12. *annos laborante*; *de morte* IVDAE *proditoris*; *de lepra in sacris*; *pestilentia in sacris* &c.

k) Sub titulo: *Variae celeberrimorum medicorum obseruationes, quibus multa loca noui testamenti docte illustrantur. Collegit D.* GEORGIVS GOETZIVS. *Fasciculus primus.* Altorf. 1740. 8.

§. X.

§. X.

Sub finem huius sectionis paucorum non nullorum, huc tamen omnino spectantium, scriptorum mentio adhuc mihi est iniicienda. HENR. MEIBOMIVS *Dissertationem de morbis vernalibus* Helmstadii anno 1677. 4. & THEOPH. MÜLLERVS l) instructionem germanice scriptam, *Bericht von Winter-Kranckheiten*, de morbis hiemalibus, Moeno Francofurti 1687. 8. emisit; quibus CHRISTIANI IOANNIS LANGII *Dissertatio de homine aerometro*, quae inuenitur in eius operibus, merito addenda est. GEORG. ERN. STAHLIVS *Dissertationem de morbis habitualibus*, Halae 1698. 4. & *Dissertationem de affectibus periodicis*, Halae 1702. 4. diuulgauit. A IOH. GODOFR. MAGIRO accepimus *Dissertationem de morbis complicatis*, Traiect. ad Rhen. 1698. 4. impressam. IO. FRID. ORTLOBII *Scrutinium recidiuarum* Lipsiae 1696. 4. & GEORG. ERN. STAHLII *Dissertatio de morbo retrogrado* Halis 1697. 4. plera reliquerunt. Nec minus viri huius celebris *Dissertatio de frequentia morborum in corpore humano prae brutis*, Halae 1705. 4. emissa & *Dissertatio de infrequentia morborum personali*, ob res maximi momenti quidem in vtraque detectas, a vulgo autem medicorum nondum pro eo, ac fas erat m), obseruatas, attente legi merentur.

l) Vid. *Bibliothec. Meibomian.* part. III. p. 180.

m) Vid. FÜRSTENAV *Desiderat. medic.* p. 97. seq. In historia morborum desideramus merito mentionem frequentiorem infrequentiae morborum, de qua altum plerumque penes autores pathologos est silentium, quippe qui morbos in vniuersum omnes ita describere solent, vt inde haud dispalescat, vtrum isti vel omnibus hominibus, vel his illisque rarius aut frequentius contingant, neque inter id, quod fieri potest, &, quod fieri communiter solet, satis distinguunt, in quo tamen maximum latere momentum, in aprico est. Enimuero primus ex omni medicorum familia fuit, qui cum immortali nominis celebritate tum plura alia vtilissima hactenus ignota dogmata, tum hanc praesertim morborum infrequentiam personalem, seu raritatem morborum, in lucem produxit, aliisque considerandam proposuit, doctissimus vir, GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS.

CAP.

CAP. IV.

DE SCRIPTORIBVS SEMIOLOGICIS.

§. I.

Quum ex artis nostrae historia iam tum satis notum sit, a me quoque ipso alia iam occasione a) obseruatum, ex omnibus medicinae partibus semioticen ad nostram vsque aetatem maxime sterilescere, nec satis eam excultam esse; numerum etiam illorum, qui, peculiaribus scriptis editis, de eadem, pro eo ac decebat b), sollicitos se praestiterint, oppido rarum atque exiguum c) esse: rebus sic stantibus, equidem, pro instituti mei ratione, praestantissimos saltim & maximi momenti scriptores adducturus sum; remisso de cetero lectore, plura sciendi auido, ad citatum iam tomo I. cap. I. sect. IV. §. 13. IOAN. GEORG. SCHENCKII *Tractatum de semiotica eiusque scriptoribus*.

a) Vid. *Stolliana medicinae historia* p. 552.

b) Exstat quidem numerus haud modicus scriptorum eiusmodi, qui v. g. de pulsibus, de vrina &c. seorsim scripserunt: at tales horum sunt plerique, vt eorum laboribus facile supersedere queas.

c) Vid. GEORG. WOLFFG. WEDELII *Praefatio*, quam IODOCI LOMMII *Obseruationibus medicinalibus* praemisit, vbi scribit: Rarissimi sunt scriptores medici, qui distincto labore semioticen tractandam suscepere. Et I. H. FÜRSTENAVIVS in *Desideratis medicis* p. 198. consentit, scribens: Primo quidem loco insignem illam scriptorum semioticorum raritatem desiderati loco medici annotamus.

§. II.

Distribuam adeo praesens caput, aeque ac superiora, in sectionem geminam: recensiturus in vna quidem illos autores, qui circa semioticen, & speciatim circa diagnosin & prognosin morborum, in genere, occupati fuere. In altera porro, illis scriptoribus particularibus, qui exempli gratia, de pulsibus, vrina, sudo-

ſudore, inſpectione linguae, faciei & ſputi, aliisque eius indolis materiis ſpecialibus, peculiariter egerunt, locum ſuum adſignabo.

CAP. IV. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS SEMIOLOGICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores ſemiologici graeci. §. *1.* *Latini, Arabes, & latino-barbari* §. 2. *Scriptores ſemiologici ſaeculi XVI.* §. *3.* *Saeculi XVII.* §. *4.* *Scriptores recentisſimi* §. *5.* *Scriptores de prognoſi* §. *6-8.* *Scriptores de criſi & diebus criticis.* §. *9. 10.*

§. I.

Graecanicos inter ſcriptores, quorum quidem ſcripta ad nos peruenerunt a) HIPPOCRATES, ARETAEVS atque GALENVS, quoad praeſens argumentum, ſummam iam dudum ſibi acquiſiuerunt exiſtimationem. Quantum perſpicacis ingenii robur circa diagnoſin ac prognoſin morborum *primus* iſtorum oſtenderit, id vero ſatis teſtari opera ab illo relicta & huc b) ſpectantia valebunt; vtpote quibus ad hanc vsque aetatem primas hac in parte deferre omnes ſunt ſoliti. Illuſtrata quoque ſunt eadem & perpolita veluti compluribus cum veterum tum recentiorum medicorum c) commentariis; maximam tamen, inter poſteriores, gloriam atque laudem IACOB. d) HOLLERIO, LVDOV. e) DVRETO, & HIER. f) MERCVRIALI, hac in re tribuit GEORG. g) BAGLIVVS. ARETAEI ſollertia, quam in *Libris IV. de causſis & ſignis morborum acutorum & diuturnorum*, demonſtrauit, ab HERM. h) CONRINGIO pro merito

merito laudata est. CLAVDII vero GALENI *Semiologica* i) *opera*, quae, iuxta IANI CORNARII distributionem, in classe IV. operum GALENI inueniuntur, quod attinet, *Librorum* tantum eius *VI. de locis affectis* k) mentionem hic sum facturus, qui prae reliquis magni sunt aestimandi l); etiamsi autor eorum dictatorem falli nescium in republica medica agere, nimisque magna de se ipso m) praesumere voluerit, affectans quendam in hoc regno principatum. Ceterum triumuiris his graecanicis, de re semiotica tam eximie meritis, ALEX. TRALLIANVM, ob eius in diagnosi morborum probatam dexteritatem, adsociare, adeoque quendam veluti quatuoruiratum potius constituere, nullus dubitauit IO. FREINDIVS: de quo *Historia medicinae*, ab illo conscripta, testatur, parte II. p. 130. sequ.

a) DIOCLIS namque *Liber prognosticorum;* PRAXAGORAE *Libri II. de signis assidentibus*; HEROPHILI *Commentaria in* HIPPOCRATIS *prognostica*; DEMETRII *Liber signorum*; ARCHIGENIS *Libri tres de locis affectis*, & *libri X. de signis febrium* &c. dudum inter deperdita numerantur. Id quod breuiter & veluti obiter tantum significare me, oportuit.

b) Inueniuntur illa in editione ab ANVTIO FOESIO curata operum HIPPOCRATIS sectione II. serie sequenti: *Praenotionum, seu, prognosticorum liber I. de humoribus liber I. de iudicationibus liber I. de diebus iudicatoriis liber I. prorrheticorum, seu, praedictorum libri II.* & *coacae praenotiones in breues sententias distinctae.*

c) Index eorum in A. O. GOELICKII *Historia medicinae* pag. 726. seq. legi poterit.

d) *Magni* HIPPOCRATIS *Coaca praesagia*, *cum interpretatione* & *commentariis* IAC. HOLLERII, *opera* DESIDERII IACOTII *in lucem edita. Accedunt eiusdem* DESID. IACOTII *Commentariorum ad idem opus libri tredecim*, *tribus sectionibus* distincti. Lugd. 1576. fol. Quanta CONRINGIO autoritate polluerit HOLLERIVS, docet illius *Introduct. in artem medicam* cap. III. §. 34. vbi haec leguntur: Eadem aetate vixit IAC. HOLLERIVS, medicus eximiae eruditionis, atque *Hippocraticae* medicinae obseruantissimus, & post vnum GALENVM summus interpres, quique inter recentiores omnium primus eandem felici cum successu illustrare conatus est. Quantum vero ad DESID. IACOTII meditata

his adiecta attinet, non praetereundum mihi videtur, nonnullos eum plagii suspectum reddere voluisse, ac si HOLLERII manuscripta compilasset.

e) HIPPOCRATIS *Coacae praenotiones, opus admirabile in tres libros distributum. Interprete & enarratore* LVDOV. DVRETO. Paris. 1588. f. 1621. f. 1658. fol. & Geneu. 1665. fol. In IOANNIS ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductione ad medicinam* pag. 87. seq. lego sequens iudicium: In explicandis coacis praesagiis DVRETVM praefero, virum ingenio praepotentem, artis vsu singularem, atque in hac doctrina eminentem. Adeo nihil est, quod in eo desideres, praeter simpliciorem obuiamque magis phrasin & compendium. In G. C. SCHELHAMMERI *Additamentis ad Conringianam introductionem* cap. III. §. 8. contrarium pene iudicium inuenio: Praecipuum, inquientis, DVRETI opus est in coacas praenotiones: sed in quo saepe ingenii sui magis, quam sensus *Hippocratici* vestigia reperias. Hoc etiam vitii habet summus vir, vt in illa affectata grandiloquentia inuoluat se non minus, quam sepia in suo atramento.

f) HIER. MERCVRIALIS *Commentarii in* HIPPOCRATIS *Coi prognostica, prorrhetica, de victus ratione in morbis acutis, & epidemicas historias.* Venet. 1597. fol. & Francofurt. 1602. fol. De quo praestantissimo opere iam tomi huius II. cap. III. sect. I. §. 6. not. d) vbi sub titulo: HIERON. MERCVRIALIS *Praelectiones Pisanae*, obuenit, haud citra debitam laudem, me dicere memini.

g) *Prax. medic.* lib. I. cap. VIII. §. 4.

h) *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 2. Ex veteribus non negligendus est ARETAEVS, vt qui integris libris etiam signa morborum exposuerit, omnium aliorum industria longo interuallo ea in re post se relicta.

i) Eo spectant sequentia: *De locis affectis libri VI. de pulsibus ad tyrones liber; de pulsuum differentiis libri IV. de dignotione pulsuum libri IV. de caussis pulsuum libri IV. de praecognitione ex pulsibus libri IV. de vrinis liber spurius; de crisibus libri tres; de diebus decretoriis libri tres; commentarii tres in primum* HIPPOCRATIS *Prorrheticorum librum; commentarii tres in prognostica* HIPPOCRATIS; *de dinotione ex insomniis libellus; de praenotione liber.*

k) Hi, ex versione latina GVIL. COPI, prima vice Lutetiae Parisior. 1513. 4. ex officina HENR. STEPHANI nitidissimo charactere prodierunt.

l) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 2. vbi hosce libros elegantissimum & omnibus commendatissimum opus vocauit, adnotans simul, ex tot in eos commentatoribus, FRANC. VALLESII *Commentarios*, qui, vna cum aliis *Vallesianis* scriptis, Coloniae Agripp. 1594. fol impressi sint, nec non IO. WOLFII *Exercitationes semioticas* in CLAVD. GALENI *De locis affectis libros*

sex

sex, disputationibus XII. comprehensas, quae Helmstadii 1620. 4. in lucem prodierint, prae ceteris cum fructu legi posse. Neque tamen vel CONRINGIVS ipse, vel SCHELHAMMERVS, obliti sunt simul indicare naeuos atque defectus *Galenicorum* istorum librorum.

m) Insignis sane thrasonismus est, quando libro III. de locis affectis, cap. III. ita de se ipso loquentem audimus: Itaque medicinam professus vsque ad senectutem, nunquam in hodiernum vsque diem turpiter me gessi, neque curando, neque praesagiendo, id quod celeberrimis quibusdam medicis interdum accidere memini. Ad minimum debuisset GALENVS melius attendere ad tritum illud prouerbium: Mendacem oportet esse memorem; hec in commentario III. in prognostica HIPPOCRATIS scripsisse: Nunquam hallucinari supra captum hominis est; sed quam minimum oberrare, solius artificis est. Nam si non perpetuo, certe saepius quam alii, finem artis consequimur, quemadmodum praesentiendo futura in aegris, ita etiam illis medendo.

§. II.

Latini medici de hac quidem medicinae parte non adeo sollicitos se gessere; nihilo tamen minus CELSVS in *Libro secundo sui de medicina* operis diuersa huc spectantia tradidit; COELIVS porro AVRELIANVS in superstitibus *Libris VIII. de morbis acutis & chronicis*, tot magni ponderis maximeque *) notatu dignas obseruationes semioticas immiscuit, vt GEORG. n) BAGLIVVM verba pene defecerint, quibus easdem, pro merito ac pretii dignitate, satis depraedicaret. Apud Arabas, ALSAHARAVIVS, seu, ALBVCASA, ex IO. CONR. BARCHVSII o) mente, in doctrina signorum medicorum prae aliis eminere studuit. Ex latino-barbaris, quos vocant, VDALRICVS p) quidem BINDERVS, &. FRANCISCVS q) DE LA TVRRE semiologiam peculiaribus tradere scriptis sunt conati; opera autem eorum huic studio impensa talis exstitit, vt libris eorum hoc de argumento conscriptis, qui habentur e numero rarorum quidem, minus tamen vtilium, pridem carere orbis litteratus didicerit.

*) Speciminis ergo, allegare tantum iuuat e. COELII AVRELIANI libro V. morborum chronicorum, caput X. de vomicis pulmonum,

cuius morbi, alias cognitu nimium quantum difficilis, talia signa diagnostica hic suppeditantur, quibus meliora certioraque apud nullum alium, ne apud ipsum quidem Coum, offenderis.

n) *Prax. medic.* lib. II. cap. VIII. §. 2. COEL. AVRELIANVS tanti fecit signorum in curandis morbis necessitatem, vt videatur nulli rei tam serio mentem intendisse, quam in detegendis signis & circumstantiis morbos a se inuicem distinguentibus, qua quidem in re coeteros graecos aeque ac latinos, consensu doctorum hominum, superauit. Illius enim opera nil aliud vere sunt, quam vtile signorum diagnosticorum grauiumque praeceptorum seminarium. Imo si non nullos illius titulos diligenter perpenderis, videbis, quod per totam talis capituli seriem se diffundat in describenda exactissima signorum illius morbi natura, de coetero ne verbum profert. Et in *Dissertationibus varii argumenti* iterum scribit: COEL. AVRELIANVM semper prae manibus habere debent medici, cum diagnosin historiamque morborum, atque per strictum & laxum curationem admirabiliter tractet vtiliterque.

o) In *Dissertationibus de medicinae origine & progressu.* p. 304. seq.

p) VDALR. BINDERI *Epiphaniae medicorum. Speculum videndi vrinas hominum. Clauis aperiendi portas pulsuum Berillus discernendi caussas & differentias febrium.* Excus. 1506. 4. cum fig. sine mentione loci & typographi.

q) FRANCISCI DE LA TVRRE *Pronosticon medicinale secundum temporum constitutiones, ex pluribus anticorum illustrium medicorum dicteriis coaceruatum.* Anconae 1512. 4. per M. *Bernardinum Oliuam.*

§. III.

De saeculo decimo sexto referri inter scriptores semioticos generales poterunt IO. IAC. HVGGELIVS, IAC. ALBERTVS, AEMIL. CAMPOLONGVS, in primis vero IODOCVS LOMMIVS. Commentatores, qui HIPPOCRATIS & GALENI tractatus semiologicos explicauerunt, quorumque non paruus est numerus, morari me non sinam; praecipuos enim eorum r) iam indicaui. IO. IAC. HVGGELII *De semeiotice, medicinae parte, tractatus, ex probatis collectus autoribus, & in tabularum formam redactus,* Basileae anno 1560. fol. in lucem prodiit. IAC. ALBERTI, *siue*, AVBERTI, *Semiotice, siue, ratio* s) *dignoscendarum sedium male affectarum, & affectuum praeter naturam,* octo tantum constat plagulis, & accuratius

for-

forsitan elaborata esset, nisi ad posthuma pertineret opera. De AEMILII CAMPOLONGI t) *Semiotica* HERM. u) CONRINGIVS honorifice admodum sensit. IODOCI tamen LOMMII w) *Obseruationes medicinales*, Antwerpiae 1560. 8. primum impressae, & successu temporis crebrioribus prelis x) repetitae, a BERNH. ROTTENDORFFIO & GEORG. WOLFFG. WEDELIO peculiaribus praefationibus ornatae; nuper denique Amstelodami 1738. 8. editae, plurima suffragia y) obtinuerunt: prouti & eaedem ad hanc vsque aetatem, ob sui praestantiam, multis z) in locis recitationibus academicis fundamenti loco substerni solent.

r) Lego tamen in IO. ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductione ad medicinam* pag. 83. doctum hunc virum *Commentarios* THOMAE RODERICI A VEIGA *in libros* GALENI *de locis affectis*, quorum iam tom. I. cap. V. §. 9. cum laude memini, omnibus reliquis praetulisse.

s) Lausannae 1587. 8. Lugdun. 1596. 8.

t) Integer titulus hic est: *Semiotice, seu, noua cognoscendi morbos methodus, ad analyseos capiuaccianae normam, ab* AEMIL. CAMPOLONGO *expressa: nunc primum vero per* IO. IESSENIVM A IESSEN, *recte discentium & medentium vsui, publicata.* Witteberg. 1601. 8.

u) In *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 2. Vniuersalem morbos dignoscendi rationem perspicue & neruose ex GALENI doctrina proposuit AEMIL. CAMPOLONGVS.

w) Inscriptio est talis: IODOCI LOMMII *Obseruationum medicinalium libri tres, quibus omnium morborum signa, &, quae de his haberi possunt, praesagia, accuratissime pertractantur.*

x) E. c. Antwerpiae 1563. 8. Francofurt. 1643. 8. Amstelodami 1715. 8. Ienae 1687. & 1719. 8. quarum editionum postrema cauenda est, quia infinitis deformata est vitiis.

y) Ex tot elogiis, verba tantum illa proferam hic, quae CONRINGIVS *introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 10. mentioni huius libri adspersit: Vniuersam inquit, semeioticen egregie & magna cum laude tradidit IODOCVS LOMMIVS, in eximio opere medicinalium obseruationum, quae propterea omnibus artis studiosis quam maxime debent esse commendatae.

z) LOMMIVM tamen titulo operis non omnino satisfecisse, sed diuersos, partim graues, crebro etiam incidentes, morbos in eodem omisisse; id iam alibi adnotaui, adiecto simul voto, vt desiderata

 haec,

haec, in repetitis toties istius libri editionibus, a sollerti quodam medico supplerentur.

§. IV.

Inter illos, qui saeculo post decimum septimo semiologiam illustrandam sibi sumserunt, PETRVS SCHOTANVS, IO. PRAEVOTIVS, CASP. HOFMANNVS, prae omnibus reliquis autem THOM. FIENVS locum hic adserere sibi possunt. Horum *Primus compendium ex* GALENI *libris de locis affectis conscriptum*, Franequerae 1616. 16. excudendum curauit. IO. PRAEVOTII *Semeiotice, siue, de signis medicis encheiridion*, Venetiis 1654. 24. seorsim impressum, operibus eius medicis, iam supra a) memoratis, deinde fuit insertum. De CASP. HOFMANNI *Libris III. de locis affectis*, Norimbergae 1642. 12. luci expositis, GVNTH. CHRISTOPH. b) SCHELHAMMERVS non benigne iudicauit. Ea contra THOM. FIENI c) *Semeiotice a* IAC. FRIDER. REIMMANNO in *Histor. litterar. germanorum* tom. vltim. pag. 744. seq. tantis euecta d) est laudibus, vt mirari merito subeat, qua ratione factum sit, vt SCHELHAMMERVS in *Additamentis ad Conringii introductionem*, libri adeo vtilis ne verbulo quidem meminerit.

a) Vid. Tom. I. cap. V. §. 24.

b) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. VI. §. 2. Scripsit de locis affectis etiam CASP. HOFMANNVS, sed exiguum opusculum est, & infra expectationem, non tamen plane aspernandum.

c) Plena rubrica haec est: THOMAE FIENI *Semeiotice, siue, de signis medicis tractatus, opus accuratissimum, omnibus medicinae studia amplexantibus summe necessarium, in duas partes diuisum.* Lugduni 1664. 4.

d) C. l. vbi sensus verborum germanicorum latine redditus iste est: Credere quis potuisset, librum isthunc iisdem laboraturum esse defectibus, quibus vulgo scripta posthuma solent. Secus autem res omnino se habet. Stilus breuis, nihilo tamen minus facilis est simul, perspicuus atque planus. Methodus est eiusmodi, vt notiora ignotioribus viam quodammodo muniant. Argumentum denique ita comparatum, vt non meminerim, quicquam elegantius, addo &, plenius hac ipsa de materia me vnquam legisse.

§. V.

§. V.

Recentisſimis quoque temporibus diuerſi in eo fuere, vt peculiaribus ſemiologiam ſcriptis amplificatum irent atque illuſtratum, finesque eius vlterius promotum. FRIDERICI SCHRADERI *Exercitationes quatuor de ſignis medicis*, Helmſtadii 1699. ſeq. 4. aeque ac GEORG. WOLFFG. WEDELII *Exercitationes ſemiotico-pathologicae*, Ienae 1700. 4. editae, ſingularem plane lecturis ſpondent fructum. IO. PHIL. EYSELII *Compendium ſemiologicum* e) *modernorum dogmatibus accommodatum*, *per quaeſtiones & reſponſiones diſtinctum*, in vſus tironum, fatente titulo, conſignatum fuit. CHRISTIANI VATERI *Semiotica medica* Wittembergae 1722. 4. lucem adſpexit: eodem tempore etiam CHRISTIAN. LVDOV. WVCHERERI f) *Semiotica generalis & ſpecialis* Ienae 1722. 4. in conſpectum orbis litterati prodiit. IOANNIS vero IVNCKERI *Conſpectus ſemeiologiae* g) *potisſimum Hippocratico-Galenicae in forma tabularum repraeſentatus* vel ideo h) notari meretur, quia non ſolum dogmata vtriusque huius medici graeci huc ſpectantia, magna cura ibi ſunt congeſta; ſed ſimul etiam oſtenditur, quando & vbinam noſtrorum temporum experientia nos ab iisdem diſcedere cogat.

e) Erfordiae 1701. 8. Inſertum poſtea quoque fuit idem opęribus autoris medicis & chirurgicis tom. I. cap. V. §. 34. recenſitis.

f) Videantur noua litteraria anni 1722. pag. 539. ſequ.

g) Halae 1736. 4. Impresſus autem eſt iſte conſpectus ſemeiologiae non ſeparatim, ſed iunctim vna cum memorato iam conſpectu pathologiae.

h) Vid. Noua litteraria anni 1735. pagin. 917. ſequ.

§. VI.

Quemadmodum enarrati hactenus ſcriptores, certe quoad maximam eorum partem, circa doctrinam ſemeioticam in genere occupati fuerunt: ita alii contra ſoli prognoſi morborum ſua dicarunt ſtudia. Horum non nulli, cum BENEDICTO i) VICTORIO,

HIER. k) CARDANO, RODERICO A FONSECA l), IO. m) BRAVO, IAC. ANT. n) PHRYGIO, peculiares *) commentarios in prognoſtica *Hippocratica* luci expoſuere; alii dogmata prognoſtica in *Hippocraticis* operibus huc illuc diſperſa, cum THOMA o) MOVFETTO & LVDOV. p) FERRANTO, in ordinem redegerunt; alii denique, non ſoli ſeni addicti, aliorum quoque conſiliis vſi ſunt, ſuasque, quas hoc pacto collegerant, obſeruationes, propriis ſcriptis publicauerunt, quos inter CELSVS MARTINENGVS, IO. BAPT. DONATIVS, NIC. TAVRELLVS, LVDOV. LEMOSIVS & IAC. FONTANVS, ſaeculo quidem decimo ſexto, principatum facile tenuerint.

i) BENED. VICTORII *in* HIPPOCRATIS *Prognoſtica commentarii.* Florentiae 1551. fol.

k) HIER. CARDANI *in* HIPPOCRATIS *Prognoſtica opus, cum commentariis in* GALENI *expoſitionem prognoſticorum.* Baſileae 1568. fol.

l) RODER. A FONSECA *in* HIPPOCRATIS *Prognoſtica commentarii.* Patauii 1597. 4.

m) IO. BRAVI *In libros prognoſticorum* HIPPOCRATIS *commentaria.* Salmanticae 1583. 8.

n) IAC. ANT. PHRYGII *Explanatio in* HIPPOCRATIS *prognoſtica.* Ticini 1608. 8.

*) IOANNEM ANTONIDEM VAN DER LINDEN, omnibus partim nominatis, partim & reliquis commentatoribus, hoc in argumento, praetuliſſe IO. BVTINVM, patet ex eius *Manuductione ad medicinam* pag. 87. vbi ſequentia ſcribit: Secundo prognoſtica leges, in quibus generalia fere cuncta & generalium affectuum praeſagia ſunt. Commentarios CARDANVS, BRASAVOLA, VICTORIVS, HEVRNIVS, alii dabunt. Sed BVTINVM ego laudo & approbo, facilem, conciſum, doctum. Impreſſae autem ſunt IO. BVTINI *Explicationes praenotionum* HIPPOCRATIS, *vna cum aphoriſmis* HIPPOCRATIS *in ordinem digeſtis,* Lugduni 1555. & 1580. 12. item & Geneuae 1625. eadem forma.

o) THOMAE MOVFETTI *Noſomantica Hippocratica,* ſeu HIPPOCRATIS *prognoſtica cuncta, ex omnibus ipſius ſcriptis methodice digeſta, a mendis atque tautologiis pene infinitis repurgata, & maiore, quam antea, ſtudio & ordine digeſta.* Francof. 1588. 8.

p) LVDOV. FERRANTI *Magni* HIPPOCRATIS *praeſagia, breui enarratione illuſtrata, decerpta a* GALENO, HOLLERIO, DVRETO,

TO, FOESIO, IACOTIO, *& aliis non inferioris notae viris, & in formam encheiridii ad vsum faciliorem, composita.* Lutet. 1657. 12.

§. VII.

CELSI MARTINENGI *De praeuidendis morborum euentibus libri tres*, vna cum aliis quibusdam tractatibus huius medici, Brixiae 1571. 12. & Venet. 1584. 4. in lucem sunt editi publicam. IO. BAPT. DONATII *Liber* I. *de iudiciis; liber* I. *de signis morborum iudicialibus, & liber* I. *de diuinationibus*, singuli primum emissi, deinceps, simul cum aliis nonnullis eiusdem autoris opusculis, sub titulo: IO. BAPT. DONATII *Rei medicae studio stipendia sex*, Francofurti 1591. 8. iunctim sunt impressi. Vtriusque huius autoris scripta a IOANNE ANTONIDE VAN DER LINDEN q) summis euehuntur laudibus. NIC. TAVRELLI *Medicae praedictionis methodus, hoc est, recta breuisque ratio coram aegris praeterita, praesentia futuraque praedicendi, morbos scilicet, morborumque caussas, mortem, sanitatem, recidiuam, aliaque symptomata*, Francofurt. 1581. 4. olim vel in ipsa Italia r) magna floruit & existimatione & autoritate. LVDOVICI LEMOSII *De optima praedicendi ratione libri VI.* vna cum eius *Iudicio operum* HIPPOCRATIS, Salamanticae anno 1588. fol. typis sunt excusi, Venetiis autem anno 1592. 8. recusi; IACOBI FONTANI *Prognosticorum ad artem medicam spectantium generalis & dilucida perioche, ex* HIPPOCRATE & GALENO *summo studio collecta*, Turnoni 1597. 12. lucem aspexit.

q) In *Manuductione ad medicinam* pag. 86. Praemittantur MARTINENGI & DONATII breues, at vtiles, de praeuidendis morborum euentibus, iudiciis & signis iudicialibus libelli. In quorum alteris totius GALENI de crisibus & decretoriis diebus operis breuiarium quoddam habes; in alteris plenissimam signorum enumerationem, quae GALENI istis libris desiderantur; praesagitioni tamen faciendae summe necessaria sunt: in vtrisque dein illustriores historiae ad exercitandum, & vsu sensim imbuendum abunde praeceptis institutum occurrunt. Igitur auspicatissimum accessum parent, & veluti manuducant ad sacrum illud tribunal.

r) Vid. BAIERI *Biographias professorum medicinae Altorfinorum*. p. 7.

§. VIII.

E saeculo septimo & decimo succurrunt memoriae IO. HVCHERVS, PETR. HOLTZEMIVS, STEPHAN. RODER. CASTRENSIS, prae cunctis autem reliquis celeberrimus ille PROSPER ALPINVS; quibus ex aetate recentissima IO. ERNEST. SCHAPERVM & IO. HARVEY adsociare iuuabit. IO. HVCHERI *Libri duo de prognosi medica* Lugduni 1602. 8. sunt impressi. PET. HOLTZEMII *Prognostica vitae & mortis, longitudinis & breuitatis, resolutionis & permutationis morbi, duobus libris distincta: in quibus, quae ab* HIPPOCRATE *&* GALENO *confuse & sine methodo ad hanc doctrinam allata sunt, commodo ordine traduntur, prius quidem versu rhytmico, dein ad singulos versus succincta, aperta & docta exegesi comprehensa*, Coloniae 1605. 8. nunquam hactenus inspicienda sese oculis meis obtulerunt. STEPH. RODER. CASTRENSIS *Syntaxis praedictionum medicarum*, vna cum aliis autoris non nullis Lugduni 1661. 4. iunctim edita, referenda est in numerum posthumorum. PROSP. ALPINI *Libri VII. de praesagienda* s) *vita & morte aegrotantium*, antea sub rubrica: *Medicinalium obseruationum historico - criticarum libri septem*, Francofurti 1621. 8. diuulgati, ob excellentiam suam, communia omnium suffragia t) tulerunt. IO. HARVEY *Tract. de signis prognosticis morborum acutorum*, lingua anglicana conscriptus & Londini 1706. in 8. prelo protrusus, bonae notae liber habetur in IO. HERM. FÜRSTENAVII *Desideratis medicis* pag. 221. Nec minori cum fructu IO. ERN. SCHAPERI *Exercitatio de signis imminentium morborum ad praecautionem necessariis*, Rostochii 1705. 4. impressa, legi poterit.

s) Optimo habitu Lugduni bat. 1710. 4. cum praefatione HERM. BOERHAAVII, fuerunt excusi, ibidem quoque anno 1733. eadem forma, curante HIER. DAV. GAVBIO, recusi, Hamburgi vero sequenti anno 1734. in 4. prelo repetito expressi.

t) Vid.

t) Vid. citata modo praefatio *Boerhaauiana*, & CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. XI. vbi ista leges: Cumprimis legi merentur PROSP. ALPINI de praesagienda vita & morte libri, vtpote in quibus ars tota *Hippocratica* praedicendi, adiunctis plurimis nouis obseruationibus, continetur.

§. IX.

Quandoquidem etiam doctrina de crisi & diebus criticis morborum, quae non nullis quidem admodum exigui u), plerisque contra maioris w) videtur esse momenti, a diuersis medicis, peculiaribus, partim & diffusioribus operibus pertractata fuit; paucis tantum obseruabo; HIPPOCRATIS *Libellos de iudicationibus & diebus iudicatoriis*, vna cum CLAVD. GALENI *Libris* III. *de crisibus*, & *aliis* III. *de diebus decretoriis*, fontes esse, vnde sequentes autores sua potissimum hauserunt. Dogmata enim duumuirorum horum medicorum iam saeculo XVI. ab ANDR. x) THVRINO, MICH. ANGELO BLONDO y), LVC. z) GAVRICO, & ab ita dictis a) *Iatro-mathematicis*, non defensa solum, immo vltra metas euecta; sed speciatim *Galenica* etiam scripta multis commentariis illustrata sunt: ex quibus hic solis HIERON. b) BONIPERTO, IO. c) LALAMANTIO, ANT. d) LVDOVICO, FRANC. e) SANCHEZ & HIPPOLYTO f) OBICIO, locum aliquem adsignasse iuuabit.

u) Inter veteres, ASCLEPIADEM & AVREL. CORNEL. CELSVM; inter recentiores autem, IO. BAPT. HELMONTIVM, GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM, IO. BOHNIVM, aliosque, dies criticos parum curasse; id velut in transitu tantum monere placuit.

w) Ex his tamen illi in excessu peccare videntur, qui astrologiae in medicina summam quandam necessitatem tribuunt; quibus & PETRVS CASTELLVS *De optimo medico* sect. V. accensendus venit.

x) ANDREAE THVRINI *Defensio* HIPPOCRATIS & GALENI *de caussis dierum criticorum aduersus* HIER. FRACASTORIVM, Bonon. 1543. 4. quod schediasma deinceps operibus ipsius tom. I. cap. V. §. 12. allegatis, fuit insertum.

y) MICH. ANGEL. BLONDI *De diebus decretoriis & crisi, eorumque verissimis caussis in via* GALENI, *contra neotericos, libellus.* Romae 1544. 4. Lugdun. 1550. 8.

z) LV-

z) LVCAE GAVRICI *super diebus decretoriis axiomata, cum enucleatione theorematum* HIPPOCRATIS & GALENI. Romae 1546. folio.

a) Hanc ad classem pertinent e. g. HIERON. DE MANFREDIS, PETR. MAYNARDVS, CLAVD. DARIOTTVS, CORN. PLEIERVS, AVGERIVS FERRERIVS, GEORG. COLLIMITIVS, IO. HASFVRTVS, IAC. SCHOLL, WOLFFIVS GEVSSIVS, ISRAEL HIEBNER, MICH. CRVGENER, praeterque hos multi alii, de quibus consulatur IAC. FRIDER. REIMMANNI *Histor. litterar. germanor.* tom. vlt. pag. 588. seqq.

b) HIERON. BONIPERTI *Annotationes in* GALENI *libros de crisibus* Venet. 1547. 4.

c) CLAVD. GALENI *De diebus decretoriis libri tres. Recens latini facti & commentariis illustrati a* IOANNE LALAMANTIO. Lugdun. 1559. 4.

d) *Libri eius tres erotematum, siue, commentariorum in libros de crisibus* GALENI, sub ipsum statim vestibulum operum ipsius de re medica, Vlysipponae 1543. fol. editorum, inueniri possunt.

e) Huius quoque *in Libros tres* GALENI *de crisibus commentarii*, operibus eius medicis & philosophicis, tomo I. cap. V. §. 20. iam indicatis, adiecti habentur.

f) Vid. Eius *Iatrastronomicon*, de quo iam tomo I. cap. VI. sect. I. §. 5. dixisse me, recordor.

§. X.

Multi g) quidem alii quoque, praeter eos, a quibus recensendis iam venio, de hoc argumento peculiares commentationes elucubrauere; suffecerit tamen, ex pene magno horum numero, HIPPOLYTO SALVIANO, IVL. CAES. CLAVDINO, CAR. ROMATETO, & ANDR. LAVRENTIO, prae ceteris, loca hic sua adsignasse. HIPPOL. SALVIANI *De crisibus ad* GALENI *censuram liber, omnem crisium cognitionem breui & miro ordine continens*, Romae 1558. 8. impressus, haud debet cum filii eius, SALVSTII SALVIANI, *Libro de crisibus*, itidem Romae 1589. 8. typis exscripto, confundi. IVL. CAES. CLAVDINI *de crisibus* h) & *diebus criticis tractatus*, HIPPOLYTVM quidem OBICIVM, qui astrologiam pro virili defendere conatus est, expertus fuit aduersarium, parum tamen sibi noxium. CAROL. ROMATETI *Crisiologiae, siue,*

siue, tractatus de iudiciis libelli duo, Argentorati 1625. in 8. excusi, &, iuncti tractatui de peste, Lutetiae Parisiorum anno 1635. pari forma sunt recusi. De ANDREA denique LAVRENTIO superius i) iam adnotare me, memini, *Libros* eius *tres de crisibus*, Moeno-Francofurti 1596. 8. & anno 1606. 8. impressos separatim, inter reliqua ipsius scripta primas k) tulisse, doctorum iudicio.

g) Index horum in MERCKLINI *Cynosura medica*, seu, LINDEN. *renouati* libro II. p. 38. sequ. legi potest.

h) Bononiae 1612. fol. Basileae 1620. 8. & Venet. 1628. 4.

i) Tom. I. cap. V. §. 11.

k) In IOAN. RHODII *Bibliotheca medica* pag. 148. scriptum legitur: LAVRENTIVM de crisibus totum descripsit. SENNERTVS.

CAP. IV. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS SEMIOLOGICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores de pulsibus, §. *1-6.* *Scriptores de vrinis*, §. *7-11.* *De reliquis signis scriptores*, §. *12.*

§. I.

Particulares inter scriptores agmen merito ducunt qui de pulsibus doctrinae proprios, quibus indagarent eam, dicauere tractatus. Horum quamuis numerus non adeo exiguus sit; ipse tamen de perpaucis dicendi occasionem sum capturus; quum in aprico sit positum, omnes eos, qui ante GVIL. HARVEI aetatem hoc argumentum aggressi sunt scriptis exponendum, iam dudum inter obsoletos & antiquatos veluti censeri: ita, vt eorum commentationes, quas publici hac de re fecerunt iuris, eo quod, ob ignoratum sanguinis circuitum, variis erroneis a) refer-

refertae sunt opinionibus, nostris temporibus vel parum vel omnino non quaerantur, multo minus legantur.

a) Pluribus de hoc ipso dixi in *Historia medicinae*, sub *Stalliano* edita nomine pag. 563. seqq.

§. II.

In saeculis antiquissimis, non erit, cur diutius haeream. Quum enim ex Romanorum & Arabum scriptis & monumentis hac ex parte nihil omnino nobis suppetat; Graecorum porro b) opera maximam sui partem sint deperdita: forsitan ex tota antiquitate soli & vnici c) fuerint *Libri* illi *XVII.* CLAVD. GALENI *De pulsibus* *), *eorum differentiis, causis, praesagiis & dignotione*, quorum hic mentio mihi sit facienda. Verum enimuero hi ipsi quoque partim nimis sunt diffusi, partim inutilibus maleque fundatis speculationibus d) tantum non obruti, & vt summatim dicam, ita quoad caput rerum perscripti, vt vix modica e) eruditae posteritatis tulerint suffragia.

b) Ex. gr. AEGIMII, HEROPHILI, ARCHIGENIS, AGATHINI, &c.

c) Namque de PHILARETI *Tractatu de pulsibus*, in ita dicta *Articella*, in *Collectione principum artis medicae Stephaniana*, & alibi obuio, vix est operae pretium, vt quicquam dicatur.

*) Inueniuntur isti, vt iam indicaui, classe IV. operum GALENI, secundum distributionem CORNARII; editi tamen sunt quoque separatim, inscripti: CLAVD. GALENI *Opera de pulsibus*, HERM. CRVSERIO *interprete*, Lutetiae Parisior. 1532. fol. excusi.

d) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 3. vbi haec habentur: GALENVS plurimis voluminibus de pulsibus ita egit, vt a praeclaris quibusdam medicis ad nimiam subtilitatem & curiositatem rem totam reduxisse non immerito iudicetur. Neque enim negari potest, libros istos adeo esse subtiles, vt GALENI diligentiam satis mirari nequeamus, multa etiam non recte assequi.

e) Adducam tantum IO. GOTHOFR. BERGERI verba, in *Physiologia medica* p. 73. sequ. ita scribentis: Plurimae pulsuum differentiae, in quibus nimium operae posuit antiquitas alioquin veneranda, subtilitates sunt inutiles *Herophileae*, atque a GALENO potissimum ex sublimi sapientia, quam metaphysicen vocant, depromtae; quae & tactum fugiunt, nec animo satis possunt comprehendi,

quippe

quippe cum omnis illius de pulsibus doctrina fundamentis anatomicis aduersa prorsus, & commentitia sit, ad vsumque adiungi nullo modo queat. Id quod inter alios probe cognouit PLEMPIVS in *Fundament. medic.* lib. V. sect. II. cap 2. multa, inquiens, medicos de pulsibus nugari, multaque mentem ingeniosam fingere, quae sensus nequeat assequi. Idemque expertus etiam est MONTANVS, ceteroquin in verba GALENI iurare solitus, quando ingenue fassus est in suis consiliis, se ipsum longa annorum serie sex tantum differentias pulsuum obseruare potuisse.

§. III.

Quantum ad illos libros attinet, quos latino-barbari, qui dicuntur, de hoc argumento peculiariter ediderunt, parui sunt iidem momenti, & satis fauentem posteritas habuisse fortunam credenda est, quod pauci eorum de hoc ipso fuerint solliciti. AEGIDII, *Monachi Benedictini, liber* I. *de iudiciis vrinarum, & liber* I. *de pulsibus* f) *cum expositione & commento Magistri* GENTILIS DE FVLGINEO, magnae g) quidem quondam fuerunt autoritatis; sed longum iam tempus abiit, ex quo partim ignoti, partim inutiles facti, exoleuerunt. Paria fata experti sunt, & iure quidem, reliqui quoque huius furfuris autores. Quare sufficiet annotasse: BERNHARDVM quidem h) GORDONIVM *Tractatum de pulsibus*, IO. MICH. i) SAVONAROLAM *Summam de pulsibus*, VDALRICVM k) BINDERVM *Clauem aperiendi portas pulsuum*, emisisse; singula vero haec opuscula pridem exoletis medicorum ac situ corruptis mercibus fuisse adnumerata.

f) Venet. 1494. 8. Lugdun. 1505. 8. Basileae 1529. 8.

g) Vid. REINESII *Varias lectiones* p. 688. AEGIDII opuscula duo metrica, versu hexametro, vnum de vrinis, alterum de pulsibus, a Magistro quodam AEGIDIO, Salernitanae, vt videtur, scholae doctore, conscripta, tanto quondam fuere in pretio, vt omnis de vrinarum iudicio & de pulsibus omnium subtilissima doctrina inde peteretur, & publice in scholis, seposito GALENO, praelegerentur & explicarentur, vnde hodieque cum commento GENTIL. DE FVLGINEO exstant Venetiis & Basileae excusa.

h) Huius libellus adiectus est *Lilio* ipsius, quod appellauit, *Medicinae*, vnaque impressus. Vid. tom. I. cap. V, §. 4.

i) Hoc

i) Hoc quoque opusculum reliquis eius scriptis est insertum. Vid. tom. I. cap. V. §. 7.

k) De hoc ipso iam sectione praecedente §. 2. dictum.

§. IV.

Saeculo a decimo sexto, multi inueniebantur, quibus Galenicam adeo hactenus neglectam de pulsibus doctrinam recolere, suumque illi florem restituere, curae cordique erat. Viam parare primus tentabat IOSEPHVS STRVTHIVS, edita sua *Arte* l) *sphygmica*, cui & fortuna tum fauebat ita, vt liber iste a doctis illius temporis hominibus beneuole m) exciperetur. LEO ROGANVS in id operam impendebat suam, vt nimis diffusos *Galenicos* libros in breue n) compendium redigeret, quod magni IO. o) RHODIVS fecit. Complures alii p) vero studia sua eo conferebant, vt sphygmologiam peculiaribus scriptis, pro suis quisque viribus, illustrarent. E quorum medio, LVDOV. MERCATO, HIER. CAPIVACCIO, ALEX. MASSARIAE, HERCVLI SAXONIAE, maxime vero EVSTACH. RVDIO, locum hic concedere iuuat.

l) IOSEPH. STRVTHII *Ars sphygmica, seu, pulsuum doctrina supra MCC. annos perdita & desiderata, omnibus tamen medicinam cum nominis celebritate maximaque vtilitate facere volentibus summe necessaria, libris* V. *conscripta.* Basileae 1540. 8. Sic titulus recensetur in LINDENIO *renouato* pag. 712. In exemplari tamen, quo ego vtor, annus impressionis nullus apparet, epistola autem dedicatoria anno 1555. data *Lindenianam* chronologiam suspectam reddere potest.

m) Ipse CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 3. ita scribit: Ante hos centum annos IOSEPHVS STRVTHIVS subtilitatem illam circa pulsus *Galenicam* in lucem reducere visus est, conscriptis libris sphygmicae artis. Non potest vero negari, multa in opere illo satis docta reperiri, eumque, praeter illa, quae ex GALENO hausit, in cuius lectione versatissimus fuit, non nulla etiam de suo adiecisse. Illum qui secuti sunt, quamuis hanc doctrinam magni fecerint, nemo tamen eorum parem diligentiam adhibuit.

n) Titulus est: LEONIS ROGANI *in* GALENI *libellum de pulsibus ad tyrones commentarius, in quo omnia, quae* GALENVS *XVI. libris de pulsuum differentiis, dignotione, caussis, deque praesagitione prae-*

praescripsit, *breui exponuntur*. Romae 1560. 8. Venet. 1575. & 1597. 8. Posterioribus duabus editionibus eiusdem LEON. ROGANI *De vrinis libri tres, ex* HIPPOCRATE *&* GALENO *collecti*, adiecti comparent.

o) In *Bibliothec. medic.* p. 438.

p) Indicem illorum legere licet in LINDEN. *renouat.* lib. II. pag. 123.

§. V.

LVDOV. MERCATI *Libri duo de pulsibus* q), *quibus tota ars cognoscendi morbos & prognosticandi disertissime pertractatur*, a GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERO r) ita sunt delineati, vt & virtutes & naeui eorum intuendi exhibeantur. HIER. CAPIVACCII *Libellus de pulsibus*, in ipsius supra s) iam recensitis operibus medicis inuenitur. ALEXANDRI MASSARIAE *Tractatus de pulsibus*, antea, cum nonnullis aliis t) huius autoris libellis, separatim luci expositus, successu temporis operibus eius u) medicis fuit insertus. HERCVLIS SAXONIAE *Tractatus absolutissimus de pulsibus*, eadem, quae MASSARIAE opusculum, fata est w) expertus. De EVSTACH. x) RVDII *Libris II. de pulsibus*, *qui omnia*, *quae a* GALENO *dicta sunt*, *clara & accurata methodo complectuntur*, IO. y) RHODIVS obseruauit, rarioribus eosdem scriptis esse adnumerandos; HERM. z) vero CONRINGIVS iudicauit, illos, vna cum immediate praecedentibus, inter optimae notae scriptores huius generis referri debere.

q) Pintiae anno 1584. 4. Patauii 1592. 4.

r) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. VI. §. 3. Tametsi auctor hic magna diligentia doctissime omnia prosecutus est, in multis tamen non potuit veritatem attingere, ob illorum temporum infelicitatem, quo de pulsus natura & caussis nihil certi constabat. Hinc multas inutiles & hodie prorsus superuacaneas quaestiones immiscet. Laudem interim non vulgarem meretur, in eo, quod singulorum morborum pulsus parte peculiari consignare cepit, quod opus imitandum est & perficiendum.

s) Vid. tom. I. cap. V. §. 15.

t) ALEX. MASSARIAE *Tractatus quatuor vtilissimi, de peste, de affectibus renum & vesicae, de pulsibus, de vrinis.* Francof. 1608. 4.

 u) Lu-

u) Lugdun 1634. 1654. & 1671. fol.

w) *Tractatus* enim eius *absolutissimus*, quem vocat, *de pulsibus*, Patauii 1603. 4. separatim editus, postea *Pantheo* eius *medicinae selecto*, de quo tom. I. cap. V. §. 23. dictum, insertus est.

x) Patauii 1602. 4. Francofurt. 1602. 8. & 1642. 8.

y) In *Bibliothec. medic.* pag. 150.

z) In *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 3. Interim quam optime de pulsibus scripsisse videntur HERCVLES SAXONIA, EVSTACHIVS RVDIVS, HIERONYMVS CAPIVACCIVS & ALEXANDER MASSARIA, omnes Patauinae scholae magni nominis professores.

§. VI.

Hactenus ad normam GALENI sphygmologia erat tractata: ast saeculo XVII. coepta per GVIL. HARVEVM reformatione, sensimque probata medicina mechanica, longe alium haec medicae scientiae pars induit vultum, planeque aliis adstringi coepit legibus. Hic ego LAVR. tantum BELLINI & GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI hac de re diuulgatas commentationes breuiter delibabo, circa reliquos a) vero nullas moras nectam. LAVR. BELLINI *Opuscula de pulsibus & vrinis*, vna cum aliis b) celeberrimi huius medici libris, Bononiae 1683. 4. luci exposita publicae, extra Italiam etiam adeo benigne sunt excepta, vt eadem digna haberentur, quae Francofurti & Lipsiae 1685. 4. cum IO. BOHNII; Lugduni vero batauorum anno 1730. 4. cum HERM. BOERHAAVII Praefationibus, recuderentur. A GÜNTHERO autem CHRISTOPH. SCHELHAMMERO accepimus *Dissertationem epistolarem*, vndecim constantem quaternionibus, quos vocant, quae hac inscriptione insignita prela reliquit: G. C. SCHELHAMMERI *Epistola ad* GEOR. WOLFFG. WEDELIVM, *qua pulsus ratio omnis diligentius expenditur, & ad mechanicae naturalis aeternas leges exigitur, simul* LAVR. BELLINI *de eodem nouae sententiae partim confirmantur, partim vlteriori examini subiiciuntur.* Helmstadii 1690. 4.

a) Speciatim non possum a me impetrare, vt de iactata adeo apud Sinenses scientia pulsuum, eorumque scriptoribus, multa huc coaceruem.

ceruem. Ceterum quem iuuat ea noſſe, quae de his narrantur, is conſulat vel indicatum iam ſupra tom. I. cap. I. ſect. II. §. 18. *Specimen medicinae Sinicae* ANDREAE CLEYERI; vel MICH. BOYMI *Clauem medicinae ad Chinenſium doctrinam de pulſibus,* 1686. 4. editam.

b) Ex. gr. *De miſſione ſanguinis; de febribus; de morbis capitis & pectoris.*

§. VII.

Haec ſufficiant de ſcriptoribus ſphygmologicis! Succedant iam de vrinis ſcriptores. Hic equidem ex ſuperſtitibus c) & huc ſpectantibus operibus medicorum graecanicorum, obliuiſci non debeo CLAVD. GALENVM, THEOPHILVM PROTOSPATHARIVM, praecipue vero IO. ACTVARIVM. *Primi* horum *libellus de vrinis,* qui non in vniuerſis ſolum GALENI operibus inuenitur, ſed ſeorſim etiam, ex latina SALOMON. ALBERTI verſione, Wittembergae 1586. 8. prodiit, referendus eſt in numerum ſuppoſitorum GALENO librorum, quique eius nomen mentiuntur. De THEOPHILI *Libello de vrinis*, diuerſis illius editionibus aeque ac translationibus, iam ſupra tomo I. cap. II. ſect. I. §. 16. ex inſtituto dixi: quare praeſenti loco id vnum ſaltem adnotabo, dictum tractatum pro antiquisſimo d) huius argumenti ſcriptorum haberi. De IOANNIS contra ACTVARII *Libris VII. de vrinis*, quorum itidem tom. I. cap. II. ſect. I. §. 18. iam memini, hoc tantum quod moneam habeo, admodum beneuolum de iisdem iudicium tuliſſe IO. e) FREINDIVM; dubito tamen, an omnes ſibi conſentientes ſit ille habiturus f).

c) MAGNI enim *Iatroſophiſtae*, ALEXAND. TRALLIANI, vt & aliorum quorundam, de hoc argumento edita ſcripta iam dudum interiiſſe; id vero ex ACTVARII *Libro I. de differentiis vrinarum,* abunde intelligi poteſt.

d) Vid. FREIND *Hiſtoire de la medecine* part. I. pag. 395. Il eſt le *premier* de tous ceux, que nous avons aujourd'huy, qui ait traité des vrines expreſſement.

e) Vid. modo citatum librum, *Hiſtoire de la medecine* part. I. pag. 453. ſeq. Cet auteur a compoſé encor ſept diſcours ſur les vri-

 nes,

nes, & il y a traité cette matiére avec autant de clarté, que d'exactitude & quoiqu'il se regle sur le plan, qu'en a tracé THEOPHILE, il y a nean moins beaucoup ajouté du sien. De sorte, qu'il a laissé à-peine quelque chose de nouveau à dire aux modernes: quoique plusieurs de ces Messieurs ayent copié presque mot-à-mot ce meme ouvrage d'ACTVARIVS, sans luy faire l'honneur de le nommer le-moins du monde.

f) ACTVARIVM enim libro septimo de praeuidentiis ex vrinis in excessu peccasse, tribuendo huic signo medico plus quam par erat, nemo negauerit.

§. VIII.

Quum sequentibus temporibus, vt ex historia medicinae clarescit, Vroscopia apud Arabes sensim in Vromantiam degenerauerit; quumque latino-barbari, qui vocantur, his vestigiis maximam *) partem insisterent, eademque premerent: vix, quod operae pretium rependeret, facturum me esse credo, si IO. AEGIDII, GENTIL. DE FVLGINEO, BERN. GORDONII, IO. MICH. SAVONAROLAE & VDALRICI denique BINDERI *Libellos de vrinis*, qui paris sunt conditionis cum illis *De pulsibus*, quos paullo antea tetigi, pluribus g) recensere instituerem. Vtilius erit notasse, cum saeculo XVI. IO. LANGIVM, EVRICIVM h) CORDVM, & PETR. FORESTVM; cum XVII. autem saeculo, IO. GVNTH. HIMANTOMVM, Vromantiae nimium grassatae hactenus omnibus viribus sese opposuisse, manifestasque hydromantarum fraudes omnium oculis exponere conatos esse. *Primus* horum in *Epistolis* suis *medicinalibus* passim, in primis autem lib. I. epist. XI. & LXXXIII. hoc ipsum praestare studuit; reliqui tres vero, peculiaribus hac de re editis libris, idem efficere tentarunt. EVRIC. enim CORDVS *Conclusiones* i) *de abusu vroscopiae;* PETRVS FORESTVS *Libros* III. k) *de incerto & fallaci vrinarum iudicio*, & IO. GÜNTH. HIMANTOMVS l) *Tractatum de incerto vrinarum iudicio, & de intolerabili circumforaneorum impostura*, ediderunt, quae opuscula a prudentibus medicis non sine plausu fuerunt excepta.

*) Vid.

*) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 5. Post seculum duodecimum medicina arabica in Europam translata, vna cum astrologia, superstitiosa diuinatio ex vrinis etiam inuecta fuit. Ex quo tempore paulatim magis magisque incrementum sumsit, vt denium res ad summam peruenerit stultitiam.

g) Hoc saltem annotandum, libellos hos eodem anno & loco, eadem quoque forma, quibus alteri illi, fuisse impressos.

h) De vita perquam celebris huius medici & poëtae nuperrime sequens narratio in conspectum orbis litterati prodiit, quae inscribitur: *Vita D.* EVRICII CORDI, *artis salutaris, dum viueret, cum filio* VALERIO, *reformatoris strenui, & poëtae prorsus eximii, exposita a* WIGANDO KAHLER. Rintelii 1744. in 4. id quod, ceu supplementum eorum, quae tom. I. cap. I. sect. III. §. 21. dicta fuerunt, inserere huc placuit.

i) Integra libri inscriptio talis est: EVRIC. CORDI *De abusu vroscopiae conclusiones, earundemque enarrationes, aduersus mendacissimos errones medicastros, qui imperitam plebeculam vana sua vroscopia & medicatione misere bonis & vita spoliant.* Francof. 1546. 8. E SCHENCKII *Bibliotheca medic.* pag. 162. discimus, in germanica etiam lingua hunc ipsum librum fuisse diuulgatum.

k) Impressi hi fuerunt initio separatim Antwerpiae 1583. 8. & Lugduni bat. 1589. 8. postea vero eius *Obseruationibus & curationibus medicinalibus & chirurgicis* inserti sunt. Magnum eos in modum laudat CONRINGIVS in *Introduct. in artem medicam* cap. VI. § 6.

l) Quedlinburgi 1657. 4. In FÜRSTENAVII *Desiderat. medic.* p. 210. legitur de autore huius opusculi: quod potiora aliorum momenta in compendium redegerit.

§. IX.

Quemadmodum medici iamiam nominati vroscopiae abusum sufflaminare studuerunt: ita aliis, verum eiusdem vsum ostendere ac promouere, curae cordique fuit. Sic enim, saeculo quidem XVI. apud hispanos, CHRISTOPHORVS A VEGA, & FRANCISC. VALLESIVS; apud gallos, IO. VASSAEVS, & GVIL. RONDELETIVS; apud germanos, IODOCVS WILLICHIVS, & HIER. REVSNERVS; apud italos denique, LEO ROGANVS, IO. ARGENTERIVS, HIERON. CAPIVACCIVS, SALVSTIVS SALVIANVS, IO. ZECCHIVS, ALEXANDER MASSARIA & HERCVLES SAXONIA, prae reliquis hac in re praestare

 ali-

aliquid sunt conati. CHRISTOPH. A VEGA *Commentarius de vrinis*, Compluti 1554. 8. impressus, postea operibus eius iunctim Lugduni aliquoties excusis, & tom. I. cap. V. §. 9. allegatis, additus est. FRANC. VALLESII *Libelli de vrinis, pulsibus ac febribus*, diuersis m) in locis luci litterariae fuerunt, prelorum ope, expositi. IO. VASSAEI *Tractatum* n) *de iudiciis vrinarum* G. C. SCHELHAMMERVS o) laudauit; GVIL. RONDELETII *Tractatus de vrinis* partim seorsim p) impressus, partim vero operibus ipsius medicis, tom. I. cap. V. §. XI. indicatis, insertus comparuit. IOD. WILLICHII *Vrinarum probationes*, *illustratae scholiis medicis* HIER. REVSNERI, Basileae 1582. 8. excusae, CONRINGIO q) placent. LEON. ROGANI *Libri tres* r) *de vrinis ex* HIPPOCRATE *&* GALENO *collecti*, & Venetiis 1575. 8. typis expressi, bonam lecturis spondent frugem. IO. ARGENTERII *Liber de vrinis*, Lugduni 1591. 8. luci expositus, & quidem separatim. operibus eius, tom. I. cap. V. §. 14. recensitis, fuit deinde insertus. Similiter & HIER. CAPIVACCII *De vrinis tractatus* a LAVRENT. SCHOLZIO seorsim fuit editus Seruestae 1595. 8. & postea operibus huius autoris tom. I. cap. V. §. 15. laudatis adnexus. SALVST. SALVIANI *Libri duo de vrinarum differentiis, caussis & iudiciis*, Romae 1587. 8. publici sunt facti iuris; IO. ZECCHII *De vrinis breuis & pulcherrima methodus*, ceu scriptum posthumum, ab eius nepote, HERCVLE ZECCHIO, Bononiae 1613. 4. est diuulgata; ALEX. denique MASSARIAE *Tractatus de vrinis*, & HERCVL. SAXONIAE *Tractatus de vrinis*, partim soli sunt excusi s), partim reliquis vtriusque huius medici scriptis adsociati comparuere.

m) Compluti 1565. 8. Taurini 1588. 8. Patauii 1591. 8.

n) Paris. 1545. 8. Lugduni 1549. & 1553. 12.

o) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. VI, §. 7. Egregie sane VASSAEI libellus iuuat memoriam, dum omnia vrinae accidentia, tanquam in tabula breuissime oculis subiicit, iuncto succincto

cincto ac perbreui commentariolo, ita, vt in hac parte non exigua cum laude sit versatus.

p) Francofurti 1610. 8.

q) In *Introduct. in artem medic.* cap. VI. §. 7.

r) *Quorum primus de vrinarum differentiis est: Secundus de vrinarum caussis: Tertius de praeuidentia ex vrinis.*

s) MASSARIAE enim tractatus, prouti iam §. 5. dixi, Francofurti 1608. 4. HERCVLIS autem SAXONIAE libellus Francofurti 1600. 8. est editus, rubrica notatus sequente: HERC. SAXONIAE *Tractatus triplex de febrium putridarum signis & symptomatibus: de pulsibus & vrinis.*

§. X.

Nec saeculis septimo decimo, &, quod iam ad medium ferme procurrit, decimo octauo, defuerunt tales medici, qui partim genuinum vroscopiae vsum promotum, partim abusum eiusdem sublatum ac remotum, omni adhibito studio, irent. DAN. SENNERTI hac de caussa susceptos labores, quibus pro merito depraedicaret, vix verborum satis inuenit G. C. SCHELHAMMERVS t). IO. PRAEVOTII *Tractatus de vrinis*, Patauii 1667. 12. impressus, tanquam opus posthumum, ob praematuram autoris mortem, eam perfectionis limam, quam viuente illo obtinere potuisset, non obtinuit. THOM. WILLISII *Dissertatio epistolica de vrinis*, vna cum ipsius *Diatribe de fermentatione*, crebrius separatim u) impressa, postea vero autoris operibus omnibus w) inserta, ob sui praestantiam, collectioni quorundam x) de vrinis scriptorum, Traiecti ad Rhenum 1670. 8. euulgatae, simul cum GVILIEL. STRATENI *Tractatu de fallaci vrinarum iudicio*, adiecta fuit. IO. quoque MVNNIKS *Vromanticus castratus, seu, Tractatus* y) *de vrinis earumque inspectione castigatus*, legi omnino meretur: recentiore tamen aetate LAVR. BELLINI *Opusculum* z) *de vrinis;* nec non liber gallice scriptus atque inscriptus: *Le Miroir des vrines par M.* DAVACH DE LA RIVIERE, à Paris 1722. 12. multorum a) calculis fuerunt probata.

t) In *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. VI. §. 7. vbi haec scribit: Primus restituisse nobis hanc rem SENNERTVS videtur, quo nemo accuratius, quid praedici ex vrinis liceat, proposuit.

u) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 1025. vel, sis, tom. I. huius bibliothecae cap. III. sect. I. §. 5.

w) Dictum de his ipsis tom. prioris cap. V. §. 20.

x) Vid. tom. I. cap. II. sect. I. § 18.

y) Schediasma isthoc initio, hoc titulo instructum: IO. MVNNIKS *Diss. de vrinis earumque inspectione*, Traiecti 1674. 12. prodibat, postea vero ibidem loci, anno 1697. 4. sub rubrica in textu indicata, auctius recudebatur.

z) De editionibus huius tractatus iam in antecedenti paragraph. 6. dictum fuit.

a) De BELLINO enim in SCHELHAMMERI *Additamentis ad introductionis Conringianae* cap. VI. §. 7. de posteriori autem libello in actis eruditorum german. part: LXXXIX. p. 323. seq. perquam benigne fuisse iudicatum legimus.

§. XI.

Quum vero vsitata ac vulgaris vrinas lustrandi atque explorandi ratio quibusdam minus sufficere ad scopum medicum hinc adsequendum visa esset: paucis adhuc obseruasse & annotasse iuuabit, eos, qui ita sentirent, longe aliam, qua procederent, elegisse viam. Vnde factum est, vt examen vrinae mox, cum PETRO ARLENSI b) DE SCVDALVPIS, magica c); mox, cum LEONARDO d) THVRNEISSERO, chemica e); mox, cum *Anonymo* f) quodam, statica g) exploratione instituere consultius ducerent: de quibus omnibus in *Stolliana medicinae historia* pagina 574. seqq. ex instituto me dicere rememini, simulque obseruare ibidem, vltimam procedendi rationem, cui fortasse h) NIC. CVSANVS occasionem primam dedisse videri queat, a multis i), hisque perquam doctis, medicis, vlteriori examine omnino dignam fuisse iudicatam.

b) *De sympathia septem metallorum, septem lapidum, & septem planetarum.* Madrit. 1602. fol. & Paris. 1610. in 8. Cauendam autem esse editionem gallicanam, vtpote valde mutilam & castratam, MORHOFIVS *Polyhistor.* tom. I. lib. I. cap. XI. §. 11. sequentibus iam

iam monuit verbis: Est inter recentiores PETR. ARLENSIS DE SCVDALVPIS *Opus de sympathia septem metallorum, septem lapidum & septem planetarum,* Madriti primum, hinc Romae in folio sub initium huius saeculi editum: quo singularia continentur secreta, a filio per incogitantiam publicata. Qui postea exemplaria omnia coëmisse dicitur, vt nullum iam amplius appareat. Est quidem in Gallia illud recusum minori forma, sed totum mutilum nulliusque pretii. Haec ille. Denuo quidem rarus iste liber Hamburgi 1717. in 8. prelo exiit: vtrum vero secundum priorem eamque integram minusque corruptam, an secundum posteriorem gallicam ac mutilatam editionem sit expressus? id vero me nescire, fateor.

c) Vide MORHOF. l. c. *Polyhist.* Qui legerunt, affirmarunt mihi, tot tantaque libro illo contineri, vt omni auro sit praestantior. Inter cetera vnum succurrit, quod ille in eo legerat, de vitro e cineribus cadauerum strangulatorum certique mineralis conflando, cui lotium aegri immissum affectas corporis partes in ipsa vrina ostendat.

d) Ab hoc autore duo huc spectantia scripta vidit orbis eruditus edita. Prius isthac innotescit inscriptione: LEONH. THVRNEISSERI *προκατάληψις oder Praeoccupatio durch XII. verschiedentlich gemachte Harn-Proben.* Franckfurt an der Oder 1571. fol. Posterius ita inscribitur: LEONH. THVRNEISSERI *βεβαίωσις ἀγωνισμοῦ*, das ist, *Confirmatio concertationis, oder Bestätigung der allernützlichsten und nothdürftigsten Kunst des Harn-Probirens, samt beweißlicher Erkänntniß des gantzen menschlichen Cörpers, auch desselben äusserlichen vnd innerlichen Gliedern, Zufallen, Gebrechen, Kranckheiten vnd deren Vrsachen, in XIII. Büchern.* Berlin 1576. fol. c. fig.

e) Vid. *Acta medicorum Berolinensium* decad. II. volum. I. De cetero, IOANNIS quoque RHENANI *Vrocriterium chymiatricum,* Marpurg. 1610. 8. impressum, quod CONRINGIVS in *Introduct. in artem medic.* cap. VI. §. 5. librum ineptissimum appellauit, huc referendum esse, id obiter monere volui.

f) Tractatus istius *Anonymi*, qui nouem constans plagulis Gothae 1703. 8. prela reliquit, rubrica insignitur sequente: *Relationes curiosae medicae von dem bishero sehr verachteten Signo physico, dem Vrin, aus dessen substantia, coloribus & contentis die nöthige vnd nüzliche Wissenschafft verborgene Kranckheiten zuerkennen, auch dessen schädlicher Misbrauch vnd Betrug mit gewissen Vernunffts-Gründen vnd Exempeln erkläret vnd bewiesen wird, mit beygefügter examination oder Ausforschung natürlicher Dinge Eigenschafften, als der Wasser, Brunnen, Weins, zumal aber des Vrins durchs künstliche accurate Abwiegen, die Gradus der Gesundheit vnd Kranckheiten, ab- vnd zunehmen, Zuneigung zum Leben oder Todt, gründ-*

licher als durch andere Zeichen zu erfahren, von einem nunmehr auf die XX. Iahr der löblichen Medicin und natürlichen Philosophie zugethanem, Cuius Spes Salus Diuina.

g) Vid. STOLLII *Historia medicinae litteraria* p. 576. seq.

h) Vid. PASCHII *Inuenta nou-antiqua* pag. 442. seq.

i) Vid. HERM. FÜRSTENAVII *Desiderat. medic.* p. 211. vbi de hoc autore eiusque conatu sequentem in modum iudicat: Vrina hydrostatice examinata non contemnenda suggerit morborum criteria, & singulare prorsus est, quod a non nemine scriptum accepimus: Signum inclinantis sanitatis esse, quando vrina pondere vno vel duobus granis augetur, quando vero vltra tria vel quatuor grana ponderat, morbum iam adesse, si ad quinque grana, mortem de quo tamen, vt IO. ERN. SCHAPERVS optime iudicat, experientia erit vlterius consulenda.

§. XII.

Hactenus de illis loquutus sum, qui de duobus maxime tritis & tantum non vniuersalibus signis medicis fuere solliciti; de vrina videlicet atque pulsibus. Superest, vt sub calcem capitis praesentis pauca quaedam adiiciam de illo semiologicorum scriptorum genere, qui de quibusdam peculiaribus signis, quae medici in certis morbis attendere sunt soliti, seorsim egerunt. De excrementis alui ex veteribus THEOPH. PROTOSPATHARIVS k), e recentioribus autem IO. BAPT. l) MONTANVS singularia ediderunt opuscula. De sudore IVL. CAES. BARICELLVS m) legendus est. De saliua FRIDER. n) HOFFMANNVS; & de sanguine IO. IESSENIVS o) A IESSEN; CHRISTIAN. VATERVS p) & iterum FRID. q) HOFFMANNVS, scribendi curam in se receperunt. Linguam PROTHVS r) CASVLANVS considerauit *). In faciem GEORG. ERN. STAHLIVS inquisiuit, in *Dissertatione de facie* s) *morborum indice.* De vnguibus CAMILLVS t) BALDVS peculiarem, IO. RHODIO u) magni aestimatum, librum emisit. A IO. EHRENFRIED THEBESIO denique *Dissertationem de somno vt signo*, Lipsiae anno 1740. 4. impressum accepimus w).

k) THEO-

k) THEOPHILI *De excrementis alui & iudicio medico ex illis ferendo, libellus, a* THOMA GVIDOTIO *primum, ex Bibliotheca Bodleiana, graece & latine*, Lugdun. Bat. 1703. 8. fuit diuulgatus, annexus eius *Tractatui de vrinis*, quo de tom. I. cap. II. sect. I. §. 16. iam dixi.

l) IO. BAPT. MONTANI *Libri duo de excrementis, vnus de fecibus, alter de vrinis*. Patau. 1554. 8. Inuenitur hoc opusculum etiam in opusculis eius medicis iunctim editis, de quibus tom. I. cap. V. §. 13.

m) IVL. CAES. BARICELLI *a S. Marco de hydronosa natura, siue, sudore humani corporis libri quatuor. In quibus non solum de origine, differentiis & praesagio, verum atque de vsu, apparatu & curatione sudorum disseritur.* Neapoli 1614. 4. GUNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conring. introduct.* cap. V. §. XX. autori hoc tribuit laudi, quod de sudoribus docte & vberrime scripserit. Idem repetit cap. VI. §. X. scribens, quod BARICELLVS de sudore, qua huc pertinet (nempe ad semiologiam) satisfecerit.

n) FRID. HOFFMANNI *Diss. de necessaria saliuae inspectione ad conseruandam ac restaurandam sanitatem.* Halae 1698. 4. In FÜRSTENAVII *Desideratis medicis* p. 214. scribitur: Dolendum sane, solum fere FRID. HOFFMANNVM saliuae pariter ac linguae inspectionem in omnibus morbis valde necessariam fusiore tractatione persecutum esse.

o) IOANNIS IESSENII A IESSEN *De sanguine, vena secta, dimisso, iudicium.* Pragae 1618. 4. & *cum notis ac castigationibus* IAC. PANCRAT. BRVNONIS, Norimberg. 1668. 12. ROSINO autem LENTILIO hunc tractatum minus satisfecisse, sequentia ipsius testabuntur verba: Optandum, inquit, vt saniora prostarent de iudiciis e sanguine per venam sectam educto ferendis. Quae enim calendariis annexa a barbitonsoribus memoriter discuntur, & plebeiis ore pleno dictantur, anilia sunt; nec mentem satiant, quae IESSENIVS hoc super argumento scripsit.

p) Vid. FÜRSTENAVII *Desiderata medica* p. 212.

q) FRID. HOFFMANNI *Dissert. de iudicio ex sanguine per venae sectionem emisso.* Halae 1727. 4.

r) Liber eius ita inscribitur: *De lingua, quae maximum est morborum acutorum signum, opus in re medica noui argumenti, autore* PROTHO CASVLANO, *Senensi*, Florentiae 1621. 4. Coloniae Agr. 1626. 8. CONRINGIVS appellat hoc opus, in *Introduct. in art. medic.* cap. VI. §. 9. libellum elegantissimum. Ex FÜRSTENAVII porro *Desideratis medic.* p. 213. apparet, hunc tractatum praecipue SANCTORIO SANCTORIO oppositum fuisse, quippe qui in *Methodo vitandorum errorum medicorum*, de signo hoc contemtim admodum pronunciauerat, immo penitus prope id ipsum reiecerat.

*) Lo-

*) Locum hic etiam meretur aliquem sequens schediasmation, quod ita inscribitur: IO. MAVR. HOFFMANNI γλωσσογραφία τριμερής, *Linguae statum naturalem, praeternaturalem, & signa exinde petenda exponens.* Altorf. 1677. 4. Nescio tamen qui factum sit, vt hoc opusculum in indice scriptorum IO. MAVRIT. HOFFMANNI, quem in *Biographiis professorum medicinae Altorfinorum* p. 137. seqq. consignauit IO. IAC. BAIERVS, non compareat.

s) Pertinet etiam huc CHRISTIAN. LANGII *Facies Hippocratica leui penicillo adumbrata.* Lipsiae 1651. 4.

t) CAMIL. BALDI, *De naturali ex vnguium inspectione praesagio, commentarius.* Bononiae 1629. 4.

u) In *Bibliotheca medica* pag. 155, vbi liber iste refertur in censum autorum, qui in certis materiis excellunt.

w) Vide noua litteraria anni 1740. pag. 528.

CAP. V.

DE SCRIPTORIBVS MATERIAE MEDICAE.

§. I.

In recensendis scriptoribus, ad praesens caput spectantibus, ordine si procedere voluero; in quatuor illud sectiones distinguere, inque earum *prima*, de scriptoribus generalibus simplicium, eorumque facultatum, in *secunda*, de mineralogicis; in *tertia*, de zoologicis; in *quarta* denique, de botanicis autoribus, idque seruata, quam semel elegi, serie chronologica, agere me, oportebit.

§. II.

Quandoquidem porro maxima librorum huius indolis pars est eiusmodi, vt, si intuearis argumenta eorundem, in philosophicae potius, quam in medicae, qualem nunc adorno, bibliothecae scriniis locum tueri aliquem valeant: coactum me hinc video, nisi contra instituti mei rationes agere velim,

ex

ex inusitata illa talium scriptorum multitudine eos saltem eligere autores, qui, in tractando ac deducendo hoc ipso argumento, non tam de grammaticis, historicis atque philosophicis obseruationibus, quam de vsu medico monstrando, sollicitos sese gesserunt; quanquam & horum quoque potissimos tantum, quique prae ceteris momentum trahere videbuntur, allegare iuuabit.

CAP. V. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS GENERALIBVS SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM, EORVMQVE FACVLTATVM.

CONTENTA:

Scriptores de materia medica generales graeci & latini §. *1.* *Arabes & latino-barbari* §. *2.* *Scriptores eiusdem argumenti saeculi XVI.* §. *3.* *Saeculi XVII.* §. *4. 5.* *Saeculi XVIII.* §. *6.* *Scriptores de simplicium medicamentorum facultatibus generales.* §. *7-11.* *Scriptores speciales.* §. *12.*

§. I.

E veterum, quae ad nos peruenere a), monumentis, quoad graecos quidem, PEDANIO DIOSCORIDI & CLAVDIO GALENO, quoad latinos autem, AVREL. CORNEL. CELSO atque CAIO PLINIO SECVNDO, prae reliquis, locum hic concedam. DIOSCORIDIS *Libri V. de materia* b) *medica*, a GALENO quidem c) omnibus aliis huius generis scriptoribus fuerunt praelati; nihilo tamen minus ab omni errore atque defectu d) nequaquam immunes pronunciari possunt. CLAVDII GALENI *Libri XI. de simplicium medicamentorum facultatibus*, separatim e) quoque

que editi, optimis quidem huius medici monumentis adnumerantur; quam plurima f) tamen in his etiam humanae deprehenduntur veſtigia imbecillitatis. Ex AVREL. CORN. CELSI g) *Libris VIII. de medicina* quintus huc referri poteſt; CAII contra PLINII h) SECVNDI *Hiſtoriae naturali* quindecim amplius libri, materiae medicae inſeruientes, inſerti inueniuntur, qui fabuloſis i) quidem non nullis relationibus hinc inde ſunt deformati, de cetero autem ita conſcripti, vt, ad hanc vsque aetatem, haud infima in orbe litterato, idque iure ſuo, floreant exiſtimatione.

a) Namque IOLAE BITHYNI, HERACL. TARENTINI, CRATEVAE, ANDREAE, IVL. BASSI, NICERATI, PETRONII, NIGRI, DIODOTI, ASCLEPIADIS & quorundam aliorum hac de re conſignata opera iam pridem inter deperdita haberi, id obiter tantum notare volui.

b) Vid. Tom. I. cap. II. ſect. I. §. 6. quo loco ea, quae de editionibus, translationibus atque commentariis horum librorum ſcitu maxime erant neceſſaria, iam adnotare me, memini.

c) V. c. Lib. IV. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, cap. I. circiter finem; in commentar. II. de natura humana §. 12. cum primis vero in Prooemio libri VI. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vbi ita ſcribit: DIOSCORIDES *Anazarbenſis* quinque libris materiam omnem vtilem abſoluit, non herbarum tantum, ſed & arborum, & fructuum, & ſuccorum, & liquorum, memorans inſuper & metallica omnia, & partes animalium. Et mihi vtique videtur, omnium perfectisſime tractatum de materia medicamentorum perfeciſſe.

d) Quam plurima, exempli gratia, ſimplicia aut omnino non, aut non adcurate ſatis neque luculenter deſcripſit; adde, quod de paucisſimis adnotauit, quo loco, quo tempore, quoue modo ſint adhibenda: de quibus ſingulis iam pluribus egi in *Stolliana medicinae hiſtoria*, pagina 614. ſeqq.

e) CLAVD. GALENI *De ſimplicium medicamentorum facultatibus libri XI.* THEODORO GERARDO *interprete*. Pariſ. 1530. fol. 1543. 8. Vid. *Bibliothec. Riuin.* p. 495.

f) Euoluatur STOLLII *Hiſtoria medicinae litteraria*, pag. 690. ſeqq. vbi breuiter demonſtraui, hypotheſin de quatuor qualitatibus primis, quam Galenus hic fundamenti loco ſubſtrauit, partim minus adaequatam, partim ſubleſtae fidei eſſe.

g) Vid.

g) Vid. Tom. I. cap. II. sect. II. §. 1.

h) Ibidem §. 3.

i) Ex. causs. lib. X. cap. 18. lib. XXV. cap. 2. in primis autem lib. XXVI. cap. 4. Quod si quis ex his & multis aliis portentosis recensionibus argumentari forte voluerit de nimia PLINII credulitate; nae, is oppido falleretur. Quum enim ipse lib. VII. cap. I. sequentem in modum consilium suum declarauerit, scribens: *Nec tamen ego in plerisque eorum obstringam fidem meam, potiusque ad autores relegabo, qui dubiis reddentur omnibus;* manifesto hinc apparet, PLINIVM, more historiographis vsitato, omnis modi extraordinaria & creditu perquam difficilia eo consilio referre, vt hinc ansam arriperet, irridendi stultam plerorumque hominum credulitatem; id quod vel imprimis ex capite 4. lib. XXVI. clarescit.

§. II.

Arabum medicos quantum spectat; SERAPIONIS, AVERRHOIS & RHAZIS nobis relicta opera de simplicibus medicamentis, in collectione illa iam supra k) memorata, quam curae ac studio OTTONIS BRVNFELSII debemus, vna luci exposita fuerunt publicae. Ea contra, ABENBITARIS, seu, EBENBITARIS *Opus insigne de simplicibus medicamentis* ordine alphabetico digestum, quod GVILIELM. POSTELLVS tantis laudibus euexit, ad hunc vsque diem delitescit l) in manu exaratorum scriniis; quamuis MELCHISEDECH THEVENOTVS pridem versionis latinae, a GALLANDIO adornatae, publicandae spem orbi litterato fecerit. Latino - barbaros quod adtinet, supra modum magna credita isto aeuo fuerunt merita, quorum gratiam tum SIMON m) IANVENSIS, edita *Claue sanationis;* MATTH. n) SYLVATICVS, congestis a se *Pandectis medicinalibus,* IAC. o) DONDVS, *Promptuario sanitatis* euulgato, seu, *Aggregatore de medicinis* p) *simplicibus;* & IOANNES denique a CVBA, conscripto illo, toties q) de nouo imprimendo, quem vocat, *Horto sanitatis,* apud coaetaneos suos fuerunt consequuti. Nostra vero aetate, omnes istos libros rarioribus quidem, sed minus vtilibus scriptis vt adnumeremus, oportet.

k) Vid.

k) Vid. Tom. I. cap. VII. sect. II. §. 3.

l) Confer. TOVRNEFORTII *Isagoge in rem herbariam*, pag. 18. quo loco simul commemorat, DIONYS. DODARTVM de pretio libri huiusce manu scripti arabici longe infra GVIL. POSTELLVM esse licitatum.

m) Vid. Tom. I. cap. I. sect. V. §. 17. & SEGVIERII *Bibliothecam botanicam*, pag. 268. vbi editio Patauina anni 1474. fol. ceu omnium antiquissima allegata comparet; in eo autem lapsus est SEGVIERIVS, quod, SIMONEM A CORDO pag. 241. & SIM. IANVENSEM pag. 268. duos diuersos autores esse, putauit.

n) Vid. Tom. I. cap. I. sect. V. §. 4. ibi enim ex FABRICII *Bibliotheca latina* praecipuas iam recensui editiones.

o) Vid. Tom. I. cap. I. sect. V. §. 17.

p) Conf. *Bibliothec. Riuinian.* p. 497. vbi inuenitur sequens huius operis & inscriptio & editio: IACOBI DE DONDIS *Aggregator Paduanus de medicinis simplicibus. Editio antiquissima, sine mentione loci & anni.* fol. reg.

q) Vid. SEGVIERII *Bibliothecam botanicam* pag. 242. sequ. & *Bibliothecam Riuin.* pag. 497. sequ. in qua vel sola decem diuersae huius tam magno olim aestimati libri editiones fuerunt inuentae, quarum forsitan vetustissima fuerit illa, quae in Germania, Augustae nempe Vindelicorum, anno 1486. fol. prodiit, editio; seu potius ea, cuius IAC. BRVCKERVS in *Historia vitae* OCCONVM p. 12. meminit, ceu, sine autoris, loci, anni & typographi designatione, diuulgatae. Vtrum de cetero CVBA isthic, cuius CONR. GESNERVS in *Bibliotheca vniuersali* plane oblitus fuit, medicus Augustanus, quemadmodum BRVCKERVS c. l. refert; num vero, vt SEGVIERIVS, loco itidem iam allegato, commemorat, medicus Francofurtensis, sit appellandus? id disquirendum, si tanti fuerit, adhuc restat.

§. III.

America detecta, & frequentatis cum in orientalem, tum in occidentalem Indias nauigationibus, certatim Lusitani ac Hispani, saeculo post decimum sexto, de materia medica, & vel in primis de simplicibus exoticis, sollicitos sese gerere studuerunt. GARCIAE AB HORTO, vel, AB ORTA, *Aromatum & simplicium aliquot medicamentorum apud indos nascentium historia, ex lingua lusitanica latina facta, & in epitomen contracta a* CAROLO CLVSIO, quam CLAVD. SALMASIVS, in *Homonymis hyles iatricae* cap. 115. per-

perquam vili pendit, aliquoties r) Antwerpiae seorsim prelo fuit substrata, quum ab ipso autore, sermone Lusitano, Goae 1563. 4. antea typorum ope, fuisset diuulgata. NIC. MONARDIS *De simplicibus medicamentis ex occidentali India delatis, quorum in medicina vsus est, libri tres*, singuli initio, idque idiomate Hispanico, Hispali, seu, Seuillae, luci expositi, itidem e versione latina CAROLI CLVSII, separatim s) deinceps prodierunt. Pari t) fato vsus est CHRISTOPHORI A COSTA *Aromatum & medicamentorum in orientali India nascentium liber*, CAROLI CLVSII *opera ex hispanico sermone latinus factus, in epitomen contractus & quibusdam notis illustratus.* Similiter & IO. FRAGOSI *Aromatum, fructuum & simplicium aliquot medicamentorum, ex India occidentali & orientali in Europam delatorum historia*, ab ISR. SPACHIO, ex Hispanico u) in Romanum sermonem transfusa, notisque non nullis marginalibus illustrata & Argentorati 1601. 8. edita fuit. Operis amplissimi, autore FRANC. HERNANDEZ conscripti, particulam tantum & paruum veluti compendium w), opera NARDI ANTONII RECCHI, accepimus. Verum enimuero scriptoribus hactenus memoratis plerisque haud difficulter supersedere poterit, cui occasio oblata fuerit, CAROLI CLVSII x) *Exoticorum libros decem*, quibus tractatus AB ORTAE, MONARDIS, A COSTAE & aliorum huc spectantes sunt vna inserti, sibi adquirendi y).

r) Antwerpiae 1567. 1574. 1579. & 1593. 8. quarum editionum vltima in inscriptione libri, editio castigatior & aliquot locis auctior, audit. De reliquis editionibus, vt & de versionibus huius libri, consuli poterit SEGVIERII *Bibliotheca botanica* pag. 266.

s) Antwerpiae 1579. & 1582. 8. Vid. *Bibliothec. Riuiniana* p. 595.

t) Etenim hoc quoque opusculum Antwerpiae 1582. & 1593. 8. seorsim impressum est; posteaquam antea, idque lingua Hispanica, Burgis 1578. in 4. fuerat in lucem prolatum publicam.

u) Autographum hispanicum Madriti 1572. in 8. typis fuit exscriptum.

w) Titulo instructum sequenti: FRANC. HERNANDEZ *Noua plantarum, animalium & mineralium mexicanorum historia: a* NARDO ANTONIO RECCHO *in volumen digesta: a* IOANNE TERENTIO, IOANNE FABRO, & FABIO COLVMNA, *Lynceis, notis & additionibus longe doctissimis illustrata.* Romae 1649. fol. Vid. LINDEN. *renouat.* p. 287.

x) CAROL. CLVSII *Exoticorum libri decem, quibus animalium, plantarum, aromatum, aliorumque peregrinorum fructuum historiae describuntur.* Ex officina Plantiniana Raphelengii 1605. fol.

y) Interim IOANNES RAIVS, in praefatione tomi III. Historiae suae plantarum, de libris hisce exoticorum CAR. CLVSII, non sine ratione sufficiente pronunciauit: Quod ad exoticas plantas attinet, earum notitia CLVSII & BAVHINORVM temporibus mediocris fuit & subobscura, vel ex peregrinantium & nauclerorum, in stirpium historia minus versatorum; aut etiam plane hospitum, ephemeridibus & itinerariis, vel ex fructibus, seminibus, aliisque plantarum rariorum partibus, quas viatores aut socii nauales secum ex Indiis in Europam venum attulerunt, redemptis, hausta.

§. IV.

Saeculo septimo decimo numerus scriptorum de materia medica generaliorum luculenter adcreuit; ipse tamen sequentium z) solum facturus sum mentionem. PETRI BORELLI *Hortus, seu, armamentarium* a) *simplicium mineralium, plantarum & animalium ad artem medicam vtilium, cum accurata eorum etymologia, descriptione, loco, temperie & viribus;* & IOANNIS PHILIPPI GIESWEIN *Hodegus medicus, siue, systema vniuersae materiae medicae galenochymicum,* Francofurt. 1676. 8. nostra aetate parum quaeruntur amplius aut aestimantur. IOANNIS contra GEORGII MACASII *Promptuarium materiae medicae*, aliquoties b) impressum; & CHRISTIANI MARGGRAVII *Materia medica* c) *contracta, exhibens simplicia & composita medicamenta officinalia*, plura quondam tulere suffragia. GEORG. NIC. SCHVRZII liber, germanice scriptus, cui titulus: *Neueingerichtete Material-Kammer; das ist, gründliche Beschreibung aller vornehmsten Materialien und Specereyen*, &c. Norimbergae 1673. fol. euulgatus, iudice MICH. BERNH.

VA-

VALENTINI d); aeque ac IOAN. IAC. MARXENS *Teutsche Material-Kammer*, variis erroribus atque naeuis est deformatus; posterius tamen opus, in editione altera Norimbergae 1709. 8. recusa, si titulo credendum, iisdem fuit liberatum. CHRISTOPH. VIELHEVERS *Gründliche Beschreibung fremder Materialien vnd Specereyen, nach ihrem Vrsprunge, Wachsthum, Herkommen, vnd derselben Natur- vnd Eigenschafften* &c. Lipsiae 1676. 4. titulo ipso prodit, autorem circa sola simplicia exotica occupari voluisse.

z) De horum namque diuersis longe commodior inferius, capite nempe VII. quod de scriptoribus pharmaceuticis aget, dicendi se occasio mihi offeret.

a) Castris 1666. 8. Paris. 1669. 8.

b) Francofurt. 1654. 8. Vlmae 1676. 4. Lipsiae 1677. 12. Harum editionum postrema a IO. MATTH. NESTERO aliquatenus auctior est reddita.

c) Lugduni Batau. 1674. 4. multoque auctior Amstelodami 1682. 4.

d) Videatur Praefatio *Musei* eius *museorum*.

§. V.

Exspiraturo propemodum saeculo decimo septimo, inuenti sunt varii viri perquam sollertes huiusque studii gnari, qui maiorem materiae medicae accenderent lucem. SAM. DALE *Pharmacologia, seu, manuductio* e) *ad materiam medicam*, Londini anno 1693. 8. in litterati orbis conspectum producta; deinde ab autore ipso *Supplemento* f) *pharmacologiae* aucta Londini 1705. 8. excusa, alibi mox g) recusa; in *Bibliotheca* autem *botanica Seguieriana* omissa; HERM. h) BOERHAAVIO admodum bene audit. PAVLLI HERMANNI *Lapis materiae medicae lydius, seu, accuratum medicamentorum simplicium examen, post obitum autoris editum a* CHRIST. LVDOV. WELSCHIO Lipsiae 1703. 8. & Lugd. i) Batau. 1704. 8. ob aptam, qua dispositum est, tractandi rationem, tanto fauore fuit exceptum, vt non diuersis solum in locis recitationibus academicis instituendis fundamenti loco substerne-

retur, ſed &, quia exempla celeriter erant diſtracta, a IO. SIGISM. HENNINGERO k) iterum prelo typico ſubiiceretur, nec non aliquot annis poſt, multis additamentis IO. l) BOECLERI locupletatum, denuo diuulgaretur; quin & Londini 1727. 8. anglice verſum excuderetur. Liber gallice ſcriptus, cui titulus: *Hiſtoire generale des Drogues, traitant des plantes, des animaux, & des mineraux* &c. *par* PIERRE POMET a Paris 1694. in fol. ob ſui praeſtantiam, non ſolum in germanicam m) & anglicanam n) linguas fuit translatus; ſed plane noua etiam, eaque magnum in modum aucta editio eiusdem gallicana, ab autoris filio ſuperſtite curata & Lutetiae Pariſiorum anno 1735. 4. duobus voluminibus conſtans, fuit diuulgata. Simili fortuna ac fauore gauiſum eſt aliud opus gallicum, inſcriptum: *Traité vniuerſel des drogues & ſimples, miſes en ordre alphabetique* &c. *par* NICOLAS LEMERI: quemadmodum iam ſuperius p), non citra laudem, de lexico hoc me dicere, memini.

e) *In qua medicamenta officinalia ſimplicia, hoc eſt, mineralia, vegetabilia, animalia, eorumque partes in medicina officinis vſitata, in methodum naturalem digeſta, ſuccincte & adcurate deſcribuntur. Cum notis generum characteriſticis, ſpecierum ſynonymis, differentiis & viribus.*

f) SAMVELIS DALE *Pharmacologiae, ſeu, manuductionis ad materiam medicam, ſupplementum, medicamenta officinalia ſimplicia priore libro omiſſa complectens, vt & notas generum characteriſticas, ſpecierum ſynonyma, differentias & vires.* Bremae 1707. 8.

g) Ex. gr. Bremae 1705. & 1713. 8. vt & Lugd. Bat. 1738. 4.

h) In *Methodo diſcendi medic.* p. 204. Scripſit SAMVEL DALE pharmacologiam, ſeu, manuductionem ad materiam medicam Londini 1693. 8. In eo libro breui ſtilo, nec diuertente a ſcopo, proponuntur ſimplicia, ad claſſes reducuntur breuisſime, explicantur vires, & de notis ac characteribus optime & ſummo ingenio ſcriptum eſt.

i) Vid. *Bibliothecae Burckhardian.* part. IV. p. 138 ſequ. & *Biblioth. Riuinian.* p. 502. Vtraque editio in SEGVIERII *Bibliotheca botanica* pag 262. fuit praeterita

k) PAVLI HERMANNI *Cynoſura materiae medicae, ſeu, breuis ac ſuccincta methodus notitiam ſimplicium medicamentorum comparandi* &c. *edita a* IO. SIGISM. HENNINGERO. Argentorat. 1710. 4.

l) PAVL.

l) PAVL. HERMANNI *Cynosura materiae medicae, antea cum breuibus annotatis in lucem emissa a* IO. SIG. HENNINGERO, *nunc diffusius explanata, & compositorum medicamentorum recensione aucta, curante* IO. BOECLERO. Argentorat. 1726. 4.

m) Titulum praeferens huncce: PETRI POMET *Aufrichtiger Materialist vnd Specerey-Händler* &c. Lipsiae 1717. fol. vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 501.

n) SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* euoluatur pag. 293. vbi versio anglicana Londini 1725. impressa in 4. allegatur.

o) De variis, iisque gallicanis, editionibus vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* p. 272. vbi relatum legimus, librum isthunc LEMERII prima vice Lutetiae Parisiorum anno 1697. 4. & ibidem, sed augmentis ab autore adiectis locupletatum, anno 1714. eadem forma, esse excusum; mox Amstelodami 1716. 4. tum Roterodami 1727. 4. recusum; denique vltima vice Parisiis 1733. 4. adiectis non nullis BERNHARDI DE IVSSIEV additamentis, diuulgatum.

p) Vid. Tom. I. cap. I. sect. V. §. 19. vbi simul obseruaui, opus hocce in germanicam, italicam atque belgicam linguas fuisse translatum; Germanicae autem translationis SEGVIERIVM cit. loc. obliuio cepit.

§. VI.

Recentissimis temporibus etiam quam plurimi q) ad scribendum de hoc ipso argumento calamos arripuere; quos inter praeterire mihi vix licet eos, qui nunc sequuntur. MICH. BERNH. VALENTINI *Museum miseorum, oder, vollständige Schaubühne aller Materialien vnd Specereyen, nebst deren natürlichen Beschreibung, election, Nutzen vnd Gebrauch* &c. ab autore patrio, id est, germanico r) sermone conscriptum ac publicatum, a IOANNE vero CONRADO BECKERO ciuitate romana s) donatum, optimeque Giessae & Francofurti 1723. fol. impressum, extra dubium est de numero accuratissimorum pariter ac plenissimorum huius indolis scriptorum. HERM. BOERHAAVII *Libellus* t) *de materia medica & remediorum formulis*, ad illustrandos potissimum aphorismos autoris de cognoscendis & curandis morbis, ab ipso fuit euulgatus. IO. IAC. IANTKII *Selectus materiae medicae, tabulis 66. exhibitus*, Norimbergae 1720. 12. ex-

cuius, ibidem anno 1731. eademque forma, verum auctior, est recusus, comitem simul nactus DANIEL. NEBELII *Thesaurum Ludouicianum, seu, compendium materiae medicae selectum*. IOANNIS BOECLERI *Cynosura materiae medicae continuata*, u) *ad cynosurae Hermannianae imitationem collecta*, opus est amplioris ambitus, quod absoluere, vltimamque manum ei admouere, autori, morte praeuento, non fuit integrum. HERM. FRIDER. TEICHMEYERI *Institutiones materiae medicae, siue, introitus apertus ad materiam medicam & methodum medendi*, Ienae 1737. 4. beneuole fuerunt exceptae; etiamsi aeque hae ac IANTKII, NEBELII atque BOECLERI modo memorati libri, in SEGVIERII *Bibliotheca botanica* locum inuenerint nullum. STEPH. FRANC. GEOFFROY *Tractatus de materia* w) *medica, siue, de medicamentorum simplicium historia, virtute, delectu & vsu*, elogium, quo in praefatione x) praemissa ipsi, ornatus legitur, optimo iure meriturus fuisset, si fata autori eius permisissent, praestantissimum hoc opus pari, ac coeptum y) fuerat, diligentia ad coronidem perducere. De IOANNIS vero CHRISTOPHORI RIEGERI *Introductione in notitiam rerum naturalium*, iam superius z) me dixisse, lector deprehendet.

q) Ad euitandum diffusioris huius bibliothecae molis taedium, circa GEORG. WOLFFG. WEDELII *Syllabum materiae medicae selectioris*, Ienae 1701. 4. IO. CASP. MANGOLDI *Materiae medicae ideam nouam tripartitam*, Francofurti 1720. 8. IOSEPHI PITTON DE TOVRNEFORT *Traité de la matiere medicale*, Paris. 1717. 12 ADAM. GOTTL. RICHTERI *Tract. de corruptelis medicamentorum cognoscendis*, Dresdae 1732. in 8. variaque alia scripta, moras nectere mihi non fuit licitum.

r) Operis huius vnicus tantum initio prodibat tomus, Moeno-Francofurti anno 1704. fol. impressus; repetita autem ibidem anno 1714. in eadem forma, illius editione, manifestum capiebat incrementum, tomo quippe II. & III. auctum.

s) MICH. BERNH. VALENTINI *Historia simplicium reformata, sub musei museorum titulo antehac in vernacula edita, iam ab auctore emendata & locupletata, & a IO. CONR. BECKERO latio restituta.* Acces-

Accessit India litterata auctior per CHRISTOPH. BERNH. VALENTINVM. Francof. 1716. fol.

t) Lugdun. Batau. 1719. 8. & multo auctior 1739. in 8. Vid. Noua litterar. 1740. pag. 100.

u) Huius tomus I. Argentorati 1729. 4. & tomus II. ibidem 1731. 4. prela reliquerunt. Tomo vero III. eique vltimo futuro, immortuus fuit autor.

w) Paris. 1741. 8.

x) Optimo iure dici potest, neminem eorum, qui de eodem argumento hactenus scripserunt, ipsi esse aequiparandum.

y) Editor enim, qui latere nomen suum voluit, refert in praefatione, GEOFFROYIVM praeter tomum I. de fossilibus, & tomi II. partem primam de vegetabilibus exoticis, nihil elaborasse; parti autem secundae insudantem de vegetabilibus indigenis diem suum obiisse; postremo de animalibus tomo, ne coepto tum quidem, fidem tamen dedit BERNHARDVS DE IVSSIEV de residuis elaborandis.

z) Vid. Tom. I. cap. I. sect. V. §. 20.

§. VII.

Recensiti hactenus scriptores quemadmodum de simplicibus in genere considerandis ita fuerunt solliciti, vt non solum natiua eorundem descriptio cautaque electio; sed vna etiam vsum atque facultates, quibus pollent, monstrandi cura occupatos tenerent ipsos: ita fuerunt alii inuenti, qui posterius saltem momentum, doctrinam nempe de viribus & facultatibus medicamentorum, peculiaribus scriptis indagandum sibi sumserunt. Hoc tamen loco, ex vniuersa antiquitate, vlterius nihil occurrit, praeter vnos illos, quos iam sub introitum huiusce sectionis nominaui, *Libros XI.* CLAVDII GALENI *de simplicium medicamentorum facultatibus*, quod in censum hic venire queat. Quae enim ipse hac de re semel consignauerat, adeo placuerunt orbi, vt vnanimis suffragiis reciperentur; nec prius mutatio aliqua facta, quam cum saeculo XVI. PARACELSVS doceret medicorum filios, efficaciam, vires atque virtutes simplicium non, quod hactenus fieri sueuerat, olfactu & gustu, sed exterius apparente colore a), textura &

 signa-

ſignatura, praecipue vero analyſi chemica, eſſe explorandas atque detegendas.

a) In CONRINGII quidem *introductione in art. medic.* cap. VIII. §. 10. ita ſcriptum legitur: Ex recentioribus *Paracelſiſtae nouam & veteribus plane incognitam* explorandarum virium ſimplicium rationem monſtrare conati ſunt. Praecipue vero de viribus ex *figura & colore* diuinare voluht. Verum enimuero in *Stolliana medicinae hiſtoria* pag. 693. iam a me probatum fuit, erroneam eſſe hanc opinionem; quia in lib. I. *de Dynamidiis* GALENO ſpuria ratione adſcripto, a REINESIO autem in *Variarum lectionum* lib. III. cap. XII vero ſimiliori fundamento GARIOPONTO adſignato, lucilento ſenſu ſequentia leguntur verba: Omnium ſimplicium qualitas & potentia quatuor modis probatur, viſu, tactu, odore, & ſapore. Viſus omnium ſimilitudinem foliorum vel florum, & cuiuslibet materiam & *colorem* demonſtrat Tactus cuiusque rei mollitiem vel duritiem, ponderis ſeu leuitatis aeſtimationem docet. Odore intelliguntur ea, quae odorata ſunt, thermantica, ſtyptica, auſtera & putrida. Sapore intelliguntur ea, quae ſunt amara, dulcia, ſalſa, acria, acida & lenia.

§. VIII.

Nec tamen eo minus plerique decimi ſexti ſaeculi medici inhaerebant dogmatibus GALENI: vbi prae reliquis quidem in cenſum FRANC. VALLESIVS, ANT. MVSA BRASAVOLVS, PET. ANDR. MATTHIOLVS, maxime autem famigeratisſimus ille IO. BAPT. MONTANVS, veniunt. FRANCISCVS nimirum VALLESIVS non *Commentaria* ſolum, *in quinque priores* CLAVD. GALENI *de ſimplicium medicamentorum facultatibus libros*, Compluti 1569. 8. impreſſa, euulgauit; ſed in ſuis etiam iam ſupra b) memoratis *Controuerſiis medicis & philoſophicis*, lib. IX. cap. XI. *Galenicam* hancce methodum, iudice IO. CONR. c) BARCHVSEN, in ſummum apicem euexit, & ad minutisſima vsque eiusdem obſeruans fuit. ANT. MVS. BRASAVOLI *Examen omnium ſimplicium, quorum vſus in officinis eſt*, Romae 1536. fol. in lucem expoſitum litterariam, Baſileae, Venetiis atque Lugduni frequentioribus d) prelis fuit repetitum. PET. ANDR. MATTHIOLI *De ſimplicium medicamentorum facultatibus*

bus secundum locos & genera, opusculum, Venet. anno 1569. 12. & Lugduni 1571. 12. typis exscriptum, locum etiam hic tueri potest. Attamen *Tractatus* 10. BAPT. MONTANI, paruus e) quidem mole, sed longe praestantissimus, quem *De differentiis medicamentorum, & caussis diuersarum virium ac facultatum in medicamentis* conscripsit, quemque CASP. PEVCERVS, praemissa eidem praefatione, Wittebergae 1551. 8. seorsim imprimendum curauit, cum a modo nominato PEVCERO f), tum a GVNTH. CHRISTOP. SCHELHAMMERO g), haud ambigue omnibus reliquis huius argumenti libris fuit praepositus.

b) Vid. Tom. I. cap. VI. sect. I. §. XI.

c) *De medicinae origine & progressu* Dissert. VI. §. 4. pag. 84. vbi haec scripta leguntur: VALLESIVS longe omnium, qui mihi innotuerunt, curiosissimus in dimetiendis medicamentorum viribus fuit, quippe eas arithmeticorum more ad calculos vocauit. Neque enim contentus erat, simpliciter numero integro, prout veteribus in vsu erat, sed fracto, computare; ideoque memorat sesquialteros, sesquitertios, quinquesextos &c. caloris frigorisque gradus. Admiror viri inclyti acutissimam & subtilissimam medicamenta ad calculos reuocandi rationem: quasi vero non anceps numerus esset, si quis integrum ad dimetiendas remediorum vires duntaxat adhibuerit; praesertim vero, cum adhuc sit lis pendens, an caloris, an frigoris &c. tanta portio reuera insit rebus. Quantum ad me pertinet, mihi videntur haec, quae ab assectis GALENI dicuntur, concludi contortius, quam ipsi argumentari vnquam queunt.

d) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 232. quo loco octo editiones citantur.

e) Sex enim, non pluribus, constat plagulis; nihilo tamen minus SCHELHAMMERVS in *Additamentis ad Conringianam in artem medicam introductionem* cap. III. §. 16. pag. 125. sequ. nullus dubitauit scribere: Quisquis de ea re aliter persuasus est, illum omnino velim adire IO. BAPT. MONTANI, genuini illius GALENI interpretis, aureum libellum *De differentiis medicamentorum, & caussis diuersarum virium ac facultatum in medicamentis*, exiguum quidem, sed tanti ponderis, vt nec sine admiratione legi, nec ista GALENI dogmata citra illum satis intelligi queant.

f) Vid. eius praefatio, vbi ita scribit: Inter eos, quos hoc nostro seculo ad artis medicae explicationem diuinitus accensos videmus, vel principem facile locum tenet IOAN. BAPT. MONTANVS, vir acerrimi ingenii & iudicii dexterrimi, adeo, vt factus forma-

tusque videatur ad aperiendos & perpurgandos fontes artis medicae, qui situ squaloreque inquinati & obscurati aliquandiu latuerunt. Huius est haec, quam edimus, epitome de medicamentorum differentiis, in qua, vt artifex, miro acumine & dexteritate maxima, breuitate tanta, quantam imitari quiuis non poterit, discernit qualitates ac vires, seu facultates, medicamentorum, & causas, quantum fieri potest, ostendit, atque explicat, & velut in tabella, quaecunque GALENVS fusissime disputat, conspicienda proponit, multa etiam a GALENO vel consulto praetermissa, vel eruditorum iudiciis aestimanda relicta, explet & declarat. Estque meo iudicio dignissima, quae omnium studiosorum manibus assiduo teratur, imo pectoribus infixa atque inclusa circumferatur perpetuo &c.

g) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. VIII. §. 9. Interim ad recte intelligendum illa *Galenica*, omnino opus est attenta lectione libri citati IO. BAPT. MONTANI, viri, vt de eo PEVCERVS, qui librum istum edidit, acerrimi ingenii & iudicii dexterrimi. Vti enim alias creditum fuit, in eum virum GALENI animam veluti transuolasse; ita profecto in hoc paruulo & aureo libello spiritum ipsius videtur supergressus esse, eaque tradidit, quibus neglectis, facile GALENO, de eius conatu iudicando, iniuria fieri posset.

§. IX.

Saeculo septimo & decimo pergebant adhuc nonnulli vires simplicium maximam partem e dogmatibus *Galenicis* explicare; reliqui conabantur vna principia chemica in subsidium vocare h). Priori i) classi MELCH. SEBIZIVM, CASP. HOFMANNVM, & SIMONEM PAVLLI; posteriori vero THOM. WILLISIVM, HERM. GRVBE, & GEORG. WOLFEG. WEDELIVM commode accensere licet. MELCH. SEBIZII *Quinque priores* GALENI *libri, de simplicium medicamentorum facultatibus, in XVI. disputationes resoluti, in quibus summa est & analysis totius operis*, Argentorati 1651. 8. iunctim fuerunt impressi. CASP. HOFMANNI *De medicamentis officinalibus, tam simplicibus quam compositis, libri duo*, qui, quod titulus dicit, triginta annorum laborem exhibent, frequenter k) prela fatigauerunt, nec minus, ob sui praestantiam, a GVIDONE l) PATINO, SIMONE m) PAVLLI, & GÜNTH.

GÜNTH. CHRISTOPH. n) SCHELHAMMERO, artis salutaris cultoribus, ceu optimae notae opus, sunt commendati. SIM. PAULLI *Quadripartitum botanicum* o) *de simplicium medicamentorum facultatibus*, circa solum quidem regnum vegetabile occupatur; attamen adeo eleganter est adornatum, vt, propter res summae vtilitatis in eo propositas, omni iure eruditis perquam p) fuerit probatum magnique aestimatum.

h) Exstiterunt quidem etiam aliqui, etsi pauci, qui ex figura exteriore virtutes simplicium inuestigare laborauerunt: quemadmodum & OSWALDUS CROLLIUS *Tractatum de signaturis rerum*, in *Obseruation.* Halens. tom. VI. obs. XXIV. p. 186. seqq. recensitum, & ipsius *Basilicae chymicae* insertum, eo consilio scriptum emisit; nolui autem commemorandis eiusmodi libris immorari, quoniam persuasum mihi teneo, CONRINGIUM in *Introduct. in art. medic.* cap. X. §. 33. haud citra solidam rationem scripsisse: Ex coloribus nullum capi iudicium potest, vtpote qui cum tactilibus facultatibus, in quarum temperie virtus medica consistit, nihil commune habeant. Similiter nec ex figuris stirpium de medica earundem virtute quicquam certi collegeris; vtut hisce signaturis, quas appellant, plurimum tribuant *Paracelsistae*, quorum ineptias perspicere est ex OSWALDI CROLLII libro de signaturis rerum.

i) An DAVIDIS ABERCROMBII *Noua medicinae, tum practicae tum speculatiuae, clauis, siue, ars explorandi medicas plantarum ac corporum quorumcunque facultates ex solo sapore*, Londini anno 1685. 8. edita, etiam, vt e titulo pronum est conicere, huc pertineat? de eo certi nihil adferere equidem possum, cui liber iste nunquam est visus.

k) Paris. 1647. 4. Francofurt. 1667. 4. Ienae 1686. 4. & Lugdun. batau. 1738. 4.

l) Vid. eius *Lettres choisies* vol. I. passim.

m) In *Quadripartito botanico*, Artic. *Lens*, &, *Meum*: vbi isthoc opus ornat encomio *aurei de medicamentis commentarii.*

n) In *Additament. ad Conringii introduct. in art. medic.* cap. X. §. 41. vbi haec habet: Miror, hic excidisse autori HOFMANNUM suum, cuius eximium opus de medicamentis officinalibus inter prima venit commemorandum, eo etiam nomine, quod est veluti perpetuus in reliquos commentarius, quo, ad rationis trutinam accurate omnia examinantur. Insigni igitur cum vtilitate, prouectioribus in primis, legi potest.

o) Ro-

o) Rostoch. 1640. 4. Argentorat. 1667. & 1674. 4. Vtraque haec argentoratensis editio luculenter aucta est. Denique Francofurt. 1708. 4.

p) Vid. SCHELHAMMERI *Additamenta ad Conring. introduct.* cap. X. §. 41. Neque hic tacendae sunt SIMON. PAVLLI laudes, qui tamen de solis plantis egit in *Quadripartito* suo *botanico*. Peregregia profecto & ab aliis plane intacta plurima de virtutibus plantarum ibi reperiuntur, tanto pluris aestimanda, quod modum vtendi fideliter addit; adeoque multa egregia composita medicamenta quoque propalauit, quae proprio vsu est expertus. Id quod non in DIOSCORIDE tantum, sed & aliis plerisque, saepe frustra quaeras. Solent enim contenti esse docuisse, quo in morbo conducant, quomodo sint vsurpanda, lectori hariolandum relinquentes.

§. X.

De THOM. WILLISII *Pharmacia rationali, siue, Diatriba de medicamentorum operationibus in humano corpore*, Oxonii 1674. 4. & Hagae comit. 1675. 12. seorsim edita, deinde vero vniuersis autoris operibus sociata, iam supra q) commemoraui, praestantissimis WILLISII scriptis adnumerandam eam esse; etsi diffitendum non sit, vestigia quaedam humanae infirmitatis r) subinde eidem subrepsisse. HERM. GRVBE *Commentarius de modo simplicium medicamentorum facultates cognoscendi, ad praxin medicam directus, & non nullis obseruationibus, in gratiam tyronum, illustratus*, Hafniae & Francofurti 1669. 8. duodecim quidem constat, nec pluribus, tantum plagulis; nihilo tamen minus adeo eleganti ratione est dispositus, vt non THOMAS solum BARTHOLINVS, in praemissa eidem, de simplicibus medicamentis inquilinis cognoscendis, epistola, honorifice admodum de eodem pronunciauerit; sed G. C. SCHELHAMMERO s) etiam in tantum sese parua haec commentatiuncula probauit, vt non dubitaret, proximum a IO. BAPT. MONTANO locum autori eius adsignare. Quanta quamque vnanimi cum approbatione GEORG. WOLFFG. WEDELII *Libri duo de medicamentorum* t) *facultatibus cognoscendis & applicandis*, maxime vero lectu dignissimae

mae illae *Eiusdem Amoenitates* u) *materiae medicae*, vbique gentium fuerint exceptae w), superfluum forte planeque superuacaneum foret, heic loci pluribus commemorasse.

q) Conf. tom. I. cap. V. §. 20.

r) Vid. SCHELHAMMERI *Additament. ad Conring. introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 16. Interim tamen non omnia ad amussim: multa enim in illo opere emendanda, multa addenda restant, aut ab aliis felicius explicata sunt, vti non omnia possumus omnes.

s) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. X. § 33. vbi ista leguntur: Nobis cum excidisset tum temporis HERM. GRVBE commentarius de modo simplicium medicamentorum facultates cognoscendi, eum hic postliminio adiungere, e re esse duximus: praestans enim hoc scriptum est & doctum, vnicumque fere quod habemus eius generis absolutum, quoue ostenditur non tantum, quid per rationem, sed & quid per experientiam inuestigandum sit: quomodo per odores praecipue & sapores innotescant pleraeque medicamentorum vires: quare velim, studiosa nostra iuuentus id scripti sibi commendatum habeat post I. B. MONTANVM.

t) Ienae 1678. 4. & 1696. 4. In anglicanam quoque iidem transfusi linguam Londini anno 1685. 8. in publicum prodierunt.

u) Ienae 1684. 4. 1704. 4.

w) Vid. SCHELHAMMERI *Additament. ad Conring. introduct. in art. medic.* cap. VIII. §. 9. GEORG. WOLFFGANGVS WEDELIVS in solis natiuis operam posuit tam feliciter, vt cuique alii ex veteribus palmam dubiam reddere videatur, sui aeui vero omnes superare. Me certe eiusdem argumenti aliquid olim meditantem excellentia operis ab instituto deterruit. Id igitur omnium manibus iugiter terendum commendamus.

§. XI.

Consideranti aetatem recentissimam sese potissimum prae aliis memoriae meae offerunt IO. BAPT. MAZINVS, IO. HENR. SCHVLZIVS, & BALTH. LVDOV. TRALLES. IO. BAPT. MAZINI *Mechanica medicamentorum*, Brixiae 1734. 4. edita, duodecim constans x) dissertationibus, prae se fert, id autori fuisse consilii y), vt doctrinae de remediorum facultatibus clariorem lucem accenderet: qua de re equidem libertatem iudicandi aliis permitto; num voto exitus responderit, talisque sit huius argumenti in hoc

hoc libro tractatio, vt propositi sibi scopi autor sit compos factus? IO. HENR. SCHVLZII *Praelectiones de viribus & vsu medicamentorum, quae in officinis pharmacopolarum parata prostant, ad dispensatorium regium & electorale Borussico-Brandenburgicum, vsibus illorum, qui se artis operibus exercendis praeparant, destinatae*, Norimbergae 1736. 8. certam lecturis spondent vtilitatem. Ea contra opus illud, quod Wratislauiae anno 1740. 4. in lucem prodiit publicam, titulo ornatum sequenti: *Virium, quae terreis remediis hactenus gratis adscriptae sunt, examen rigorosius; quo simul multarum traditionum practicarum mythologia & vanitas dilucide declaratur, atque ad rationalem magis pharmacorum electionem, variorumque morborum sanationem, praeeuntibus recentissimis artis principiis, via ostenditur, auctore* BALTH. LVDOV. TRALLES; *Praemittitur operi dissertatio, de frequenti fatuorum remediorum in praxi quotidiana vsu, eiusque caussis potioribus;* ob varias in eodem propositas, multaque cum audacia atque animositate adsertas paradoxas opiniones, citra controuersiam, haud paucos videtur inuenturum esse, qui ei contradicant.

x) *Diss.* I. *de motu elastico fibrarum in genere.* II. *In quo consistat sanitas & aegritudo.* III. *De actione medicamentorum in genere.* IV. *De medicamentis purgantibus ratione solidorum.* V. *De purgantibus ratione fluidorum & solidorum, & cur aliqua medicamenta electiue operari videantur.* VI. *De emeticis.* VII. *De diureticis.* VIII. *De diaphoreticis.* IX. *De adstringentibus.* X. *De opiatis.* XI. *De cordialibus.* XII. *De concoctione humorum.*

y) Propria autoris verba in praefatione sunt, quae hic sequuntur: Nostrum mechanici laboris institutum erit, quantum probabilior ratio postulat, explicare, quo mechanico opere medicamenta agant & reagant contra fibras machinae animalis, a quorum diuersis actionibus & reactionibus consequi debeant diuersae oscillationes organorum, & variae separationes humorum, ipsis actionibus & reactionibus medicamentorum & fibrarum proportionales, beneficio aut damno machinae humanae.

§. XII.

Quod si iam de illis distincte differere instituerem, qui, peculiaribus commentationibus, mox purgan-

gantium, mox emeticorum, diaphoreticorum, diureticorum, venenorum, alexipharmacorum &c. vires & facultates speciatim inuestigauerunt; sane multum immo plurimum mihi negotii tale argumentum facessiturum esset. Quum vero iis me ipse cancellis circumscripserim, vt instituti mei ratio me latius diffundi non patiatur; paucis tantum, sub calcem huiusce sectionis, annotare volui: exempli caussa, de emeticis, PETRVM z) CASTELLVM; de purgantibus, GVILIELMVM a) PVTEANVM, & IOANNEM NICOLAVM b) PECHLINVM; de venenis porro, e veteribus quidem, NICANDRVM c) e recentioribus autem IOSEPHVM d) LANZONVM, & CHRISTIANVM GODOFREDVM e) STENZELIVM, prae ceteris vtiliter consuli posse.

z) PETR. CASTELLI *Emetica, seu, de vomitu & vomitoriis, libri decem.* Romae 1634. fol.

a) GVIL. PVTEANI *De medicamentorum purgantium facultatibus libri duo.* Lugduni anno 1552. & 1652. 4. SIMON PAVLLI hoc opus vocauit librum rarum, singularem & aureum; vt appa-ret ex eius *Quadripartit. botanic. Artic. Polygonon.*

b) IO NICOL. PECHLINI *De purgantium medicamentorum facultatibus exercitatio noua*, Lugdun. batau. 1672. 8. Amstelodami 1702. 8. In G. C. SCHELHAMMERI *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. VIII. §. 14. sequens legitur iudicium: De purgantium facultatibus scriptores omnes superauit libro nuper edito supra modum docto & eleganti IO. NIC. PECHLINVS. IACOBVS tamen PANCRAT. BRVNO in *Remoris & impedimentis purgationis*, Altorfi 1676. 4. editis, & quidem in subnexa iisdem *Appendice*, varia in hoc PECHLINI libro inuenisse sibi visus est, circa quae hoc vel illud moneret.

c) NICANDRI *Theriaca & alexipharmaca*, graece atque latine perquam nitide Lutetiae Parisior. 1557. 4. & 1566. fol. impressa habentur. De reliquis editionibus conferatur SEGVIERII *Bibliothec. botan.* pag. 286.

d) Huius *De venenis tractatus* operibus ipsius vniuersis vna insertus inuenitur.

e) CHRISTIANI GODOFREDI STENZELII *Toxicologia pathologico-medica, siue, de venenis libri III.* Wittebergae 1733. 4.

CAP.

CAP. V. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS MINERALOGICIS.

CONTENTA:

Scriptores de mineralibus generales, §. *1 - 4*. *Scriptores eiusdem argumenti speciales*, §. *5 - 9*.

§. I.

Quum saeculis antiquissimis mineralia in arte medica rarius, & maximam quidem partem exterius a) tantum, adhiberi solita fuerint, adeoque nec eadem in superstitibus graecorum, latinorum arabumque medicorum monumentis peculiarius b) proposita inueniantur: breuiter tantum praesenti loco indicare iuuat, DIOSCORIDEM operum suorum libro quinto c), a capite 84. vsque ad caput 183. CLAVD. GALENVM libro nono de simplicium medicamentorum facultatibus; & PLINIVM libris trigesimo quarto & sequentibus historiae suae naturalis, indicem quendam ad mineralogiam spectantium & illa aetate in re medica vsitatorum simplicium nobis reliquisse.

a) SCHELHAMMERVS quidem in *Additamentis ad Conringianae introductionis* cap. IX. §. 3. expressis verbis scripsit: Graeci *non nisi externe* metallicis vtebantur, interno vsu habito suspecto. Verum, interius quoque, etiamsi raro, mineralibus vsos esse graecos medicos, probatum dedi in *Stolliana medicinae historia* p. 584. seqq.

b) Refert quidem ATHENAEVS, PHILONEM *de Metallis*, DRACONEM *de Lapidibus* egisse; ast, quum isthaec opera dudum inter deperdita numerentur, autoresque eorum, id quod vero est simile, non magis de vsu medico, quam THEOPHRASTVS *in Libro de lapidibus*, fuerint solliciti; aut plane huc spectaturi non essent, aut tanquam scriptores particulares saltem considerandi hic venirent.

c) Occurrunt tamen etiam in libro primo capita nonnulla, quae rectius ad quintum debuissent referuari: quo pertinent, verbi gratia, caput 99. de Bitumine, caput 100. de Pissasphalto, & caput 101. de Naphtha.

§. II.

§. II.

Neque inter latino-barbaros, qui dicuntur, vllum deprehendo, cui in ſcriniis ſcriptorum mineralogicorum generalium commode ſedem aliquam adſignare valeam. ALBERTI enim MAGNI *Libri quinque de mineralibus & rebus metallicis, repurgati & recens publicati per* GVALTHER. HERM. RYFF, Argentor. 1541. 8. huc non d) pertinent; ſcripta autem ſub BASILII VALENTINI e) nomine euulgata circa particularia occupantur. Sub auſpicia ſaeculi poſt decimum ſexti, PARACELSVS quidem mineralium in re medica vſum ſuadere & notiorem reddere eundem conabatur; ſed inueniebantur tum multi, qui vehementer ſe eidem opponerent; nihilo tamen minus neglecta huc vsque nimium f) mineralogia, circa iſtud tempus a variis iisque ad hanc rem non ineptis, viris doctis ſenſim ſtudioſius excolebatur. Hos inter, prae reliquis, GEOR. AGRICOLAE, CONR. GESNERI, CHRISTOPH. ENCELII, GABRIEL. FALLOPPII, & ANDR. CAESALPINI, aliquam eamque breuem mentionem feciſſe iuuabit.

d) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. IX. §. 4. vbi haec: Primus omnium de metallis ac lapidibus *Philoſophiam* excolere cepit ille ipſe ALBERTVS MAGNVS, cuius hac de re praeclarum opus magno iudicio & pari experientia conſcriptum exſtat.

e) Pleniſſime illa Hamburgi 1717. 8. curante BENED. NICOL. PETRAEO, fuerunt edita.

f) In CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. IX. §. 4. leguntur quidem haec verba: Poſt ALBERTVM MAGNVM hoc in argumento *nemo* aliquid praeſtitit ad vsque GEORG. AGRICOLAM; geminaque his habet IAC. FRIDER. REIMMANNVS in *Hiſtor. litterar. germanorum* tom. III. pag. 543. aſt, non fidendum eſſe huic relationi, iam demonſtraui in *Hiſtoria medicinae litteraria*, quae ſub *Stolliano* prodiit nomine, pag. 590. ſequ.

§. III.

GEORG. AGRICOLAE *De re metallica libri XII. de ortu & cauſis ſubterraneorum lib. V. de natura eorum, quae effluunt ex terra lib. IV. de natura foſſilium libri X.*

de veteribus & nouis metallis libri II. BERMANNVS, *siue, de re metallica dialogus*, initio singulatim g) editi variis & locis & formis, deinde vero Basileae 1657. fol. iunctim impressi, exquisitissimis a DAN. GEORG. h) MORHOFIO, HERM. i) CONRINGIO, GÜNTH. CHRISTOPH. k) SCHELHAMMERO, & multis l) aliis, encomiis sunt ornati. Collectionem illam aliquot autorum de omni rerum fossilium genere, gemmis, lapidibus, metallis &c. CONR. GESNERI cura Tiguri 1565. 8. diuulgatam, iam supra m) cum laude allegaui. CHRISTOPH. ENCELII *De re metallica, hoc est, de origine, varietate & natura corporum metallicorum, lapidum, gemmarum, atque aliarum, quae ex fodinis eruuntur, rerum, ad medicinae vsum deseruientium, libri tres*, Francofurti 1551. 8. luci expositi, ibidemque 1557. eadem forma recusi, in IO. WEBSTERI *Metallographia* bonae n) habentur notae. GABR. FALLOPPII *Libri duo de metallis* o) & *fossilibus* pertinent quidem ad classem posthumorum, nihilo tamen minus a IOAN. p) CRATONE, HERM. q) CONRINGIO, & HERM. r) BOERHAAVIO maximi sunt aestimati. Pari laude ANDREAE quoque CAESALPINI s) *De metallicis libri tres* a CONRINGIO t) atque BOERHAAVIO u) fuerunt ornati; apud MORHOFIVM tamen in *Polyhistore* w) lego, longe aliud de iisdem IO. WEBSTERI fuisse iudicium.

g) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 322.

h) In *Polyhist.* tom. II. lib. II. part. II. cap. XXIX. §. 4. pag. 403.

i) In *Introduct. in art. medic.* cap. IX. §. 4. GEORG. AGRICOLAE de re metallica, & omnibus subterraneis, fossilibus, atque ex iis quae ex terra effluunt, opera, tanta industria, doctrina, facundia & diligentia referta sunt, vt non solum ante se natos longissimo interuallo superauerit, verum etiam exteros in stuporem rapuerit.

k) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. IX. §. 4. GEORG. AGRICOLA, decus vniuersae Germaniae, deque re metallica optime meritus, laudari satis nunquam potest; tanta est tersi sermonis in re difficillima nitor ac puritas: tanta eruditionis vbertas, felicitas ingenii, iudicii vis, vt, si absque huius esset labore, multi

de

de re metallica vel tacuissent, vel parcius deteriusque essent loqui.

l) Vid. BLOVNTII *Censuras celebriorum autorum*, p. 585. seqq.

m) Conf. tom. I. cap. VII. sect. II. §. 4.

n) Conf. MORHOFII *Polyhist.* cit. loc.

o) Hi sequentem praeferentes titulum in conspectum orbis litterati prodiere: GABR. FALLOPPII *De thermalibus aquis libri septem. De metallis & fossilibus libri duo. Nunc primum editi per* ANDREAM MARCOLINVM FANESTREM, Venet. 1564. 4. Insequuto tempore inserti etiam fuerunt operibus eius vniuersis, de quibus tom. I. cap. V. §. 13. dictum.

p) In Praefatione, operibus Falloppianis, Francofurti 1584. f. iunctim editis, ab ipso praemissa.

q) In *Introduct. in art. medic.* cap. IX. §. 4. Idem argumentum pertractauit quoque FALLOPPIVS satis egregie, vti omnia eius opera erudita sunt.

r) In *Methodo discendi medicinam*, p. 205. FALLOPPIVS de fossilibus optime & eleganter scripsit.

s) Romae 1596. 4. & Norimbergae 1602. 4.

t) In *Introduct. in art. medic.* c. l. Metallorum & mineralium doctrinam etiam optime persecutus est ANDREAS CAESALPINVS, sed tamen ita, vt multa adhuc in eo desiderentur, neque ad eam gloriam, quam AGRICOLA meruit, conferri possit.

u) In *Methodo discendi medicinam*, pag. 157. Egregia etiam sunt, quae de re metallica scripsit ANDR. CAESALPINVS. Quaecunque eius opera acquiri possunt, emantur, nam optima sunt. Conf. quoque p. 218.

w) Cit. loc. IOANNES WEBSTERVS inter speculatores recenset ARISTOTELEM, PLATONEM, HIPPOCRATEM, DIOSCORIDEM, apud quos paucula quaedam inueniuntur de metallis & mineralibus: PLINIVM SECVNDVM, ANDREAM CAESALPINVM, BERNHARDVM CAESIVM Iesuitam, qui collectanea vasta & magna volumina scripserunt nullius vsus ad cognoscendam mineralium naturam, vel admodum pauci.

§. IV.

Nec caruerunt mineralogicis scriptoribus insequuta tempora; quum vero eorum opera de hoc argumento edita cuncta ferme historiae naturali dicata sint, non autem medicinae, praetermittere eadem hoc loco cogor: saltim e saeculo XVII. EMANVELIS KOENIGII, & e saeculo XVIII. CHAMBONII, Galli, mentionem hic iniecturus. A priori ac-

cepimus sequentem librum: EMAN. KOENIG *Regnum minerale, physice, medice, anatomice, chymice, alchymice, analogice, theoretice & practice inuestigatum, perscrutatum & erutum. Metallorum nimirum, lapidum, salium, sulphurum, terrarum, quin & acidularum, thermarum naturam, ortum, differentias, praeparationes selectissimas vsusque multiplices candide sistens.* Basileae Rauracorum 1687. 4. qui deinceps ita inscriptus: EMAN. KOENIG *Regnum minerale generale & speciale*, anno 1703. ibidem loci, eademque forma recusus fuit. A posteriore in lucem expositus est tractatus gallica lingua conscriptus, cui titulus: *Traité des metaux & des mineraux, & des remedes, qu'on en peut tirer, par Monsf.* CHAMBON, à Paris, 1714. 8. Is vero mihi aliter haud innotuit, quam e *Bibliothecae Burckhardianae* parte III. pag. 66.

§. V.

Quod si iam particularibus scriptoribus immorari, illosque, exempli gratia, recensere mihi placeret, qui de fossilibus huius vel illius terrae seu regionis, de aquis mineralibus, de terris, pretiosis vulgaribusque lapidibus, metallis &c. peculiariter egerunt; vel de iis, qui vnum alterumue in specie minerale singulari consideratione dignum iudicauerunt: facili opera plures paginas complere iisdem possem. Quum vero me non lateat, pleraque huius indolis scripta, physicae commodius, quam medicae, bibliothecae scriniis conuenire: paucos tantum huius generis scriptores, ne nimis ieiunum lectorem meum dimittam, nominetenus citabo & in scenam producam. Ex illis igitur, qui de fossilibus certae alicuius prouinciae fuerunt solliciti, prae reliquis, ROBERTI SIBBALDI *Scotiam* x) *illustratam*, & GEOR. ANT. VOLCKMANNI *Silesiam* y) *subterraneam*, huc sistam.

x) ROB. SIBBALDI *Scotia illustrata, seu, Prodromus historiae naturalis, in quo regionis natura, incolarum ingenia & mores, morbi iisque medendi methodus & medicina indigena accurate explicantur, & mul-*

& multiplices naturae partus in triplici eius regno, vegetabili scilicet, animali & minerali, exhibentur. Opus 20. annorum. Edinburgi 1684. fol.

y) Quum liber iste lingua patria sit conscriptus, iuuabit titulum eius germanicum hic legisse; qui talis est: *Schlesien mit seinen vnterirdischen Schätzen vnd Seltenheiten, welche dieses Land mit andern gemein oder zu voraus hat; als edlen vnd vnedlen Steinen, Erd- vnd Wasser-Thieren, Metallen, Mineralien vnterschiedlicher Arten, sowohl in der Medicin als Mechanic dienlicher Erden, Sauer- Heil- vnd Gesund-Brunnen.* Lipsiae 1720. 4.

§. VI.

De aquis mineralibus perquam multi scripserunt. Veterum huc spectantes tractatus in indicata iam supra z) collectione Veneta de balneis iuncti inueniuntur. E recentioribus autem, quorum tanta est multitudo, solis, IO. BAVHINO, DOMINICO DV CLOS & FRIDER. HOFFMANNO locum hic aliquem dabo. IO. BAVHINI *De aquis medicatis noua methodus quatuor* a) *libris comprehensa*, Montisbeligardi 1605. 1607. 1612. 4. impressa a GÜNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMMERO in *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. IX. §. 5. opus longe doctissimum & varia eruditione totum refertum, est appellata. Nec minus DOM. DV CLOS *Obseruationes super aquis mineralibus diuersarum prouinciarum Galliae, in academia scientiarum regia in annis 1670. & 1671. factae*, Lugduni batauor. 1685. 12. typis expressae, a modo nominato SCHELHAMMERO b) magno exornatae sunt elogio. Quanta quamque vnanimi omnium approbatione FRID. HOFFMANNI *Opuscula* c) *de aquis mineralibus, earumque salutari virtute*, sint excepta; multis doctorum testimoniis allatis ostendere, facile, si opus esset, mihi foret. Verum enimuero quem, quaeso, latet, magnum hunc medicum, hac quidem in re, omnes, qui ante ipsum fuerunt, superasse?

z) Vid. tom. I. cap. VII. sect. I. §. 9.

a) *Agitur in iis de fontibus celebribus, thermis, balneis vniuersae Europae, & potissimum ducatus Würtembergici, eorum mixtionibus, metal-*

metallis, succis, inuestigandi ac vtendi modo, & eorum viribus. Item de variis fossilibus, stirpibus, insectis, quorum plurimae figurae & regionum tabulae adduntur.

b) Cit. loc. vbi ita scribit: Hic liber normae instar iis esse poterit, qui deinceps sese in examinandis aquis metallicis occupare voluerint: omnes enim modos, quibus possunt ad examen istae reuocari, enarrat, quot quidem eorum adhuc potuerunt excogitari, vt vel hoc vno nomine sit commendandus.

c) Exposita fuerunt ea initio singula luci litterariae, in forma dissertationum progressa; postea iuncta sibi inuicem vna prodierunt; optime autem atque plenissime operibus Hoffmannianis omnibus, Geneuae impressis, inserta habentur, vbi XIV. constant dissertationibus omnino.

§. VII.

De vsu non nullorum mineralium atque metallorum medico sollicitum se exhibuit GVERNER. ROLFINCIVS, in *Dissertationibus chimicis sex de tartaro, sulphure, margaritis, perfectis metallis duobus, auro & argento, antimonio, & imperfectis metallis duris duobus, ferro & cupro*, Ienae 1660. 4. diuulgatis. Vires ac facultates lapidum, pretiosorum cum primis, quorum vsus medicus, SCHELHAMMERO d) coniectante, ab arabibus primam trahit originem, in CAMILLI LEONARDI *Speculo* e) *lapidum*, quod GEOR. f) BAGLIVO tanti factum fuit; in ANDREAE item BACCII *Tractatu* g) *de gemmis ac lapidibus pretiosis, eorumque viribus & vsu;* nec non in ANSEL. BOETII DE BOODT *Gemmarum & lapidum* h) *historia*, sigillatim sunt expositae: a IO. LAVRENT. BAVSCHIO accepimus *Schediasma de lapide aetite & haematite*, Lipsiae anno 1665. 8. exscriptum; cui adiiciendum praeterea *Eiusdem Schediasma posthumum de caeruleo & chrysocolla*, Ienae 1668. 8. impressum. De lapide Bezoar, IO. BAPTIST. SYLVATICI *Tractatio de vnicornu, lapide Bezoar, Smaragdo & margaritis, eorumque in febribus pestilentibus vsu*, Bergomi 1605. 4. euulgata, & CASP. BAVHINI *De lapidis Bezoar orientalis & occidentalis, ceruini tem & germanici ortu, natura, differentiis, veroque vsu,* *ex*

ex veterum & recentiorum placitis, liber, Basileae anno 1625. 8 optime typis expressus, legi merentur: quibus omnibus GEORG. HIERON. WELSCHII *Dissertatio de aegagropilis, siue calculis in rupicaprarum ventriculis reperiri solitis*, Augustae Vindelicor. 1668. 4. excusa, merito adhuc addenda est.

d) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. IX. §. 4. Commodum autem hic erit, monere, doctrinam de virtutibus gemmarum, graecis pene ignotam, ab arabibus videri maximam partem promanasse. Hi enim compositionibus officinalibus, cordialibus imprimis, nisi gemmas addiderint, non bene rem gessisse videntur mihi fuisse persuasi.

e) Pisauri 1502. 4. August. Vindel. 1533. 4. Vltima vice, vna cum PETRI ARLENSIS DE SCVDALVPIS *Sympathia septem metallorum & septem selectorum lapidum ad planetas*, Hamburgi 1717. 8. fuit recusum.

f) In Dissertatione de vegetatione lapidum, vbi speculum isthoc appellauit librum eruditissimum & aureum.

g) Liber iste, ab autore suo lingua Tusca conscriptus, a WOLFFGANGO GABELCHOVERO romana donatus ciuitate, Francofurti 1603. 8. excusus, ibidemque loci anno 1643. pari forma recusus est.

h) Hanouiae 1609. 4. & auctior vna cum additamentis ADRIAN. TOLLII, Lugduni bat. 1636. 8. In SCHELHAMMERI *Additament. ad Conring. introduct.* cap. IX. §. 4. haec leguntur: Multo prudentius coeteris in hoc opere se videtur gessisse ANSELMVS BOETIVS, neque tamen & is satis sibi cauet, aut ab hyperbolicis encomiis gemmarum temperat.

§. VIII.

Egerunt vero etiam diuersi modo de hoc, modo de illo peculiariter minerali, ita, vt vnius solius naturam ac virtutem considerandam sibi sumerent. De sale exstat MATTHIAE VNTZERI *Physiologia* i) *salis*, & DOMIN. GVILIELMINI *Dissertatio epistolaris* k) *physico-medico-mechanica de salibus*, Lugduni bat. 1707. 8. impressa. GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Commentatio de nitro cum veterum, tum nostro*, Amstelodami 1709. 8. exscripta multorum suffragia l) tulit. WYERVS GVILIEL. MVYS *Dissertationem &*

 obser-

obseruationes de salis ammoniaci praeclaro ad febres intermittentes vsu, Franequerae 1716. 4. euulgauit; IOANNES contra IACOBVS BAIERVS peculiarem *De alumine tractatum* promisit m) quidem, morte autem praeuentus edere non potuit. MATTH. VNTZERI *Tractatus medico-chimicus de sulphure*, Halae Saxonum 1620. 4. in conspectum orbis litterati prodiit, quo ipso etiam anno *Eiusdem Anatomia Mercurii spagyrica, seu, de hydrargyri natura, proprietate, viribus atque vsu libri duo*, eodem in loco similique forma lucem salutauit litterariam. THOM. denique HARRIS, quod referebant tabulae publicae Nouorum litterariorum anni 1735. pagina 69. vsum hydrargyri crudi internum aduersus multos, eosque pro desperatis habitos, morbos, peculiari n) commentatione suasit atque ceu praesentissimum commendauit remedium.

i) Integer titulus hic est: MATTHIAE VNTZERI *Physiologia salis, siue, de salis natura, eiusque prima origine, differentiis, proprietate atque vsu, commentatio philosophico-medica, varia doctrinarum genere referta. Opus posthumum.* Halae Saxonum 1624. 4.

k) Isthaec dissertatio insequuto tempore operibus eius omnibus mathematicis, medicis & physicis, Geneuae 1719. 4. vna impressis, fuit inserta.

l) Vid. Die neue Bibliothec tom. I. pag. 69. vt & SCHEFFELII *Vita* SCHELHAMMERI pag. 72. sequ.

m) In *Biographiis professorum medicinae Altorfinorum*, pag. 176.

n) Rubrica libri anglice scripti est isthaec: *A Treatise on the force and energy of crude Mercury. By* THOMAS HARRIS. London 1734. 8.

§. IX.

Quum de non nullis aliis mineralibus, confectisque & paratis inde remediis, plura dicendi, infra o) fortasse occasio mihi offerri queat: praesenti loco adiiciam tantum mentionem sequentium. Cinnabarin quod attinet, GABR. CLAVDERI *Inuentum cinnabarinum, seu, Dissertatio de cinnabari natiua Hungarica*, Ienae 1684. 4. euolui poterit. De ambra, IVSTI FIDI KLOBII *Historia ambrae*, Wittebergae 1666. 4.

GEORG.

GEORG. BALTH. METZGERI p) *Ambrologia*, in primis vero CASP. NEVMANNI *Disquisitio de ambra grysea*, Dresdae 1736. 4. diuulgata, conferri poterunt. De succino qui solliciti essent, multi fuerunt; PHIL. tamen IAC. HARTMANNI *Succincta succini prussici historia & demonstratio*, Berolini 1699. 4. edita, & NATHAN. SENDELII *Electrologiae Missus* I. II. III. q) *de succinorum perfectione, mollitie, prosapia & affectionibus*, ceteris forsitan huius argumenti libris praeferri merebuntur. FRANC. ARIOSTI *Libellum de petroleo agri Mutinensis*, cui OLIGER IACOBAEVS e manu scriptorum latebris protrahendo obstetrices manus adhibuit, luci eum Hafniae 1690. 8. exponendo, BERNH. RAMAZZINI, adiecta *Epistola* sua eiusdem argumenti, Mutinae 1698. 8. auctiorem *) curauit recudendum. De corallio, IO. LVDOV. GANSII *Corallorum historia* r), Francofurti anno 1630. 8. prelo excusa, eodem loco, pari forma, auctior tamen, anno 1669. 8. recusa, consuli potest.

o) Vid. cap. VII. §. 20.

p) Commentatiuncula isthaec non fuit separatim impressa, sed, quum manu exarata ab autore relicta esset, ROSINVS LENTILIVS eam *Miscellaneis* suis *medico-practicis tripartitis*, Vlmae anno 1698. 4. prelo protrusis, & quidem parti eorundem tertiae a pagina 253. ad paginam 293. inserendam curauit.

q) Elbingae 1725-1728. 4. Ab eodem hoc docto medico haud ita pridem perpulchrum & lectu omnino dignum, huc itidem spectans, opus accepit orbis curiosus rerum naturae, quod isthoc ornatum titulo: *Historia succinorum, corpora aliena inuoluentium, & naturae opere pictorum & caelatorum, ex regiis Augustorum cimeliis, Dresdae conditis, aeri insculptorum, conscripta a* NATHAN. SENDELIO, impressumque Lipsiae 1742. fol. multorum suffragia ac plausus retulit.

*) Inuenitur etiam iste ARIOSTI tractatus operibus BERNH. RAMAZZINI iunctim impressis, de quibus superius tomo I. cap. V, §. 31. dixi, & quidem tertio eorundem tomo, insertus.

r) *Qua mirabilis eorum ortus, locus natalis, varia genera, praeparationes chymicae quam plurimae, vires eximiae proponuntur.*

CAP. V. SECT. III.

DE SCRIPTORIBVS ZOOLOGICIS.

CONTENTA:

Scriptores de animalibus generales §. 1 - 4. *Scriptores eiusdem argumenti speciales* §. 5 - 7.

§. I.

Quemadmodum in praecedenti sectione perpaucorum tantum scriptorum potui facere mentionem; eo, quod plerique eorum non tam medicinae, quam naturalis historiae, illustrandae rationem habebant: ita, recensituro nunc zoologos, eadem de caussa, simili breuitatis via incedere mihi licebit. Quandoquidem igitur ARISTOTELIS, THEOPH. ERESII, CLAVD. AELIANI, & MANVELIS PHILE, quae ad nos peruenerunt, huius argumenti monumenta, de historia nempe animalium, hunc censum non ingrediuntur; scripta porro zoologica ALEX. MYNDII, APOLLODORI *Atheniensis*, CALLIMACHI *Cyrenaei*, CLEARCHI *Solensis*, TYPHONIS, SOSTRATI, SPEVSIPPI, XENOCRATIS &c. diu iam perierunt: cur veteres adeo me morentur a), omnino non est; sed sufficit hic, vnum istud annotasse, idque paucis, DIOSCORIDEM libro secundo sui de materia medica operis, CLAVD. GALENVM libro decimo & vndecimo de simplicium medicamentorum facultatibus, & PLINIVM libris XXIIX. XXIX. XXX. XXXI. & XXXII. Historiae suae naturalis, indicem simplicium e regno animali mutuo sumptorum, & tum temporis in rei medicae exercitio vsitatorum nobis reliquisse.

a) Circa MARCELLI enim SIDETAE *Fragmentum de medicina ex piscibus*, quod IO. ALBERTVS FABRICIVS *Bibliothecae* suae *graecae* lib. I. cap. 3. & graece & latine inserendum curauit, moras nectere, consultum mihi minus videtur.

§. II.

Arabicos inter medicos, qui de zoologia peculiari commentatione illustranda sollicitus fuerit, offendo neminem. E latino - barbarorum cohorte vero SEXTVS PLACITVS, & CONSTANT. AFRICANVS, exigui licet vterque sit momenti, locum hic qualemcunque occupet. Horum prior, qui alio nomine, erronee tamen b), SEXTVS quoque PLATONICVS audire solet, paruae molis tractatum quendam, latine c) conscriptum, post se reliquit, *De medicina ex animalibus*, qui, seorsim aliquoties d) impressus, collectioni deinde *Stephanianae* & *Riuinianae* veterum medicorum insertus, denique & a IO. ALB. FABRICIO *Bibliothecae* suae *graecae* volum. XIII. pag. 395. seqq. adiectus fuit. CONSTANTINI contra AFRICANI *Liber de animalium virtutibus naturalibus*, qui in tomo II. operum eius, iam supra e) memoratorum, inuenitur, insequuto tempore GEORG. PICTORII *Libro zoologico* f) fuit annexus.

b) Vid. I. A. FABRICII *Bibliothec. graec.* volum. XII. p. 613. seqq.
c) Non autem, quod falso quidam tradiderunt, graece.
d) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 967. Optima editio est, quae sub titulo: SEXTI *Philosophi Platonici, de medicina animalium, bestiarum, pecorum, & auium, liber, cum scholiis* GABR. HVMELBERGII, Tiguri 1539. 4. in lucem prodiit.
e) Vid. Tom. I. cap. V. §. 3.
f) Titulo iste instructus est sequenti: GEORG. PICTORII ζωοτροφειον, *seu, leporarium, animalium quadrupedum & auium naturas ac proprietates continens; cum* CONSTANT. AFRICANI *eiusdem argumenti libello, &* OPPIANI *de piscibus tractatu.* Basil. 1560. 8.

§. III.

Etiamsi igitur, inde a decimo sexto saeculo ad nostram vsque aetatem, zoologia acri exculta fuerit studio, quibusdam, cum CONR. GESNERO, VLYSSE ALDROVANDO, EDVARDO WOTTONIO, IO. IONSTONIO &c. de historia animalium in genere; aliis, cum GVIL. RONDELETIO, HIPPOLYTO

TO SALVIANO, FRANC. WILLVGHBEIO, PET. ARTEDO &c. de historia piscium; aliis, cum MART. LISTERO, de historia conchyliorum; non nullis, cum nominato modo FRANC. WILLVGHBEIO, de historia auium; aliis denique, cum THOM. MOVFETO, IO. GOEDARTIO, IO. SWAMMERDAMIO, IO. RAIO, FRANC. REDI, IO. LEON. FRISCH, & DE REAVMVR g), de historia insectorum, in peculiaribus, iisque partim diffusioribus atque pretiosioribus, operibus, sollicitos se gerentibus: ego tamen omnes hosce, historiae quidem naturali perquam vtiliter inseruientes, ad medicae vero rei vsum, quem solum hic intendo, parum spectantes, libros, sicco, quod dicitur, pede data opera praeteribo; concessurus hic, e saeculo quidem XVII. GVILIELMO VAN DEN BOSCHE, IOSEPH. LANZONO & EMAN. KOENIGIO; e saeculo vero XIIX. HENR. RVYSCHIO, prae reliquis scriptoribus zoologicis generalibus, aliquem in huius bibliothecae forulis locum.

g) Quanta eum laude HERM. BOERHAAVIVS de gallico isthoc, in historia insectorum haud vulgariter versato, scriptore, pronunciauerit, clare patet e praemissa bibliis naturae ab ipso vita *Swammerdamiana*, in qua haec praeter alia leguntur verba: Splendet in Galliis simile lumen, omnia luce laetissima illustrans, SWAMMERDAMIO par, immortalis REAVMVRIVS, saeculi miraculum, patriae suae decus, quem sospitem velit & operi perfecto superstitem Deus ter optimus, ter maximus.

§. IV.

GVILIELMI VAN DEN BOSCHE *Historia medica, in qua libris* IV. *animalium natura & eorum medica vtilitas exacte & luculenter tractantur, cum iconibus eorum ad viuum delineatis*, Bruxellis anno 1639. 4. prela reliquit. IOSEPHI LANZONI *Zoologia parua, siue, tractatus de animalibus ad medicinam facientibus, iuxta* SCHROEDERI, HOFFMANNI, ETTMÜLLERI, *aliorumque recentium mentem*, Ferrariae 1689. 8. seorsim impressa, postea operibus eius omnibus, iam supra h) memo-

memoratis est consociata. EMAN. KOENIG *Regnum animale, sectionibus III. physice, medice, anatomice, harmonice, mechanice, theoretice, practice, euisceratum, enumeratum & emedullatum: hominis scilicet & brutorum machinam hydraulico-pneumaticam comparate*, item V. *Classes vniuersales ac vsum cibarium & medicinalem proponens*, Basileae 1682. 4. in lucem expositum publicam, eodem in loco, eadem quoque forma, anno 1698. longe tamen auctius i) fuit recusum. Quaenam inueniantur in HENR. RVYSCHII *Theatro animalium vniuersali?* plenus docebit eiusdem k) titulus.

h) Vid. Tom. I. cap. V. §. 32.

i) Ita enim in fronte libri legitur: Editio altera, priore duplo auctior.

k) Is talis est: *Theatrum vniuersale omnium animalium, piscium, auium, quadrupedum, exsanguium, aquaticorum, insectorum & anguium.* CCLX. *tabulis ornatum, ex scriptoribus tam antiquis quam recentioribus*, ARISTOTELE, THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, AELIANO, OPPIANO, PLINIO, GESNERO, ALDROVANDO, WOTTONIO, TVRNERO, MOVFETTO, AGRICOLA, BOETIO, BACCIO, RVVEO, SCHOENFELDIO, FREYGIO, MATTHIOLO, TABERNAEMONTANO, BAVHINO, XIMENE, BVSTAMANTIO, RONDELETIO, BELLONIO, CAESIO, THEVETO, MARGGRAVIO, PISONE, & *aliis, maxima cura a* IOANNE IONSTONIO *collectum, ac plus quam trecentis piscibus, nuperrime ex Indiis orientalibus allatis, & nunquam antea in his terris visis, locupletatum. Cum enumeratione morborum, quibus medicamina ex his animalibus petuntur, ac notitia animalium, ex quibus vicissim remedia praestantissima possunt capi, cura* HENR. RVYSCH, M.D. *Amstelodamensis, sex partibus, duobus tomis comprehensum.* Amstelodam. 1718. fol. PETRVM ARTEDVM de *Ruyschiano* hoc opere parum honorifice iudicasse testabitur ipsius *Bibliotheca ichthyologica.*

§. V.

Numerus scriptorum zoologicorum particularium non est paruus l); & inprimis recentiore aetate multa membra m) academiae naturae curiosorum, quam plurimis euulgatis scriptis, regnum animale illustrare, & modo hoc modo illud animal sigillatim describere sunt conati. Hic ergo ex illorum, qui-

bus

bus in bibliotheca medica locus aliquis debetur, numero, sequentes praeterire, nefas fuerit, quos mox recensebo. Fiet autem hoc ita, vt ab homine, qui inter animalia principatum tenet, initium faciam. De hominis igitur *) in medicinis vtilitate, DAN. BECKHERVS, ex parte etiam CHRISTIAN. FRANC. PAVLLINI, egerunt. Prioris horum liber, ita inscriptus: DAN. BECKHERI *Medicus microcosmus, seu, spagyria microcosmi, tradens medicinam, e corpore hominis, tum viuo tum exstincto, docte eruendam, scite praeparandam, & dextre propinandam*, crebrius n) prelis fuit substratus. A posteriori vero, qui de medicina potissimum stercoraria mereri o) conatus est, sequens opus, germanice scriptum, fuit diuulgatum: CHRIST. FRANC. PAVLLINI *Heilsame Dreck-Apotheke, wie nemlich mit Koth vnd Vrin fast alle, ia auch die schweresten gifftigen Kranckheiten vnd bezauberte Schäden, vom Haupte bis zun Füssen, innerlich vnd äusserlich glücklich curiret worden; durch vnd durch mit allerhand curieusen Historien vnd andern Denckwürdigkeiten bewährt vnd erläutert*, Moeno - Francofurti 1696. 8. typis exscriptum.

l) Vid FRANC. ERN. BRÜCKMANNI *Bibliothecam animalem, oder, Verzeichniß der meisten Schrifften, so von Thieren vnd deren Theilen handeln.* Guelpherbyti 1743. 8.

m) Inter hos vel in primis CHRIST. FRANC. PAVLLINI, id quod ex paragraphis sequentibus clarescet, ceteris antecellere studuit.

*) Quum iam saepius monuerim, instituti mei mihi non permittere rationem, vt dissertationum recensioni immorer; idem hoc loco repetita vice in memoriam lectoribus reuocare volui.

n) Rostochii 1622. 12. Lugduni Batauor. 1633. 4. Londini anno 1660. 12. quarum editionum postrema hoc sibi peculiare habet, quod indice aucta fuit.

o) Vid. *Historia medicinae Stolliana* pag. 608. sequ.

§. VI.

Terrestria inter animalia, varia admodum ac multa sunt, quae, ob vtilitates, quas rei medicae praestant, in censum venerunt, ita, vt in peculiaribus tractati-

ctatibus confideranda fumerentur. GEORGIVS CHRISTOPHOR. PETRI *ab* HARTENFELS *Elephantographiam curiofam, feu, elephanti defcriptionem, multis felectis obferuationibus phyficis, medicis & iucundis hiftoriis refertam*, Erfurti 1715. 4. excudendam, Lipfiae vero anno 1723. 4. & quidem auctiorem, recudendam curauit: quae vero in bibliothecae nouae parte XLI. pagina 45. acrem admodum cenfuram fuftinere coacta fuit. De vnicornu, praeter alios, ANDR. BACCIVS *Tractatum de monocerote* p), *feu vnicornu, eiusque admirandis viribus & vfu* in lucem emifit publicam; & PAVLLVS LVDOV. SACHSIVS *Monocerologiam, feu, de genuinis vnicornibus differtationem*, Raceburgi 1676. 8. edidit. De alce confideranda APOLLONIVS q) MENABENVS, & modo nominatus etiam ANDR. r) BACCIVS, folliciti fuerunt. Ceruum IOAN. GEORG. s) AGRICOLA, & IO. ANDR. t) GRABA funt contemplati. De lepore WOLFFG. u) WALDVNGVS & CHRIST. FRANC. PAVLLINI w) fcripferunt: quorum pofterior de afino x) quoque & lupo y), nec minus de cane z) atque talpa a) peculiaribus egit commentationibus. PETRVS b) CASTELLVS *Hyaenam odoriferam*, IO. MARIVS, & IO. FRANCVS caftorem c) peculiari disquifitione funt dignati. LVCAS denique SCHROECKIVS, iunior, *Hiftoriam* d) *Mofchi* diuulgauit.

p) Confcripferat eum autor lingua Hetrufca, latina vero eiusdem verfio, quam WOLFFG. GABELCHOVERO debemus, Stutgardiae 1598. 8. fuit emulgata, eidemque BACCII *Tractatus de Alce*, ex eiusdem W. GABELCHOVERI translatione romana, eft adnexus. Edidit tamen latinum tractatum *Baccianum*, de monocerote, ante W. GABELCHOVERVM, etiam ANDR. MARINVS Venetiis anno 1566. in 4.

q) APOLL. MENABENI *Tractatus de magno animali, quod alcen non nulli vocant, germani vero Elend, & de ipfius partium in re medica facultatibus; item hiftoria cerui rangiferi & gulonis. Acc.* REMBERTI DODONAEI *de alce epiftola.* Coloniae 1581. 8.

r) De tractatu huius de alce conf. antec. not. p)

s) IO.

s) IO. GEORG. AGRICOLAE *Cerui, cum integri & viui natura & proprietas, tum excoriati & dissecti in medicina vsus: das ist, Ausführliche Beschreibung des Hirsches nach seiner Natur vnd Eigenschafften* &c. Ambergae 1617. 4.

t) IO. ANDR. GRABAE *ἐλαφογραφία, seu, cerui descriptio physico-medico-chymica,* Ienae 1667. in 8. Non autem 1668. qui error numeri occurrit in *Bibliothec. Burckhard.* part. III. p. 87.

u) WOLFFG. WALDVNGI *Lagographia, seu, de natura leporum, quae prisci autores & recentiores prodidere, quidque vtilitatis in re medica ab isto quadrupede percipiatur, liber singularis,* Ambergae 1619. 4.

w) CHRISTIANI FRANCISCI PAVLLINI *Lagographia curiosa, seu, leporis descriptio.* Augustae Vindelicorum 1691. 8.

x) *Eiusd. Onographia curiosa, seu, de asino liber historico-physico-medicus.* Francofurti ad Moenum 1695. 8.

y) *Eiusd. Lycographia, seu, de natura & vsu lupi.* Ibid. 1694. 8.

z) *Eiusd. Cynographia curiosa, seu, canis descriptio. Acc. Mantissa, complectens* IO. CAII *libellum, de canibus britannicis, &* IO HENR. MEIBOMII *Epistolam de cynophoria, seu, canis portatione ignominiosa.* Norimberg. 1685. 4.

a) *Eiusd. Talpa.* Francofurt. & Lipf. 1689. 12.

b) PETRI CASTELLI *Hyaena odorifera, zibethum gignens, quae ciuetta vulgo appellatur,* Messanae 1638. 4. & Francofurti 1668. 12.

c) *Castorologia, explicans castoris animalis naturam & vsum medico-chemicum, antehac a* IOANNE MARIO *labori insolito subiecta, iam vero eiusdem autoris & aliorum medicorum obseruationibus luculentis ineditis, affectibus omissis, & propria experientia parili labore aucta a* IO. FRANCO. August. Vind. 1685. 8.

d) LVCAE SCHROECKII, iunioris, *Historia moschi, ad normam academiae naturae curiosorum conscripta.* Aug. Vindelicor. 1682. 4.

§. VII.

Neque animalia aquatilia, volatilia, reptilia, atque ipsa adeo insecta, scriptoribus particularibus caruere, qui illa considerarent. De halece PAVLL. NEVCRANTZIVS *Exercitationem medicam de harengo,* Lubecae 1654. 4. de cancro PHIL. IAC. SACHSIVS *Gammarologiam, seu, gammarorum, vulgo cancrorum, considerationem physico-philologico-historico-medico-chymicam,* Francofurti & Lipsiae 1665. 8. & de Anguilla CHRIST. FRANC. PAVLLINI *Coenarum helenam, seu, anguillam, iuxta methodum & leges academiae naturae curio-*

curioſorum deſcriptam, Francof. & Lipſ. 1689. 12. diuulgarunt. De viperis, ex antiquioribus quidem, BALDVS ANGELVS e) ABBATIVS, & FABIVS f) PAVLINVS, e recentioribus vero MARC. AVR. g) SEVERINVS, & FRANC. h) REDI peculiaribus in commentationibus egerunt. IO. PAVL. WVRFBAINIVS *Salamandrologiam, ſeu, deſcriptionem ſalamandrae hiſtorico-philologico-philoſophico-medicam*, Norimbergae 1683. 4. CHRIST. FRANC. PAVLLINI *Bufonem curioſum*, Norimberg. 1686. in 8. & *Schediaſma de lumbrico terreſtri*, Francofurti & Lipſiae 1703. 8. luci expoſuerunt litterariae; IEREMIAS tandem WILDE *Librum de formica*, Ambergae anno 1615. 8. impreſſum, & PHIL. FRAVNDORFFERVS *Oniſcographiam curioſam, ſeu, tractatum de aſellis, vulgo millepedibus*, Brunae 1700. 12. characteribus typographicis exſcriptum, nobis reliquere.

e) BALDI ANGELI ABBATII *De admirabili viperae natura, & de mirificis eiusdem facultatibus, liber*, Vrbini 1589. 4. De inſequutis hanc editionibus videatur Lindenius renouatus pag. 109. inter quas illa, quae Norimbergae 1603. 4. prodiit, eſt nitidisſima.

f) FABII PAVLINI *De viperis in trochiſcorum apparatu pro theriaca adhibendis, diſputatio.* Venetiis 1604. 4.

g) MARC. AVREL. SEVERINI *Vipera pythia, ſeu, de viperae natura, veneno, medicina, demonſtrationes & experimenta.* Patauii 1643. & 1651. 4. FRANC. REDI M. A. SEVERINVM appellaſſe virum in cognitione viperarum verſatisſimum & experientisſimum; de BALDO contra ANGELO ABBATIO contemtim pronunciaſſe, ex obſeruationibus eius de viperis pasſim deprehendet lector.

h) FRANC. REDI *Oſſeruazioni intorno alle vipere*, Lutetiae Pariſior. 1666. 12. & aliis in locis impreſſae prodiere ſeparatim, operibus quoque autoris omnibus, quorum tom. I. cap. V. §. 23. mentionem inieci, deinceps adſociatae fuere. Latina earundem verſio, vna cum experimentis eius naturalibus Amſtelodami 1685. 12. typis exſcripta, comitem ſibi accepit epiſtolam apologeticam, de quibusdam obiectionibus contra ſuas de viperis obſeruationes, in qua REDI, contra MOSIS CHARAS *Experimenta circa viperas*, quae germanice etiam, titulo: MOSIS CHARAS *Beſchreibung der Viper vnd des Theriacks*, Francofurti 1699. 8. diuulgata ſunt, defendere ſeſe voluit.

CAP. V. SECT. IV.

DE SCRIPTORIBVS BOTANICIS.

CONTENTA:

Scriptores plantarum generales antiquiores, §. 1. 2. *Scriptores eiusdem argumenti saeculi XVI.* §. 3 - - 6. *saeculi XVII.* §. 7 - - 10. *saeculi XVIII.* §. 11 - - 13. *Scriptores plantarum speciales* §. 14 - - 18.

§. I.

Quamuis inter simplicia, quae vsibus artis sanandi inseruiunt, plantae omnium primae huic fini fuerint adhibitae, vnde factum quoque, vt quam plurimi, cum philosophi tum medici, peculiaribus de iisdem egerint scriptis: ipse tamen, quoniam illorum potior pars dudum periit, ex vniuersa antiquitate paucos admodum, quos hic recenseam, sum nominaturus; adeoque e graecis, saltim THEOPHR. ERESII, PEDANII DIOSCORIDIS & CLAVD. GALENI; ex latinis deinceps, CAII PLINII SECVNDI, & LVC. APVLEII, MADAVRENSIS, hoc loco mentionem facturus. De THEOPHR. ERESII *Historia plantarum*, vt &, de PED. DIOSCORIDIS *Operibus*, diuersis editionibus, translationibus atque commentariis, tomo iam priore, cap. II. sect. I. §. 5. & 6. ea, quae scitu maxime necessaria putabam, monui. CLAVD. GALENVM quantum spectat, obseruasse iuuat, eum de simplicibus ad botanicam pertinentibus, sexto, septimo & octauo libris de simplicium medicamentorum facultatibus, lectorem instruxisse. PLINIVS diuersos historiae suae naturalis libros plantis dicauit. Ieiunae illius & plane macilentae *Historiae de virtutibus herbarum*, quae LVCIO APVLEIO vulgo tribui consueuit, iam superius a) breuiter mentionem feci; nec non alio b) loco obseruaui, plantas illas, THEO-

THEOPHRASTO, DIOSCORIDI, PLINIO atque GALENO nominatas quidem, ſed minus luculenter ac diſtincte deſcriptas, adeoque in ancipiti ſeu ambiguo relictas, a FABIO COLVMNA & CLAVD. SALMASIO, quantum c) fieri potuit, curatius inueſtigatas eſſe; quanquam omnino MELCH. GVILANDINI & CONR. GESNERI *Epiſtolae II. de ſtirpium aliquot nominibus vetuſtis ac nouis, quae multis iam ſaeculis vel ignorarunt medici, vel de iis dubitarunt*, Baſileae 1557. 8. editae, viam illis, qua incederent, munierint.

a) Vid. Tom. I. cap. VII. ſect. I §. 4.

b) Vid. Tom. I. cap VI. ſect. I. §. 8.

c) Interim de eiusmodi tentaminibus ſeu conatibus TOVRNEFORTIVS parum fauſti bonique ominari voluit, in *Iſagoge in rem herbariam* pagina 4. ita ſcribens: Plane deſperandum eſt, his temporibus THEOPHRASTVM elucidari poſſe, non quidem, quod ad textus reſtitutionem, quae demum ſummorum virorum laboribus obtinebitur forte; ſed quod ad cognitionem plantarum, de quibus THEOPHRASTVS egit ſub nominibus ſibi propriis. Quibus enim auxiliis id fieri poſſit? niſi forſan accuratiſſime perluſtrando per plures annos loca, in quibus ſtirpes quasdam indicauit, quod tamen vix ſperari poteſt, cum deſcriptiones earum deſideremur.

§. II.

Arabes diuerſa quidem, eaque prius incognita, d) & ad vegetabile ſpectantia regnum, ſimplicia primi in vſum ſalutaris artis introduxerunt; nulla vero eorundem, praeter memorata iam ſub introitum huiusce capitis ſcripta SERAPIONIS, AVERRHOIS atque RHAZIS, peculiaria de hiſtoria plantarum exſtant opera, aut, ſi exſtant, latent tamen eadem huc vsque europaeos. Ea contra latino-barbari, qui dicuntur, de amplificanda cognitione herbariae rei eiusdemque incrementis vlterius promouendis, parum e) ſollicitos ſeſe demonſtrauerunt. A decimo ſexto vero inde ſaeculo, ad noſtra vsque tempora, adeo botanicorum increuit ſcriptorum numerus, vt coactum me videam, e tanta eorum, qui de plantis in genere egerunt, multitudine, illos ſolos

in censum vocare, qui, ex sententia GESNERI, RAII, TOVRNEFORTII, RIVINI, aliorumque in rebus herbariis exercitatissimorum virorum, prae reliquis, de isthoc bene mereri studuerunt argumento.

d) Conferantur, quae infra capite VII. §. 4. hac de re dicentur.

e) Tentauerunt quidem, hac in periodo, quidam, falso ita dictus nomine, AEMIL. MACER, WALAFRIDVS STRABVS, & IO. CVBA, hoc in argumento non nihil; prout & cum MACRI *Liber de viribus herbarum*, tum STRABI *Hortulus*, saepius & seorsim impressi, & vterque etiam collectioni *Aldinae* medicorum antiquorum inserti inueniuntur, nec non IO. CVBAE quoque *Herbarium* diuersis vicibus excusum habetur: non autem lubuit mihi talibus, tam leuis momenti, libris vllatenus immorari. Vnum saltim hic monebo, SEGVIERIVM nempe in *Bibliotheca botanica* pag. 274. sequ. vbi recenset varias MACRI editiones, antiquissimarum, sine mentione loci & anni in 4. euulgatarum editionum, quae in *Bibliotheca Riuiniana* pag. 573. sequ. annotantur, oblitum fuisse easque omisisse.

§. III.

Prodeant ergo, saeculum XVI. quod spectat, e germanis quidem f) OTTO BRVNFELSIVS, VALER. CORDVS, HIERON. BOCK, *seu*, TRAGVS, LEON. FVCHSIVS, IAC. THEODORVS, TABERNAEMONTANVS, ADAMVS LONICERVS, MATTH. LOBELIVS, REMBERTVS DODONAEVS, & CAROLVS CLVSIVS; ex Italis g) deinde PETR. ANDR. MATTHIOLVS, CASTOR DVRANTES, ANDR. CAESALPINVS; e Gallis porro, h) IO. RVELLIVS, & IAC. DALECHAMPIVS; e Bohemis denique, ADAMVS ZALVZIANSKY A ZALVZIAN; prae omnibus reliquis i) scriptoribus generalibus, locum in bibliothecae nostrae scriniis occupaturi. Istorum adeo huc pertinentia monumenta iam recensebo, adiectis breuiter eruditorum, quae de iisdem tulere, iudiciis, seu, censuris.

f) Quod opera botanica LEONARDI THVRNEISSERI, BARTH. CARRICHTERI, GVALT. HERM. RYFFII, THEODOR. DORSTENII, IOACH. CAMERARII, multorumque praeter dictos aliorum, hic sint omissa, eius rei excusandae nulla mihi incumbit neces-

necessitas. IOANNES autem THALIVS, LEON. RAVWOLFIVS, MELCH. GVILANDINVS pertinent ad numerum scriptorum particularium.

g) Hic quoque loci, LVC. GHINI, ALOYSII ANGVILLARAE, ALOYS. MVNDELLAE, FRANC. CALCEOLARII, IO. PONAE, & aliorum libri consulto sunt praetermissi. BARTHOLOMAEI tamen MARANTAE *Nouum herbarium, seu, methodus cognoscendorum simplicium*, Venet. 1571. 4. impressum, locum suum aliquatenus hic tueri non male posset.

h) PET. BELLONII mentionem hic facere nolui. De IACOBO autem GOVPYLO, vt &, de IANO ANT. SARACENO, iam supra tom. I. cap. II. sect. I. §. 6. inter commentatores Dioscoridis, me dicere memini.

i) Dolendum omnino, CONR. GESNERI Opus botanicum, in quo struendo fere trigiuta per annos colligendi studio vacauerat vir diligens, vltimam non vidisse limam; cuius tamen edendi spem fecerant & CASP. WOLPHIVS, & IOACH. CAMERARIVS. Quod, si editum fuisset, omnibus procul dubio istius saeculi scriptis botanicis dubiam redditurum fuisset palmam.

§. IV.

OTTONIS BRVNFELSII *Herbarium*, latino sermone k) scriptum, & primum per partes, tribus l) tomis euulgatum, deinceps vero Argentorati anno 1537. fol. iunctim & vna impressum, vel eo nomine notari meretur, quod BRVNFELSIVS morem, vetustissimis iam saeculis consuetum, postea vero successu temporum penitus desuetum, herbarum videlicet figuras delineandi, primus m) in hoc ipso opere reuocauit ac restituit. VALER. CORDI *Historiae stirpium libri quatuor posthumi*, non solum, vna cum eiusdem in DIOSCORIDEM annotationibus, a CONR. GESNERO editi n) eiusque praefatione ornati fuerunt; sed ingenue etiam confessus est TOVRNEFORTIVS o): *Quod in describendis plantis omnium primus excelluerit* CORDVS. HIER. TRAGI, *seu*, BOCK, *Herbarium*, germanice scriptum, *Kräuter-Buch*, quod, etsi suis quibusdam *) naeuis & defectibus laboret, creberrime p) prela exercuit, nec non a DAVIDE KYBERO romanae ciuitati q) donatum est, &

CONR. GESNERI lectu dignissima praefatione praemunitum, magna non a GESNERO r) tantum, sed ab aliis s) quoque reportauit elogia. LEONH. FVCHSII *Commentarii de historia stirpium*, Basileae 1542. fol. luci expositi litterariae, maioris t) ab autore suo sunt habiti, quam haberi re merentur vera; mederi tamen forsitan tot in hoc opere obseruatis mendis atque erroribus possent additamenta illa, quae, magni ponderis, in chartis manu exaratis u) reliquisse fertur, si, obstetricantibus typis, in lucem illa protraherentur publicam.

k) Germanice enim quoque scriptum herbarium eundem edidisse, testatur CONR. GESNERVS in *Bibliotheca vniuersali* pag. 532.

l) Ita, vt tomus primus anno 1530. secundus anno 1531. tertius denique anno 1536. ceu opus posthumum, Argentorati in folio, prima vice prela relinqueret, vnde errores LINDENIO *renouato* pag. 860. errati, satis superque patescunt.

m) Probatum id iam tum dedi testimoniis CONR. GESNERI & LEONH. FVCHSII allatis a me & in medium productis in *Stolliana medicinae historia*, & quidem pag 625.

n) Tiguri 1561. fol. & Argentorati 1561. fol. In SEGVIERII quidem *Bibliotheca botanic.* pag. 45. lego, quintum etiam librum VALER. CORDI historiae stirpium Argentorati 1563. fol. fuisse diuulgatum; mihi vero ille nondum vsquam obuenit.

o) In *Isagoge in rem herbar.* pag. 26.

*) Huc, exempli caussa, pertinet, quod perquam multis herbis erroneas ex DIOSCORIDE voluit adsignare denominationes.

p) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 15 vbi septem editiones Argentoratenses allegatae reperiuntur, quarum illae, quae annis 1580. 1586. 1595. & 1630. fol. prodiere, MELCH. SEBIZII additamentis locupletatae comparuere.

q) HIER. TRAGI *De stirpium, maxime earum, quae in Germania nascuntur, vsitatis nomenclaturis, propriis differentiis, temperaturis ac facultatibus commentariorum libri III. e german. in latin. linguam conuersi, interprete* DAVIDE KYBERO. *Acc. Praefatio* CONR. GESNERI, *rei herbariae scriptorum catalogum complectens* &c. Argentorat. 1552 4.

r) Tam in *Bibliothec. vniuersal.* pag. 329. quam in modo laudata, quam TRAGO praemisit, praefatione. Priori loco ita scribit: HIER. TRAGVS herbarium germanicum edidit, tam docte & diligenter, vt, quod ad stirpium descriptiones attinet, nemo hac in parte diligentius in hunc diem scripserit. Ego sane, non parum huius

huius viri diligentiae atque doctrinae me debere, libenter fateor. Posteriori autem loco, vbi longe pluribus de eo loquutus fuit, haec habet inter alia; Inter recentiores, qui stirpium historiam scribendo illustrarunt, HIER. TRAGVS, IO. RVELLIVS, & LEONH. FVCHSIVS, tanquam soles quidam inter minora sidera, relucent.

s) Exempli ergo, a LEONH. FVCHSIO in praefatione, quam suis ipse commentariis de historia stirpium praeposuit; & a TOVRNEFORTIO in *Isagoge in rem herbariam*, pag. 27. quorum posterior eum laudat, quod vires plantarum maxime perspectas habuerit.

t) Appellauit enim ipse opus isthoc in praefatione sua, historiam plantarum integram, quam iactantiam iure meritoque ridet TOVRNEFORTIVS in *Isagog. in rem herbar.* p. 29.

u) Vid. Noua litteraria anni 1728. pag. 313. quo loco refertur, manuscriptum istud Vlmae penes bibliopolam BARTHOLOMAEI inueniri & venale prostare.

§. V.

IACOBI THEODORI, *Tabernaemontani, recens perfectum herbarium, Neu-vollkommenes Kräuter-Buch*, a CASP. BAVHINO, & insequuto tempore ab HIERONYMO etiam BAVHINO, multis partibus emendatum, saepissime excusum w), & recentissime quoque Basileae anno 1731. fol. recusum, HERM. x) CONRINGIO, & TOVRNEFORTIO y) vere probae habetur notae. ADAMI LONICERI, itidem germanice scriptum, *Herbarium*, cui EVCHARII RHODIONIS opus botanicum, instar primorum rudimentorum inseruiit, ita vero deinceps a LONICERO immutatum, emendatum atque auctum fuit, vt sub solius LONICERI nomine Moeno-Francofurti anno 1573. fol. in lucem prodiret publicam, tot inuenit fautores, vt crebris z) prelis repetendum fuerit; recentissime quoque Vlmae 1737. fol. recusum. MATTH. LOBELIVS, REMB. DODONAEVS, & CAR. CLVSIVS, iudice CONRINGIO a), aequum veluti inter medicos belgas triumuiratum botanicum gerere apti sunt; ex TOVRNEFORTII b) vero sententia, perquam longe ab vno distat alter, & ab vtroque iterum tertius. De MATTH. LOBELII *Historia plantarum, cui annexum est aduersariorum volu-*

 men,

men, Antwerpiae 1576. fol. IO. BAVHINVS, IO. RAIVS & TOVRNEFORTIVS non adeo honorifice c) pronunciauerunt; HERMANNVS d) tamen BOERHAAVIVS hoc ipsi laudi tribuit: *Quod in viribus plantarum sit fidelissimus.* REMB. DODONAEI *Stirpium historiae pemptades sex, siue libri* XXX. Antwerpiae 1583. fol. ab ipsius ciue MATTH. LOBELIO parum sunt e) laudatae. CAROLI contra CLVSII *Historia plantarum rariorum*, Antwerpiae 1601. fol. impressa, vt & *Curae eiusdem posteriores*, ibidem 1611. fol. euulgatae, longe maiori fauore f) sunt exceptae.

w) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* p. 190.

x) In *Introduct. in art. medic.* cap. X. §. 14. & 40.

y) In *Isagoge in rem herbar.* pag. 35. Certe TABERNAEMONTANVS fuit vir diligens, & rei herbariae maxime studiosus, in eo praecipue laudandus, quod, praeter multarum plantarum sibi propriarum notitiam, de viribus etiam vulgatiorum optime scripserit.

z) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 111. vbi tamen memorata hic in textu vltimo loco editio Vlmensis fuit omissa.

a) Vid. *Introduct. in art. medic.* cap. X. §. 14. & 18.

b) *Isagog. in rem herbar.* pag. 42. CLVSII modestiam satis mirari nequeo. Tantum enim ab ipso distabat DODONAEVS in re herbaria, quantum a puero magister.

c) Vid. STOLLII *Historiam medicinae litterar.* p. 648. seqq.

d) In *Methodo discendi medicin.* pag. 222.

e) Vid. TOVRNEFORT. *Isagog. in rem herbar.* pag. 40. vbi haec leguntur: IO. BAVHINVS, alienis se ornare plumis DODONAEO commune fuisse, non semel indicauit. DODONAEI sedulitas ait LOBELIVS, vt multis aliis locis laudanda, ita plerisque minus tempestiua, vbi ignotis plantis facultates certas aperit, quas e DIOSCORIDE accepit, magno detrimento aegrorum & experimentatorum, qui quod vident a bono viro & veritatis amico scriptum, illico vt verum arripiunt & per experimenta mortes agunt.

f) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. X. §. 18.

§. VI.

De iudiciis atque censuris, quas partim acerbas partim benignas expertus fuit PETR. ANDR. MATTHIOLVS, intuitu scriptorum suorum, quae ad illustran-

lustrandam rem herbariam edidit, supra g) iam dixi CASTORIS DVRANTIS *Herbarium nouum*, quod italico idiomate conscriptum Venetiis 1584. fol. prela reliquit, & eodem idiomate aliis quoque locis crebro h) recusum, nec non a PETRO VFFENBACHIO in germanicam i) quoque linguam translatum fuit, multos inuenit fautores. ANDR. CAESALPINI *Libri XVI. de plantis*, Florentiae 1583. 4. impressi, ideo memoratu digni habentur, quod eorum autor primus k) fuit, qui doceret, qua ratione herbae, pro diuersis ac multiplicibus qualitatibus seminum suorum, iusto ordine ac serie conueniente sint disponendae. De IO. RVELLII *Libris* III. *de natura* l) *stirpium*, Parisiis 1536. fol. excusis, CONR. GESNERVS m) cum laude multa pronuntiauit sententiam suam, qui & RVELLIVM ipsum inter soles botanicos numerauit. IAC. DALECHAMPII & IO. MOLINAEI *Historia generalis plantarum in libros* XVIII. *per certas classes artificiose digesta*, Lugduni 1587. fol. typis expressa, a CASP. n) BAVHINO multorum errorum ac defectuum fuit accusata, confesso etiam ingenue TOVRNEFORTIO o), vtrumque autorem tantae molis operi minime fuisse idoneum. ADAMI ZALVZIANSKY A ZALVZIAN *Methodi herbariae libri tres*, Pragae 1592. 4. excusi, e rariorum operum habentur numero.

g) Tom. I. cap. V. §. 14.

h) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* p. 59. quo loco tamen editio Veneta vltima anni 1684. fol. fuit praeterita.

i) Versio isthaec Francofurti 1609. 4. impressa prodiit. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 584.

k) Confer. *Historia medicinae litteraria* sub *Stollianq* euulgata nomine pag. 640. seqq. quo loco testimonia RIVINI, BOERHAAVII, RVDBECKII aliorumque hac de re adduxi, adnotans vna, CONR. GESNERVM ipsi in hoc inuento facem praetulisse viamque praemonstrasse.

l) De sequutis hanc editionibus huius operis conferatur SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 172.

m) In praefatione versioni TRAGI latinae praemissa.

n) Scri-

n) Scriptum eius illi oppositum titulum praefert isthunc: CASP. BAVHINI *Animaduersiones in historiam generalem plantarum Lugduni editam. Item catalogus plantarum circiter quadringentarum in eo opere bis terue positarum.* Francofurti 1601, 4.
o) Vid. *Isagog. in rem herbariam.* pag. 34.
p) Vid. STOLLII *Historia medicinae litterar.* p. 653. seqq.

§. VII.

Saeculo XVII. quam plurimi scriptores botanici generales, modo in hac, modo in illa gente, inclarescere scriptis editis studuere: quorum alii compendiis, alii amplis systematibus conditis, bene mereri de hoc studiorum genere conabantur. E natione germanorum q) sequentes nunc procedant hic considerandi. ADRIANI SPIGELII *Isagogen* r) *in rem herbariam* magni fecit IOAN. S) RHODIVS. CASP. BAVHINVS Historiae quidem suae plantarum vniuersali manum admouere supremam non potuit; nihilo tamen minus a magno isthoc botanico accepimus *Phytopinacem* t), *Prodromum* u) *theatri botanici*, nec non laboriosum illum & cunctis a partium studio alienis tantiuis pretii w) aestimatum *Pinacem* x) *theatri botanici.* IO. BAVHINI & IO. HENR. CHERLERI *Historia plantarum vniuersalis, quam recensuit & auxit* DOMINIC. CHABRAEVS, *iuris vero publici fecit* FRANC. LVDOV. A GRAFFENRIED, tribus constans tomis y), operis quidem posthumi habet praeiudicium, nihilo minus tamen haud vulgaribus, a CONRINGIO, RAIO, RVDBECKIO, BOERHAAVIO & aliis, ornata fuit encomiis z); etiamsi SCHELHAMMERVS a) ratione figurarum, TOVRNEFORTIVS b) autem quoad ordinem c) atque dispositionem operis, quod desiderarent, in ea inuenisse sibi videantur. CHRISTIAN. MENTZELII *Index nominum* d) *plantarum vniuersalis* multorum e) inuenit suffragia. Exercitatissimus ille botanicus, AVGVSTVS QVIRINVS RIVINVS, inuentor systematis plantarum plane noui, praeter introductionem f) generalem in rem herbariam, reipsa etiam

etiam tres g) ordines plantarum, ceu specimina integri operis botanici, euulgauit; reliquae autem partes, id quod dolendum! ad hunc vsque diem in manu exaratorum forulis delitelcunt.

q) Breuitati nisi studendum mihi fuisset, poteram, praeter allegatos in paragrapho, THOMAE PANCOVII *Kräuter-Buch* Lipf. 1679. 4. BERNH. VERZASCHAE *Neu vollkommenes Kräuter-Buch*, Basil. 1678. fol. THEOD. ZWINGERI *Neu vollkommenes Kräuter-Buch*, Basil. 1696. fol. &, inter Compendiorum scriptores, PAVLL. AMMANNI *Characterem plantarum naturalem*, Francof. 1700. 12. CHRIST. LVDOV. WELSCHII *Basin botanicam*, Lipf. 1697. 12. vna cum pluribus aliis adduxisse. Quantum ego iudico, vterque BAVHINVS atque RIVINVS, inter germanos quidem huius saeculi botanicos, triumuiratus honore vix sunt priuandi.

r) Patauii 1606. & 1608. 4. Helmstad. 1667. 4.

s) In *Bibliothec. medic.* pag. 137. vbi scribit: SPIGELII Isagoge tyronibus necessaria, primo loco habenda.

t) CASP. BAVHINI *Phytopinax, seu, enumeratio plantarum ab herbariis nostro seculo descriptarum, cum earum differentiis. Cui plurimarum hactenus ab iisdem non descriptarum succinctae descriptiones & denominationes accessere.* Basil. 1596. 4.

u) CASP. BAVHINI *Prodromus theatri botanici, in quo plantae supra sexcentae ab ipso primum descriptae cum plurimis nouis figuris proponuntur.* Francofurti, 1620. 4. & Basileae 1671. 4. In IO. RAII praefatione, quam tomo primo historiae suae plantarum praemisit, haec leguntur: Continet hic liber multas species nobis suspectas a plantis siccis descriptas; cui iudicio TOVRNEFORTIVS quoque in isagoge in rem herbariam pag. 43. subscripsit.

w) Quanta cum laude CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. X. §. 18. TOVRNEFORTIVS in *Isagoge in rem herbar.* pag. 43. OLAVS RVDBECKIVS in *Differtat. de fundamentali plantarum notitia acquirenda*, pag. 9. & RIVINVS in *Introduct. generali in rem herbariam* pag. 11. de hocce Pinace sint loquuti, in *Stolliana medicinae historia* pag. 659. a me iam indicatum fuit, insimulque adnotaui, omnibus hisce elogiis non impedientibus, IO. RAIVM, in Praefatione tomi primi historiae suae plantarum, scripsisse sequentia: Liber hic sphalmatis & erroribus suis non caret. Species aliquae bis terue repetuntur sub diuersis titulis, aliae locis non suis disponuntur, vt historiam generalem Ebrodunensem, MORISONI praeludia & historiam Oxoniensem, & nostram legenti patebit.

x) Ba-

x) Basileae 1623. & 1671. 4. quae vltima editio isthanc gerit inscriptionem: CASP. BAVHINI *Pinax theatri botanici, siue, index in* THEOPHRASTI, DIOSCORIDIS, PLINII, *& botanicorum, qui a seculo scripserunt, opera, plantarum circiter sex millium, ab ipsis exhibitarum, nomina cum earundem synonymiis & differentiis methodice secundum genera & species proponens. Opus XL. annorum summopere expetitum, ad autoris autographum recensitum.* ZACHAR. ROSENBACHIVM in praefatione huic operi praemissa, cum in ordine tum in perfectione huius pinacis depraedicandis nimium fuisse, id in *Stollianae medicinae historia* cit. loc. me iam monere, memini.

y) Huius tomus I. Ebroduni 1650, tomus II. atque III. ibidem anno 1651. in fol. prelo fuit excusus. Hocce igitur opus quum non nullis nimis amplum atque diffusum, aliis pretiosum nimis videretur; DOMIN. CHABRAEVS in compendium redegit idem, atque sequenti rubrica praenotatum diuulgauit: DOMIN. CHABRAEI *Stirpium icones & sciagraphia cum scriptorum circa eas consensu ac dissensu, ac ceteris plerisque omnibus, quae de plantarum natura, natalibus, synonymis, vsu & virtutibus necessaria.* Geneuae 1666. fol. cum fig.

z) Vid. STOLLII *Histor. medicin.* pag. 6[illegible]. seqq. vbi legi potest, CONRINGIVM Historiam isthanc plantarum vniuersalem, opus infiniti laboris & plurimae industriae; HERM. BOERHAAVIVM in methodo discendi medicinam p. 220. Pandectas botanicas; IOANNEM denique RAIVM, autorem eius IOAN. BAVHINVM, herbariorum coryphaeum appellasse.

a) In *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. X. §. 14. Id tamen in eo opere desideres, quod icones, quas addit, plerumque nimis exiguae, minus tersae, nec dignitati operis sint respondentes, imperfectae etiam haud raro, imo & transpositae, aliisque vitiis laborent, quae lectores possint turbare.

b) In *Isagoge in rem herbar.* p. 43. Ceterum in eo peccasse videntur viri praestantissimi, quod institutionem generum, qua nihil ad historiam plantarum absoluendam magis necessarium, plane neglexerint.

c) IO. enim BAVHINVS nullum certum characterem plantarum fundamenti loco in hoc opere supposuit, dum ipse tomo III. sub exordium libri XXXI. ita suam mentem aperit: Est, vbi ex fructu, est, vbi ex flore, est etiam, vbi ex radice stirpium classes melius aestimes. Nunc ad folia maxime respicere lubet.

d) Berolini 1682. fol. & auctior 1696. it. 1715. fol. quarum editionum postremae titulus est: *Lexicon plantarum polyglotton vniuersale.*

e) Vid. RIVINI *Introduct. general. in rem herbar.* p. 38. Laudem immortalem promeritus est CHRISTIANVS MENTZELIVS, quod indicem edere vniuersalem, ad explicanda plantarum nomina vtilissimum, non dubitauit. Quicquid enim alii sparsim tradi-

tradiderunt, hinc inde diffusum, id egregio labore in vnum congessit opus, vt Ariadnaeum quasi filum praestaret, quibus labyrinthum botanicum libet ingredi.

f) Lipsiae 1690. fol. 1696. & 1720. 12. quam vltimam editionem comitatur responsio ad IO. IAC. DILLENII obiectiones.

g) Prodierunt illi in lucem sequenti serie: *Ordo plantarum, quae sunt flore irregulari monopetalo*, Lips. 1690. fol. cum tabulis aeneis 125. *Ordo plantarum, quae sunt flore irregulari tetrapetalo*, Lips. 1691. fol. cum tabul. aeneis 121. *Ordo plantarum, quae sunt flore irregulari pentapetalo.* Lips. 1699. fol. cum tabulis aeneis 139.

§. VIII.

E numero Italorum hoc saeculo florentium, OVIDIVS MONTALBANVS, HYACINTHVS AMBROSINVS, & GEORGIVS A TVRRE, locum hisce in scriniis aliquem occupare poterunt. OVID. MONTALBANI *Hortus botanographicus, herbarum ideas & facies supra bis mille in paruo trium tomorum octaui folii concludens spatio*, Bononiae 1660. 8. in lucem expositus fuit litterariam. Sollertis atque industrii illius botanici, HYAC. AMBROSINI, *Phytologiae* nihil vltra *tomum* eius *primum* h), Bononiae anno 1666. fol. euulgatum, in conspectum litterati orbis prodiit; reliqua enim addere morte praepeditus autor non potuit. A GEORGIO contra A TVRRE accepimus historiam quandam plantarum, quae inscripta: *Chloridis triumphus, vbi plantarum vniuersa natura spectatur, affectiones expenduntur, facultates explicantur*, Patauii anno 1685. fol. prela reliquit i).

h) *In, quo herbarum nostro saeculo descriptarum nomina aequiuoca, synonyma ac etymologica inuestigantur: additis plantarum aliquot viuis iconibus, lexicoque botanico & indice trilingui.*

i) Videat. *Bibliothec. Burckhard.* part. III. pag. 114. & SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 198.

§. IX.

In gallorum gente, DIONYS. DODARTVS, IOSEPHVS PITTON TOVRNEFORTIVS, & PETRVS MAGNOLIVS, prae reliquis k), facile loco suo hic obti-

obtinendo digni habebuntur; maxime, quum posteriores duo, nouis ac propriis sibi conditis plantarum systematibus l), multorum in se ora conuerterint, magnamque sibi conciliauerint existimationem. DIONYS. DODARTI *Memoires pour servir à l'histoire des plantes*, Lutetiae Parisior. 1676. fol. excusae, ibidemque loci anno 1679. in 12. sunt recusae, nec non recentissime Hagae comitum anno 1731. 4. Celeberrimi illius IOSEPH. PITTON TOVRNEFORTII gallice primum scriptus liber, cui titulus: *Elemens de botanique*, à Paris 1694. 8. ab ipso deinceps autore in latinum sermonem transfusus & hac notatus rubrica: *Institutiones rei herbariae*, & quidem auctior, Lutetiae Paris. 1700. 4. editus, porro *Corollario institutionum rei herbariae* ibidem 1703. eadem forma locupletatus; ab ANTONIO autem DE IVSSIEV, adiectis diuersis augmentis m) denuo euulgatus; denique, ob sui praestantiam, in anglicanam n) quoque linguam translatus fuit. PETRVS MAGNOLIVS non *Prodromum* solum *historiae generalis plantarum, in quo familiae plantarum per tabulas disponuntur*, Monspelii 1689. 8. impressum dedit; verum *Nouum* etiam *characterem plantarum in duos tractatus diuisum* reliquit, quod opus filius eius, ceu posthumum, Monspelii 1720. in 4. typis signandum curauit.

k) Ad opus enim illud gallicum, cui titulus: *De la nature, vertu & utilité des plantes. Ouvrage diuisé en V. livres. Par* GVY DE LA BROSSE, à Paris 1628. 8. non magis, quam ad reliqua huius generis, subsistere lubuit.

l) Dixi de his pluribus in *Historia medicinae litteraria*, sub STOLLII nomine edita, pag. 682. seqq.

m) IOS. PITT. TOVRNEFORTII *Institutionum rei herbariae editio III. cura* ANTON. DE IVSSIEV *edita. Cui accessit Vita* TOVRNEFORTII; *Iudicium de* TOVRNEFORTII *methodo plantarum, & botanographorum elogia Tournefortianae isagogi addenda.* Paris. 1719. 4. nec non Lugduni 1719 4. Videat. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 194.

n) *The compleat Herbal, or the botanical institutions of M.* TOVRNEFORT. London 1719. 4. Vid. SEGVIERIVM cit. loc.

§. X.

§. X.

Sed & Angli, iſthoc, in quo nunc verſamur, florentes ſaeculo, ad melius ordinandas, diſponendas ac diſpartiendas herbas, multum, immo plurimum contulere. ROBERTVS inprimis o) MORISONVS, IO. RAIVS, & LEONARDVS PLVKENETIVS hancce ſpartam ornando celebre conſequuti ſunt nomen. Horum quidem *primus* coeptam *Hiſtoriam plantarum vniuerſalem Oxonienſem* ad finem exoptatum perducere, morte praeuentus, haud potuit: nihilo tamen minus pars eius ſecunda p) ab ipſo autore, pars tertia vero q) a IAC. r) BOBARTIO ſunt diuulgatae, primae contra partis edendae nulla omnino ſpes ſupereſt. MORISONVM operi ſuo fundamenti loco ſuppoſuiſſe ſyſtema CAESALPINI, idque multis in partibus emendaſſe, illudque inſtitutum eius compluribus ſeſe probauiſſe, iam alibi s) annotaui. IOAN. RAIVS, magna antea, *Methodi* ſuae t) *plantarum* euulgatione, acquiſita ſibi fama, haud exiguum honori ſuo peperit incrementum poſtea, quando ſuam *Hiſtoriam* u) *plantarum*, tribus w) conſtantem tomis, diuerſis annorum interuallis in lucem expoſuit publicam, qui haud ita pridem, nempe anno 1716. Londini in folio fuerunt iunctim vna x) excuſi, magnaque cum approbatione a rei herbariae gnaris excepti. De LEON. PLVKENETIO paucis id tantum adnotabo, tam *Phytographiam*, quam reliqua eius ad botanicam rem ſpectantia, eaque elegantiae laude incluta monumenta, quae ſingula y) primum lucem ſalutarunt litterariam, praeſtantiae ſuae cauſſa, ante annos non ita multos, ſex tomis conſtantia, iunctim z) denuo fuiſſe Londini impreſſa.

o) Circa IO. PARKINSONII *Theatrum botanicum*, quod lingua britannica conſcriptum Londini 1649. fol. excuſum, ibidemque anno 1656. pari forma recuſum fuit, moras nectere haud magis mihi lubuit, quam circa aliorum huius nationis botanicorum monumenta.

p) *Plan-*

p) *Plantarum historiae vniuersalis Oxoniensis pars secunda, seu, Herbarum distributio noua per tabulas cognationis & affinitatis ex libro naturae obseruata & detecta, autore* ROBERTO MORISON. Oxonii 1680. fol.

q) *Plantarum historiae vniuersalis Oxoniensis pars tertia, seu, Herbarum distributio noua &c. Autore* ROBERTO MORISON. *Partem hanc tertiam, post autoris mortem, expleuit & absoluit* IACOB. BOBARTIVS. Oxonii 1699. f.

r) Quam abiecte, quanto cum contemtu BOBARTIVS iste, in praefatione praemissa, de praestantissimis quibusque botanicis loquutus sit, & quam manifesta simul indicia suae in historia litteraria ruditatis hic reliquerit & ignorantiae, id ex instituto enarraui & probatum dedi in *Historia medicinae Stolliana* pag. 669. seqq.

s) Vid. STOLLII *Historiam medicinae litterar.* pag. 664. seqq. quo loco & benigna & aduersa doctorum de scriptis eius iudicia allegata inuenies.

t) IO. RAII *Methodus plantarum noua synoptice in tabulis exhibita cum notis generum characteristicis, obseruationibus non nullis de seminibus plantarum, & indice copioso.* Londini 1682. 8. De sequutis iisque auctioribus huius libri editionibus, qui Londini 1703. 8. Amstelodami 1711. 8. & Tubingae 1733. 8. prelis recusus exiit denuo, conferatur SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 153.

u) Integer titulus est eius modi: IO. RAII *Historia plantarum, species hactenus editas aliasque insuper multas nouiter inuentas & descriptas complectens, in qua agitur de plantis in genere, earumque partibus, accidentibus & differentiis. Deinde genera omnia, tum summa, tum subalterna, ad species vsque infimas, notis suis certis & characteristicis definita, methodo naturae vestigiis insistente disponuntur, species singulae accurate describuntur, obscura illustrantur, omissa supplentur, superflua resecantur, synonyma necessaria adiiciuntur, vires denique & vsus recepti compendio traduntur.*

w) Ita, vt tomus I. Londini 1686. tomus II. ibid. 1688 & tomus III. qui, maximam sui partem, opera GVIL. SHERARDI, perfectionem suam nactus est, ibidem anno 1704. fol. fuerit excusus.

x) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 154.

y) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 149.

z) Inscriptio est sequens: LEON. PLVKENETII *Opera omnia botanica in* VI. *tomos diuisa; videlicet* I. II. III. *Phytographia;* IV. *Almagestum botanicum;* V. *Almagesti botanici Mantissa;* VI. *Amaltheum botanicum. In quibus stirpes illustriores minus cognitae, exoticae, rarioresque nouissime detectae ad plures chiliadas describuntur, tum iconibus, tabulis aeneis* 454. *summa cura depictis, figurantur.* Londin. 1720. fol. volum. VI. Vid. Bibliothec. Burckhard. part. III. p. 119. sequ.

§. XI.

§. XI.

Nec minus ferax ſcriptorum botanicorum, eorumque generalium, fuit decimum octauum, quod nunc voluitur, ſaeculum: quorum alii opera ampliora, alii vero compendia tantum, partim ipſa re dedere, partim, ſe daturos, promiſere. Priori claſſi, ex Suecis quidem, OLAVS RVDBECKIVS, vterque, pater & filius; ex Anglis deinde, GVIL. SHERARDVS; ex Italis porro, IVLIVS PONTEDERA, & PETRVS ANT. MICHELIVS; e Germanis denique noſtris, EMANVEL KOENIG, IO. HIER. KNIPHOF, & IO. WILHEL. WEINMANN, accenſendi veniunt. Compendiorum vero quod attinet ſcriptores a), CHRISTIANVS KNAVT, IO. GEOR. HENR. KRAMER, CAR. LINNAEVS, & CHRISTIAN. GOTTLIEB LVDWIGIVS commode locum hic tuebuntur aliquem. Ingentis illius operis botanici, quod euulgare ſecum conſtituerant celebres illi OLAI RVDBECKII, ſub titulo: *Campi Elyſii*, & quidem per plures tomos diffundendi, praeter librum primum b), & librum ſecundum c), nihil vlterius prelo prodiit: reliqua enim omnia, quae ad complendos ceteros tomos iam fuerant collecta, infauſto ac triſti illo incendio, quod Vpſaliae 1702. cooriebatur, irreparabili rei botanicae damno, conflagrauerunt. Quantum vero attinet ad magni d) illius botanici, GVIL. SHERARDI, quam promiſit publico, *Hiſtoriam plantarum vniuerſalem*, cui fundamenti loco CASP. BAVHINI Pinacem ſubſternere, eumque tali ratione augere cogitabat, vt in illo opere accurata ſedecies mille, plurium, plantarum inueniri poſſet deſcriptio; nihil quidem illius hactenus lucem vidit, ob praeproperam autoris mortem: ſpes tamen eſt, fore, vt IO. IAC. DILLENIVS exſpectatam tam diu editionem e) operis huius & vtilisſimi & laborioſisſimi procuret.

a) Breuitatis ſtudio, hoc quoque loco MART. DAN. IOHRENII *Hodegum botanicum, ſecundum methodum Tournefortianam adornatum,*

natum, Francofurti & Lipsiae 1717. 8. excusum; CHRISTOPH. BERNH. VALENTINI *Tournefortium contractum*, Francof. 1715. fol. diuulgatum, aliosque praetermittere me, oportuit.

b) *Campi Elysii liber primus, graminum, iuncorum, cyperorum, frumentorum &c. figuras continens. Curis* OLAI RVDBECKII, *Patris & filii. Latine & Suetice.* Vpsaliae 1702. fol. Librum isthunc ex omnibus scriptis botanicis rarissimum esse, quoniam duo tantum eius exempla impressa conflagrationi tum exortae fuerunt erepta, SEGVIERIVS in *Bibliothec. botanic.* p. 171. ex actis litterariis Sueciae ann. 1720 p. 96. annotauit.

c) OLAI RVDBECKII, *Patris & filii, Campi Elysii liber secundus, qui iridum, narcissorum, hyacinthorum, tuliparum, liliorum, crocorum, atque alias ex bulborum genere figuras, iusta magnitudine expressas habet. Latine & Suetice.* Vpsal. 1701. fol. Vid. *Biblioth. Riuinian.* pag. 593. Inuenitur iste liber, rarioribus & ipse adnumerandus, in *Bibliothecae* quoque *Burckhardianae* part. III. pag. 116.

d) Quanti hunc fecerit IOANNES RAIVS, apparet ex ipsius praefatione, quam tomo tertio historiae suae plantarum praemisit, vbi haec scribit: Tandem supplemento nostro complementum vltimum adiecit, plus mille stirpium nondum editarum auctario, sponte & generose collato, consummatissimus botanicus, per totam Europam merito suo celeberrimus, amicus noster in paucis charus, Dominus GVIL. SHERARDVS LL. D. cuius praecipuae in hoc opere partes fuere.

e) Vid. Noua litteraria anni 1735. pag. 911.

§. XII.

IVLIVS PONTEDERA, tum *Compendio tabularum botanicarum, in quo plantae 272. ab eo in Italia nuper detectae, recensentur*, Patauii 1718. 4. edito, tum etiam *Anthologia, siue, de florum natura libris* III. Patauii 1720. 4. euulgatis, inclaruit. Ab acutissimo illo botanico, PETR. ANT. MICHELIO, qui aliis nunquam antea notatos flores & semina fungorum, muscorum & plantarum capillarium primus detegere conatus fuit, accepimus *Noua plantarum genera, iuxta Tournefortii methodum disposita, quibus plantae 1900. recensentur, scilicet fere 1400. nondum obseruatae, reliquae suis sedibus restitutae*, Florentiae 1729. fol. excusa. EMAN. KOENIGII *Regnum vegetabile quadripartitum*, Basileae anno

1708.

1708. 4. impressum, non sine fructu legi potest. 10. HIER. KNIPHOF *Botanica in originali pharmaceutica* f) diuersos inuenit fautores; etsi iste liber in *Bibliotheca botanica Seguieriana* penitus sit praeteritus. Neque minus amplum illud opus botanicum, quod, titulo praenotatum isthoc: IO. WILH. WEINMANNI *Phytanthozaiconographia* g), Ratisponae anno 1735. fol. edi coeptum, pluribus deinde partibus succedentibus continuatum, & propediem h) consummandum prodiit, tam benigna litterati orbis approbatione gauisum est, vt dignum illud haberet IO. BVRMANNVS, quod in belgicum i) transfunderet sermonem.

f) *Das ist, Lebendig officinal Kräuter-Buch, in welchem alle in den Apotbecken gebräuchliche Kräuter, so zu bekommen, auf eine neue Methode, nach ihrer vollkommenen Schönheit von den lebendigen ausgetruckneten Kräutern selbst abgedruckt sind, nebst derselben teutschen, lateinischen und griechischen Namen, Beschreibung, und Erzehlung ihres Nutzens.* Erffurth 1733. fol. Vid. *Bibliothec. Burckhard.* part. III. pag. 115.

g) *Oder eigentliche Vorstellung etlicher tausend, sowohl einheimischer als ausländischer, von* IO. WILH. WEINMANN *gesammleter Pflantzen, Bäume, Stauden, Kräuter, Blumen, Früchte, Schwämme &c. welche auf das netteste in Kupffer gestochen, und durch eine neuerfundene Art, nach der Natur mit lebendigen Farben herausgegeben und verlegt von* BARTHOL. SEVTER, IO. EL. RIDINGER *und* IO. IAC. HAID. *Deren Benennung, Arten, Kennzeichen, und Gebrauch, nach alphabetischer Ordnung, in lateinischer und teutscher Sprache beschrieben worden von* IO. GEORG. NIC. DIETERICHS, *und* AMBROS. CAROL. BIELER. Tom. I. II. III. & IV. Regensburg 1735-1744 fol.

h) Vid. Noua litteraria anni 1741. pag. 877.

i) Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 210. vbi tamen erronee collector huius operis, IOAN. IAC. GVIL. WEINMANNVS est appellatus.

§. XIII.

CHRISTIANI KNAVT *Methodus plantarum genuina, qua notae characteristicae, seu differentiae genericae tam summae quam subalternae digeruntur, & per tabulas, quas vocant, synopticas perspicue delineantur*, Halae Saxonum 1705. 4. impressa, ibidemque 1716. 8. prelo

 repe-

repetita est. IO. GEORG. HENR. KRAMERI *Tentamen botanicum, siue, methodus Riuino-Tournefortiana,* Dresdae 1728. 8. exculsa, longe auctior, sub titulo: IO. GEORG. HENR. KRAMERI *Tentamen botanicum emendatum & auctum, siue, methodus Riuino-Tournefortiana emendata & aucta* &c. *cum praefatione, siue, introductione generali ad botanicam,* Viennae Austriae 1744. fol. recusa in lucem k) prodiit. CAROL. LINNAEO debemus non *Fundamenta* solum *botanica,* Amstelodami 1736. impressa in 12. verum *Criticam* l) quoque *botanicam,* nec non *Classes plantarum, seu Systemata plantarum omnia a fructificatione desumta, quorum* XVI. *vniuersalia, &* XIII. *partialia compendiose proposita,* Lugduni batau. 1738. 8. typis exscripta; debebuntque imposterum quoque & botanica & vniuersa historia naturalis huic eidem solertissimo viro perquam multa bona. Circa CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG *Aphorismos botanicos,* Lipsiae 1738. 8. luci expositos, vnum est quod moneam, eos videlicet, rubricam gerentes: *Institutiones historico-physicae regni vegetabilis, in vsum auditorum adornatae a* CHRIST. GOTTL. LVDWIG, Lipsiae 1742. 8. longe auctiores atque emendatiores simul m) denuo esse diuulgatos.

k) Vid. Noua litteraria anni 1744. pag. 541.

l) *In qua nomina plantarum generica, specifica & variantia examini subiiciuntur, simulque doctrina circa denominationem plantarum traditur.* Lugd. batau. 1737. 8. Vid. SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 107.

m) Vid. Noua litteraria anni 1742. pag. 759. sequ.

§. XIV.

Sufficiant haec de generalibus rei botanicae scriptoribus. Res ipsa & tempus nunc postulant, vt, sub finem huius capitis, illorum etiam, qui de plantis certarum tantum regionum, vel singularum quoque vrbium, fuerunt solliciti, breuem quendam indicem adiiciam. Inter autores, ad priorem classem spectantes, locum occupent sequentes n). De plantis

tis Americanis legi meretur liber gallice scriptus, hoc titulo: *Description des plantes de l'Amerique* o), *avec leurs figures, par le* R. P. CHARLES PLVMIER. IAC. CORNVTVS *Canadensium plantarum aliarumque nondum editarum historiam*, Lutetiae Paris. 1635. 4. impressam, nobis exhibuit. HANS SLOANE *Catalogus plantarum, quae in insula Iamaica sponte proueniunt, vel vulgo colliguntur, cum earundem synonymis & locis natalibus, adiectis aliis quibusdam, quae in insulis Maderae, Barbados, Nieues & S. Christophori nascuntur*, Londini 1696. 8. in conspectum orbis curiosi prodiit. IO. FREDER. GRONOVIVS *Floram Virginicam, exhibentem plantas, quas* IO. CLAYTON *in Virginia obseruauit atque collegit*, Lugduni batau. 1739. 8. euulgauit. PROSPERI ALPINI *Liber de plantis Aegypti vero*, Venetiis aliquoties p) impressus, cum IO. VESLINGII additamentis & obseruationibus, plenissime Patauii 1639. 4. fuit excusus. A IO. denique BVRMANNO *Rariorum plantarum africanarum ad viuum delineatarum decades* X. Amstelodamensibus typis anno 1738. in 4. exscriptas accepimus, quibus IAC. BREYNII *Exoticarum plantarum Centuria*, Gedani 1678. fol. edita merito adhuc addenda est.

n) Itinerariis enim, non ex instituto, sed veluti obiter saltim de plantis referentibus, immorari mihi non licet: alioqui LEONH. RAVWOLFFII *Itinerarium*, Laugingae 1583. 4. impressum, TOVRNEFORTII gallice scriptum iter Orientale, *Voyage de Levant*, Paris. 1717. 4. excusum, & alia plura commemoranda mihi forent.

o) A Paris 1693. fol. & 1713. fol. quarum editionum posterior in SEGVIERII *Bibliotheca botanica* fuit omissa, p. 150.

p) Ex. gr. annis 1591. 1592. 1633. 4.

§. XV.

De Asiaticarum prouinciarum plantis etiam exstant diuersi scriptores speciales. Splendidus ille supraque modum pretiosus *Hortus indicus Malabaricus, continens regni malabarici omnis generis plantas* &c. *adornatus per* HENRICVM VAN RHEEDE & IO. CA-

SEARIVM, *cum notis & commentariis diuersorum*, duodecim constans q) partibus, quae omnes ac singulae Amstelodami fuerunt prelo typographico excusae, in folio, adeo rarus est, vt vix vnquam in bibliotheca r) aliqua priuata integer occurrat. De Sinensibus plantis, MICH. s) BOYM; de Persicis & Iapanensibus vero, ENGELBERTVS KAEMPFERVS, in memoratis iam supra t) *Amoenitatibus exoticis*, egerunt. De plantis insulae Ceylon tum PAVLLVS u) HERMANNVS, tum IO. w) BVRMANNVS sollicitos sese gessere. De plantis Amboinensibus GEORG. EVERH. RVMPHIVS condidit, belgica conscriptum lingua, *Herbarium Amboinense*, idque manu exaratum post se reliquit: quod opus diffusum, romana x) a sese ciuitate donatum, IO. BVRMANNVS euulgare coepit Amstelodami anno 1741. folio. Pari diligentia IO. CHRISTIANVS BVXBAVM deprehensas in Oriente plantas, praecipue eas, quae in tractu Constantinopolitano prouenire solent, in *Centuriis* suis *IV.* y) *plantarum minus cognitarum, complectentibus plantas, circa Bysantium & in oriente obseruatas*, nitidissime pariter ac scientissime descripsit.

q) Harum pars I. anno 1678 II. 1679. III. 1682. IV. 1683. V. 1685. VI. 1686. VII. & VIII. 1688. IX. 1689. X. & XI. 1690. & pars XII. eaque vltima anno 1703. Amstelodami in folii forma, characterum ope, fuerunt diuulgatae, annotationibus ARNOLD. SYEN, IO. COMMELINI, IO. MVNNICKS, THEOD. IANSONII AB ALMELOVEEN &c. stipatae ac illustratae.

r) In ipsa *Bibliotheca Riuiniana*, quae tamen botanicis scriptis longe alias bibliothecas superauit, quatuor tantum eius partes pag. 602. comparent. Eo magis mirandum, in *Bibliotheca Burckhardiana*, part. III pag. 127. integrum hocce opus exstitisse.

s) MICHAEL BOYM *Flora Sinensis, fructus floresque porrigens*, cum fig. Viennae 1656. fol.

t) Vid. tom. I. cap VI. sect. IV. §. 6.

u) PAVL. HERMANNI *Musaeum Zeylanicum, seu, Catalogus plantarum in Zeylana sponte nascentium, obseruatarum & descriptarum.* Lugdun. batau. 1717. 8.

w) IO. BVRMANNI *Thesaurus Zeylanicus, exhibens plantas in insula Zeylana nascentes, inter quas plurimae nouae species & genera inue-*

inueniuntur, omnia iconibus illustrata ac descripta. Amstelodami 1737. 4.

x) Titulus est: GEORG. EVERH. RVMPHII *Herbarium Amboinense, plurimas complectens arbores, frutices, herbas, plantas terrestres & aquaticas, quae in Amboina & adiacentibus insulis reperiuntur, accuratissime descriptas, iuxta earum formas, cum diuersis denominationibus, cultura, vsu ac virtutibus. Acc. varia insectorum animaliumque genera, cum naturalibus eorum figuris descripta. Omnia primum edita & latine versa a* IO. BVRMANNO. Amstelod. 1741. seqq. fol.

y) Harum centuria I. & II. anno 1728. III. anno 1729. & IV. denique anno 1733. in 4. Petropoli fuerunt excusae.

§. XVI.

Nec defuere, qui in Europaeo solo nascentes plantas, per diuersas eius terras, describerent. CAR. CLVSII *Rariorum aliquot stirpium per Hispanias obseruatarum historia, libris* II. *expressa*, Antwerpiae anno 1576. 8. impressa; & *Eiusdem Rariorum aliquot stirpium per Pannoniam, Austriam & vicinas quasdam prouincias obseruatarum historia, libris* IV. *expressa*, Antwerpiae 1583. 8. euulgata, insequuto tempore *Historiae* eius *plantarum rariorum*, quam §. 5. iam indicaui, vtraque tamen auctior, fuit inserta. IAC. BARRELIERI *Plantas per Galliam, Hispaniam & Italiam obseruatas, iconibus aeneis exhibitas*, ANTON. DE IVSSIEV, tanquam opus posthumum adoptans, Lutetiae Parisiorum 1714. fol. obstetricante prelo typographico, in lucem protrahendas curauit litterariam. PAVLL. BOCCONIS *Icones & descriptiones rariorum plantarum Siciliae* *) *Melitae, Galliae & Italiae*, cum praefatione ROBERT. MORISONI, Oxonii 1674. 4. excusae, postea italico sermone z), & quidem auctiores longe, sunt recusae. IO. RAII *Synopsis methodica stirpium britannicarum* optimam nacta est editionem eam, quae Londini anno 1724. 8. in lucem prodiit. De Belgicis plantis, IO. a) COMMELINVS, de Heluceticis, ALB. b) HALLERVS, de Alsaticis, MARCVS c) MAPPVS, & de Marchicis denique, SIGISM. d) ELSHOLZIVS, be-

ne mereri studuere. Prouenientes in silua Hercyniae plantas enumerauit IO. e) THALIVS; quum e contrario CASP. f) SCHWENCKFELDIVS circa Silesiacas, IO. g) GOTTSCHEDIVS circa Prussicas, SIMON PAVLLI h). circa Danicas, CAROL. i) LINNAEVS circa Lapponicas, alii tandem circa aliarum terrarum plantas fuerint occupati.

*) Num *Historia naturalis plantarum Siciliae*, quam manu scriptam post se reliquit FRANC. CVPANVS, typis fuerit postea expressa ? de eo certi mihi hactenus innotuit nihil. Inuenio equidem scriptum in MONGITORIS *Bibliothecae Siculae Append.* pag. 101. in eo fuisse, vt opus isthoc anno 1714. typographeio Panormitano imprimendum traderetur; hoc autem consilium hactenus nondum, nescio qua de caussa, fuisse operi ipsi datum ac perfectum, veri mihi videtur simile.

z) *Museo di plante rare della Sicilia, Malta, Corsica, Italia, Piemonte e Germania, di* PAVL BOCCONE. Venet. 1697. 4.

a) IO. COMMELINI *Catalogus plantarum indigenarum Hollandiae.* Amstelodami anno 1683. & 1685 12. vt & Lugd. bat. 1709. in 12.

b) ALBERTI HALLERI *Enumeratio methodica stirpium Heluetiae indigenarum, qua omnium breuis descriptio & synonymia, compendium virium medicarum, dubiarum declaratio, nouarum & rariorum vberior historia & icones continentur.* Goettingae 1742. fol.

c) MARCI MAPPI *Historia plantarum Alsaticarum posthuma, opera & studio* IO. CHRISTIANI EHRMANNI. Argentorat. 1742. 4.

d) IO. SIGISM ELSHOLTZII *Flora Marchica, seu, Catalogus plantarum, quae partim in hortis electoralibus Marchiae Brandenburgicae primariis excoluntur, partim sua sponte proueniunt,* Berolin. 1663. 8.

e) IO. THALII *Sylua Hercynia, seu, Catalogus plantarum sponte nascentium in montibus & locis plerisque Hercyniae syluae, quae respicit Saxoniam* Francofurt. 1588. 4. & Northusae 1674. 4.

f) CASP SCHWENCKFELT *Stirpium & fossilium Silesiae catalogus, in quo praeter etymon, natales, tempus, natura & vires cum variis experimentis assignantur.* Lipsiae 1601. 4.

g) IO. GOTTSCHED *Flora Prussica, seu plantae in regno Prussiae sponte nascentes, quarum catalogum & nomina* IO. LOESELIVS *olim disseruit, nunc nouiter efflorescentes.* Regiomont. 1703. 4. Cui GEORG. ANDR. HELWINGII *Flora Prussica quasimodogenita,* Dantisci 1712. 4. cum lectu digna IO. PHIL. BREYNII praefatione, impressa, sociari meretur.

h) SIMON. PAVLLI *Flora Danica.* Hafniae anno 1648. 4.

i) CAR. LINNAEI *Flora Lapponica, exhibens plantas per Lapponiam crescentes, secundum systema sexuale collectas.* Amstelod. 1737. 8.

§. XVII.

§. XVII.

Ex illis, qui plantas circa hanc illamue vrbem progigni solitas delineauerunt, memoria fortassis digniores fuerint, qui sequuntur. Plantas, in circuitu Olisiponis progerminantes GABRIEL k) GRISLEVS; prope Lutetiam Parisiorum enascentes SEB. l) VAILLANT, ad Montempessulanum luxuriantes, PETR. m) MAGNOLIVS, Aquis Sextiis prouenientes, PETRVS n) GARIDEL, in tractu denique vrbis Romae subnascentes IAC. o) ROGERVS, enarrauere. In solo Cantabrigiensi crescentes plantas IO. p) RAIVS & IO. MARTYN q) peculiariter considerauerunt. Plantae Basileenses a CASP. r) BAVHINO; Brunsuicenses a IO. s) CHEMNITIO; Einbeccenses ab HENR. IVL. t) MEYENBERGIO; Vlmenses a IO. DIETERICO u) LEOPOLDO; Tubingenses a IO. GEORG. w) DVVERNOY; Norimbergenses a IO. GEORG. x) VOLCKAMERO; Altorfinae a LVDOV. y) IVNGERMANNO, & MAVRITIO z) HOFFMANNO; Giessenses a IO. IAC. a) DILLENIO; Lipsienses a PAVLLO b) AMMANNO; Halenses a IO. CHRISTIAN. c) BVXBAVMIO; Ienenses ab HENR. BERNH. d) RVPPIO; & Laubanenses a IO. CASP. e) GEMEINHARDT, fuerunt descriptae. Pariter & NICOL. f) OELHAFIVS de prodeuntibus circa vrbem Dantiscum, & OLAVS g) BROMELIVS de oriundis circa Gothoburgum herbis peculiares consignauerunt enarrationes.

k) GABR. GRISLEI *Viridarium Lusitanicum, in quo arbores, frutices, & herbae, quas ager Vlyssiponensis vltra citraque tagum fert, enumerantur.* Vlyssip. 1661. 12.

l) SEBAST. VAILLANT *Botanicon Parisiense, ou, denombrement par ordre alphabetique des plantes, qui se trouuent aux enuirons de Paris, auec plusieurs descriptions des plantes, & vne critique des auteurs de botanique* &c. *Publié par Monsr.* BOERHAAVE, a Leiden & Amsterdam 1727. fol. In praefatione praemissa HERM. BOERHAAVIVS de vita ac scriptis SEB. VAILLANTII ex instituto & plene egit.

m) PETRI MAGNOLII *Botanicum Monspeliense, siue, plantarum circa Monspelium nascentium index, in quo plantarum nomina, loca natalia, & praecipuae facultates traduntur*, Monspelii 1686. 8.

n) *Histoire des plantes, qui naissent aux enuirons d'Aix, & dans plusieurs autres endroits de la Prouence, par Monsr.* GARIDEL. A Aix 1715. fol. & auctior ibidem 1719. eadem forma. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 598. In *Seguieriana* enim *Bibliotheca botanica* pag 71. nulla posterioris huius editionis facta est mentio.

o) IAC. ROGERI *Catalogus herbarum in agro romano nascentium.* Romae 1677. fol. Venet. 1704. 4.

p) IO. RAII *Catalogus plantarum circa Cantabrigiam nascentium.* Cantabrig. 1660. 8

q) IO. MARTYN *Methodus plantarum circa Cantabrigiam nascentium.* Londini anno 1727 12.

r) CASP. BAVHINI *Catalogus plantarum circa Basileam sponte nascentium, cum earundem synonymis & locis, in quibus reperiuntur.* Basileae 1622. 12. 1671. 8. & 1696. 4. curante EMAN. KOENIG.

s) IO. CHEMNITII *Index plantarum circa Brunswigam trium fere milliarium circuitu nascentium.* Brunswigae 1652. 4.

t) HENR. IVL. MEYENBERG *Flora Einbeccensis, seu, enumeratio plantarum circa Einbeccam ad duo milliaria sponte nascentium.* Goettingae 1712. 8.

u) IO. DIET. LEOPOLDI *Deliciae syluestres florae Vlmensis, oder, Verzeichniß der Gewächse, welche vm die Stadt Vlm vngepflanzt zu wachsen pflegen.* Vlmae 1728. 8.

w) IO. GEORG DVVERNOY *Designatio plantarum circa tubingensem arcem florentium, cum sede seu loco earum natali. charactere generico & indiuiduali, & virtutibus medicis probatissimis.* Tubingae 1722. 8.

x) IO. GEORG. VOLCKAMERI *Flora Norimbergensis, seu, catalogus plantarum in agro noribergensi tam sponte nascentium, quam exoticarum &c.* Norimbergae 1700. 4.

y) LVDOV. IVNGERMANNI *Catalogus plantarum quae circa Altorfium noricum, & vicinis quibusdam locis nascuntur.* Altorf. 1615. 4.

z) MAVR. HOFFMANNI *Florae Altorfinae deliciae syluestres.* Altorf. 1662. 4.

a) IO. IAC. DILLENII *Catalogus plantarum sponte circa Giessam nascentium.* Francofurti 1719. 8.

b) PAVLI AMMANNI *Supellex botanica, hoc est, enumeratio plantarum, quae in horto medico academiae Lipsiensis, nec non in aliis circa vrbem viridariis, pratis ac syluis &c. progerminare solent.* Lipsiae 1675. 8.

c) IO. CHRISTIAN. BVXBAVM *Enumeratio plantarum accuratior, in agro Halensi locisque vicinis crescentium.* Halae Magdeburg. 1721. 8.

d) HENR.

d) HENR. BERNH. RVPPII *Flora Ienensis, seu, enumeratio plantarum tam sponte circa Ienam & in locis vicinis nascentium, quam in hortis obuiarum* &c. Francof. & Lips. 1718. 8. 1726. 1728. 8. & Ienae 1745. 8. quarum editionum postrema ALB. HALLERI praefatione variisque additamentis aucta est.

e) IO. CASP. GEMEINHARDT *Catalogus plantarum circa Laubam nascentium, tam indigenarum, quam exoticarum, culturae mangonio ibidem prognatarum.* Laubae 1724. 8.

f) NIC. OELHAFII *Elenchus plantarum circa Damiscum sua sponte nascentium, demto recensitus ac locupletatus a* LAVR. EICHSTADIO. Gedani 1656. 8.

g) OLAI BROMELII *Chloris Gothica, seu, catalogus stirpium circa Gothoburgum nascentium* Holmiae 1694. 8. non autem in 4. vt in SEGVIERII *Bibliothec. botanic.* pag. 23. erronee scribitur.

§. XVIII.

Quod si iam illorum etiam memoriam recolere hic vellem, qui hortos, quos vocant, medicos h), in tot vrbibus consitos, peculiaribus catalogis, seu recensionibus, descripserunt; aut, qui de certo i) quopiam genere herbarum, fruticum & arborum singulares libros ediderunt; aut omnino de vnico quodam vegetabili k) in indiuiduo, quod dicitur, proprie dicatis eidem tractatibus l) egerunt: sane, vel sola nomenclatura eiusmodi scriptorum supra modum ingens negotium mihi esset facessitura. Quum vero, diutius eiusmodi recensionibus immorari, consultum mihi minime videatur; lectorem sciendi talia cupidum, ad FRANC. SEGVIERII *Bibliothecam botanicam*, hactenus remitto.

h) Indicem talium hortorum descriptorum dedit *Seguieriana Bibliotheca botanica* p. 428. seq.

i) Ita, exempli ergo, IO. SCHEVCHZERVS *Agrostographiam, seu graminum, iuncorum, cyperorum & cyperoidum historiam* edidit Tiguri 1719. 4. IO. CONR. AXTIVS *de Arboribus coniferis*, Ienae 1679. 12. ROBERTVS MORISON *de plantis vmbelliferis*, Oxon. 1672. fol. scripserunt. FRANC. VAN STERBEECK *Theatrum fungorum*, lingua bataua conscriptum, emisit, Antwerpiae aliquoties, & recentissime quidem anno 1712. in 4. excusum. Similiter & RICARDVS BRADLEY *Historiam plantarum succulentarum, complectentem Aloen, Ficoiden, Cereum, Melocardum,*

cardum, aliasque eius generis plantas, quae in horto sicco coli non possunt, aliquot decadibus, quae Londini ab anno 1716. vsque ad annum 1727. in 4. singulae prelis prodiere, constantem, haud ita pridem euulgauit. Quod si tabulis nouorum litterariorum publicis fides habenda est, sperare possumus, fore, vt propediem IO. IAC. DILLENII *Historiam muscorum generibus* XX. *absolutam,* in conspectum litterati orbis, typorum ope, expositam videamus. Vid. Nou. litterar. anni 1741. p. 41. seq.

k) Hoc inprimis argumentum occupatos tenuit quosdam Academiae naturae curiosorum collegas. Sic e. c. IO. MICH. FEHR de Absinthio Lipsiae 1668. 8. GEORG. CHRISTOPH. PETRI de Carduo benedicto, Ienae 1669. 8. IO. FERD. HERTODT de Croco, Ienae 1671. 8. BENI. SCHARFIVS de Iunipero, Francof. & Lipsiae 1679. 8. EHRENFR. HAGENDORN de Cynosbato, Ien. 1681. 8. IO. FRANCVS de Veronica, Vlmae 1690. 8. CHRIST. FRANC. PAVLLINI de Saluia, August. Vindel. 1688. 8. aliique de aliis plantis atque herbis, peculiares plane diatribas emiserunt.

l) De Dissertationibus enim sermo heic loci non est. Forsitan etiam difficile admodum, ne, plane fieri id non posse, dicam, foret, in tam inusitata eiusmodi scriptorum multitudine, vel solas eorundem inscriptiones designare velle.

CAP. VI.

DE SCRIPTORIBVS THERAPEVTICIS.

§. I.

Scriptores ad praesens caput spectantes quum vnius haud sint generis; dispescam ergo, vt ordine progredi possim, illos ipsos in quatuor diuersas classes: ita, vt sectione *prima* enarraturus sim scriptores methodi medendi; *secunda*, practicos generales; *tertia*, practicos speciales; *quarta* denique, scriptores de officio medici clinici & forensis; idque fiet serie chronologica seruata, quantaque fieri poterit breuitate. Iudicia doctorum passim interspergentur; & selectus rerum nimium quantum necessarius hic quoque accurate obseruabitur.

§. II.

§. II.

Quum porro practicorum generalium praecipui atque potissimi iam prioris tomi secundo & quinto capitibus in medium fuerint producti; de practicis vero specialibus, capite tertio posterioris huius tomi, non pauca obuenerint: praesenti in loco illorum tantum iniecturus sum mentionem, de quibus superius dicendi commoda se mihi nondum obtulit occasio. Ceterum quantum ad autores iam recensitos attinet, remittam lectorem ad sedes illas proprias, vbi de iisdem actum fuit.

CAP. VI. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS METHODI MEDENDI.

CONTENTA:

De Galeni methodo, eiusque commentatoribus §. *1.* *Scriptores de methodo medendi saeculi XVI.* §. 2 - 4. *saeculi XVII.* §. *5. 6.* *Scriptores eiusdem argumenti recentissimi* §. 7.

§. I.

Quod si iam eorum, qui de methodo medendi in genere scripserunt, compendiosa a me institui debeat enarratio; vix erit, cur veteres medici, horumque, quae supersunt, scripta diutius me morentur. Sufficiet, vnius CLAVD. GALENI, vtut ille in tractando hoc argumento longe extra oleas a) vagatus sit, mentionem hic b) fecisse. Idque merito. *Libri* enim *eius XIV. de methodo medendi*, a sollertissimo c) interprete, THOM. LINACRO, optime latinitate donati, nec non crebrius d) separatim impressi, & ex emendatione AVGVST. GADALDINI seorsim quoque Lugduni 1547. 16. editi, e tota antiquitate non solum

folum pro vnico in hoc genere fuperftite monumento habentur; fed etiam, non obftantibus eorum naeuis atque erratis, eiusmodi e) funt, vt iure praeftantisfimis GALENI libris adnumerari mereantur. Vnde & a diuerfis f), & inter hos praecipue a FABIO PACIO, ipfius tantiuis pretii aeftimatis g), raris vero, commentariis h) ornati funt atque illuftrati.

a) Neque enim in methodo medendi generali, de qua hoc loco fermo eft, fubftitit; fed in multa fefe diffudit particularia, dum ex. gr. Lib. III. & IV. de vlceribus; Lib. V. de haemorrhagiis; Lib. VI. de vulneribus; Libris VIII. IX. X. XI. de febribus, & Lib. XIII. & XIV. de tumoribus egit. Hinc recte CONRINGIUS *in introduct. in art. medic.* Cap VII. §. 1. fcribere potuit: Methodum medendi generalem omnium primus peculiari opere complexus eft GALENVS. Quamuis enim non nulla more fuo nimis diffufe tractauerit, multa etiam particularia admifcuerit; meretur tamen ab omnibus attente legi.

b) Ad 10. ACTVARII *Libros VI. de methodo medendi*, quorum quippe iam tom. I. cap. II. fect. I. §. 18. memini, ftudio hic haerere nolui.

c) Vid. GESNERI *Bibliothec. vniuerfal.* p. 617. vbi ifta leguntur: THOM. LINACER, natione Anglus, medicinae Profeffor, vir vtraque lingua doctisfimus, & politisfimi ftili, magnam fcriptis fuis laudem & gratiam apud eruditos meruit: fic, vt grammaticus optimus & praeftantisfimus GALENI interpretum habeatur. Quam honorifice IO. FREINDIVS de ipfo pariter ac de meritis eius indicauerit, ex hiftoria eius Medicinae, & quidem circa finem illius part. III. p. 298--323. abunde patet. Nec minus BLOVNTIVS quoque in *Cenfuris celebriorum autorum* p. 534. feq. varia elogia, quibus eundem viri eruditi ornatum voluerunt, collegit, quibus multa alia posfent addi.

d) CLAVD. GALENI *Lib. XIV. de methodo medendi*, THOMA LINACRO *interprete*. Parif. 1530. fol. Vid. *Bibliothec. Riuin.* p. 423. & ibidem 1538. in 8. ex recognitione MART. GREGORII, cum indice copiofisfimo. Vid. GESNERI *Bibliothec. vniuerfal* p. 618.

e) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. introduct* cap. VII. §. 1. vbi ingenue, fine partium ftudio, hos libros cenfet, defendens vna eosdem contra male fundatas IO. BAPT. HELMONTII criminationes. Quod fi de cetero taedio alicui fuerit nimis diffufa in hoc opere Galenico tractandi ratio, is commendatam fibi habeat ANDR. A LACVNA, cuius iam fupra mentionem feci, epitomen eorundem, vel, fi mauult, legat CLAVD. GALENI *de methodo medendi, libros XIV. in compendium redactos, cura* OLIVERII POPARDI, Rupellae 1581. 12. editos.

f) Huc e. g. spectant LVDOV. LEMOSII *Commentaria in libros Galeni XII. de methodo medendi*, Salmanticae 1582. fol. impressa; IO. CRATONIS *in* CLAVD. GALENI *libros de methodo medendi Perioche methodica*, Basileae 1563. 8. MELCHIOR. SEBIZII *Methodus medendi* GALENI *XV. Disputationibus resoluta, & in Argentoratensium academia proposita, cum praefatione, quae in eandem methodum προλεγομένων loco esse potest*, Argentorat 1639. 4. & CASP. HOFMANNI opus posthumum, curante SEBAST. SCHEFFERO, titulum gerens: CASP. HOFMANNI *Praxis medica curiosa, hoc est*, GALENI *methodi medendi libri XIV. noua versione & commentariis perpetuis illustrati*, Moeno-Francofurti 1680. 4. luci expositum litterariae; cui adnexa simul inuenitur CASP. HOFMANNI *noua versio cum commentariis librorum IV.* GALENI *de sanitate tuenda*: quod opus posterius in LINDENIO *renouato* p. 159. omissum atque praeteritum; in BAIERI e contrario *Biographiis Medicorum Altorfinorum* p. 56. seq. debito modo indicatum fuit.

g) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 1. In GALENI opus de methodo medendi superiori seculo doctissima commentaria FABIVS PACIVS scripsit, rariora tamen inuentu.

h) Pertingunt autem hi commentarii saltem ad septem anteriores libros GALENI; quorum editionem iam tom. I. cap. II. sect. I. §. 11. me describere, memini.

§. II.

Voluente saeculo XVI. scripta de methodo medendi generali in consuetudinem veluti abibant sensim. Vbi, ex Hispanis quidem, FRANC. VALLESIO & LVDOV. MERCATO; e Gallis autem i), IO. FERNELIO; ex Anglis denique, IO. CAIO, prae reliquis locum aliquem adsignare me, oportet. FRANC. VALLESII *Methodus medendi*, prelis frequentioribus k) seorsim expressa, nec non *Commentariis* eius *illustribus in libros aliquot* GALENI, Coloniae 1594. f. excusis, adnexa, CONRINGIO l) magnae habetur autoritatis liber. A LVDOV. MERCATO non *Methodum* solum *medendi*, Pintiae 1572. 8. typis exscriptam, verum *Tractatum* etiam *de recto praesidiorum artis medicae vsu, seu, de communi & peculiari praesidiorum artis medicae indicatione*, Coloniae 1588. 8. impressum, accepimus: qui posterior liber a VOPISCO quidem

FOR-

FORTVNATO PLEMPIO m) omnibus reliquis MERCATI ſcriptis antelatus; a IOANNE autem ANTONIDE VAN DER LINDEN n) cunctis praxin auſpicantibus, ceu optimae notae liber, commendatus fuit. IO. FERNELII *Therapeutices vniuerſalis*, *ſeu*, *medendi rationis libros VII.* cum ſeparatim impreſſos o), tum reliquis etiam autoris operibus iunctim editis inſertos, vnanimi omnes eruditi plauſu p) exceperunt. IO. CAII *De medendi methodo libri duo*, Baſileae 1544. in 8. impreſſi, ad normam dogmatum CLAVD. GALENI & IO. BAPT. MONTANI, vel titulo q) teſte, toti ſunt adornati.

i) Quoniam praecipuorum ſaltim ſcriptorum mentionem facere hic inſtitui; ideo AVGER. FERRERII *Veram medendi methodum duobus libris comprehenſam*, quae Toloſae 1557. 8. & Lugduni 1574. 8. excuſa fuit; porro FRANC. BOVSSVETI *Libros XII. de arte medendi*, Lugd. 1557. 8. impreſſos; IOANNIS denique BOCAVDII *Tabulas curationum & indicationum ex prolixa* GALENI *methodo in ſumma rerum capita contractas*, Lugdun. 1554. folio excriptas typis, praetereaque alias etiam non nullas commentationes, data opera praeterii.

k) Ex. gr. Venetiis 1589. 8. Matriti 1614. 8. Louanii 1647. 8. Pariſ. 1651. 12.

l) In *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 2. Ex recentioribus magnam operam in vniuerſali hac methodo exponenda collocarunt FRANC. VALLESIVS & LVDOV. MERCATVS, vterque Hiſpanus, ita tamen, vt VALLESIO prima laus debeatur.

m) Verba eius allegata iam inueniri poſſunt tom. I. cap. V. §. 9.

n) In *Manuductione ad medicinam* pag. 95. vbi ſequenti modo ſcribit: maximopere commendo libellos MERCATI de recto praeſidiorum medicorum vſu, & CLAVDINI de ingreſſu ad infirmos. Libellos dico aureos, & factiuae medicinae ſeſe accingentibus diu multumque verſandos.

o) Lugduni 1569. 8. Francof. 1581. & 1593. 8.

p) Vid. Tom. I. cap. V. §. 10.

q) Inſcribuntur enim ibi: *Libri duo ex* CLAVD. GALENI & IO. BAPT. MONTANI, *principum medicorum, ſententia.*

§. III.

Italos inter medicos, decimo ſexto hoc ſaeculo florentes, diuerſi r) fuerunt inuenti, qui hoc in argu-

gumento inclarescere studuerunt. IO. BAPT. MONTANI *Explanationes in libros* GALENI *de arte curandi ad* GLAVCONEM, Venetiis 1554. 8. impressae, commode locum hic suum tuebuntur. De HIER. CAPIVACCII *Methodo, seu, arte curatiua*, Moeno-Francofurti anno 1594. in 8. seorsim excusa, superius iam varia eruditorum iudicia in medium me attulisse s), recordor. MICH. GAVASSETII *Libro duo, alter de rebus praeter naturam, alter de indicationibus curatiuis, seu, de methodo medendi*, Venetiis 1586. 4. typis exscripti, CONRINGIO t) melioris habentur notae; qui tamen ipse IO. PAVL. PERNVMIAE *Nouam ac plane singularem omnibus totius corporis humani affectibus praeter naturam medendi* u) *rationem*, quibusuis reliquis huius indolis libris, quin immo vel ipsi *Galenico* operi, praeponere w) nullus omnino dubitauit. Denique, *Methodi* etiam *medicinales duae, in quibus legitima medendi ratio traditur, propositae in academia Patauina a viris nobilissimis*, ALBERTO BOTTONO, & AEMILIO CAMPOLONGO, *opera* LAZ. SVSENBETI *in lucem editae*, Francofurt. 1595. in 8. typis excusae, haud inutiliter legi poterunt,

r) Circa PAMPHILI MONTII *Methodum medendi*, Venetiis 1545. 8. & ALPHONSI BERTOCII *Methodum curatiuam generalem & compendiariam, ex* HIPPOCRATIS, GALENI, AVICENNAE & MONTANI *placitis, in medicinae studiosorum gratiam conscriptam*, Lugduni 1588. 8. impressam, aliosque non nullos huius generis ac gentis libros, moras nectere, consultum mihi haud fuit visum.

s) Vid. tom. I. cap. V. §. 15.

t) In *introduct. in art. medic.* Cap. VII. §. 2. Laudandus quoque venit MICH. GAVASSETIVS, cuius methodus etiam praeclara est, minus tamen artificiosa.

u) Venet. 1564. & 1574. 4. nec non Francofurti 1596. 8. quarum editionum vltima a LAVRENT. SCHOLZIO fuit curata.

w) *Introduct. in art. medic.* c. l. vbi scribit: Longe artificiosissime vniuersalem hanc medendi rationem explicauit IO. PAVLVS PERNVMIA, adeo, vt ipsi GALENO palmam fere eripuerit. Opus certe eius eximium est, ac vere aureum, nisi quod non nulla adhuc in eo possint desiderari, quae si quis adiiceret, vix illi par hac in re inueniretur.

§. IV.

E numero medicorum, quos dictum modo saeculum sextum a decimo tulit, germanorum, LEONH. FVCHSIVS, IO. CRATO, NIC. BIESIVS, GODOFR. STEEGHIVS, & IO. HEVRNIVS, prae ceteris x) in censum hic venire poterunt. LEONH. FVCHSII *Methodus medendi*, Lutetiae Parisiorum anno 1539. 8. excusa, nec minus Basileae atque Lugduni recusa, optima atque plenissima y) forma Lutetiae 1550. 8. fuit in lucem prolata. IO. CRATONIS *Methodus therapeutica ex sententia* GALENI & IO. BAPT. MONTANI, multoties z) prelis supposita, breuiter & solide est conscripta, & aeque, ac reliqua summi huius viri opera, plurimorum suffragia sibi acquisiuit. NICOL. BIESII *Liber vnus de methodo medendi*, Antwerpiae 1564. in 8. impressus, & GODOFR. STEEGHII *Ars medica tota, conscripta methodo diuisiua, a* GALENO *diuersis locis proposita, commendata & exemplis illustrata, a recentioribus quibusdam inchoata, sed a nemine hactenus absoluta* Francofurti 1606 fol. preli ope in lucem edita publicam, eius sunt indolis, vt autores varias nouationes a) ibi exposuerint; quum e contrario IO. b) HEVRNII *Methodus medendi generalis* ad normam & principia Galenica mere sit composita.

x) Nisi breuitati studere mihi proposuissem, CORN. A BAERSDORP *Methodum vniuersae artis medicae*, Burgis 1583. fol. typis exscriptam, adhuc adducturus fuissem. ANDR. vero PLANERI *Liber primus de methodo medendi*, Basileae 1583. 8. impressus, & liber secundus, ibidem eademque forma anno 1585. excusus, ideo omissus est, quia in eo paucula tantum quaedam capita artis paruae GALENI inueniuntur illustrata.

y) Vid. LINDENIVM renouat. pag. 742.

z) Ex. gr. Basileae 1555. 1558. 1563. 8. Francof. 1608. & 1621. 8.

a) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 2. Reperitur quoque inter germanos NICOL. BIESIVS, & GODOFR. STEEGHIVS, quorum vterque nouam & artificiosam methodum, sed paulo aliter quam a GALENO factum, tradere ausus, laudem tamen commeruit.

b) Ti-

b) Titulus huius libri hic est: IO. HEVRNII *Praxis medicinae noua ratio, qua libris tribus methodi ad praxin medicam aditus facillimus aperitur ad omnes morbos curandos.* Prodiit tractatus isthic, & quidem separatim, Lugduni batau. 1587. 1590. 4. 1599. 8. optime vero Roterodami anno 1650. 8. in conspectum orbis litterati, inferendus postea operibus eius omnibus tom. I. cap. V. §. 19. recensitis.

c) Vid. SCHELHAMMERI *Additamenta ad Conringii introduct.* cap. VII. §. 2. HEVRNII liber breuiter, eleganter tamen, conscriptus est, etsi GALENVM, per quem profecit, & a quo omnem hanc libri sui rationem mutuatus est, vix nominare dignetur.

§. V.

Seculo post decimum septimo inter medicos nationum extranearum oppido pauci sunt inuenti, qui de methodo medendi generali peculiaribus scriptis tradenda sollicitos se ostenderint: minime tamen committendum est mihi, vt, e Gallis quidem, IO. SCHYRONIVM, ex Italis porro DAN. CARMENIVM, praecipue vero IVL. CAES. CLAVDINVM, obliuiscar. IO. SCHYRONII *Methodi medendi, seu, institutionis medicinae faciendae, vna cum tractatu de curatione febrium putridarum, libri quatuor* Geneuae 1608. 12. obstetricante prelo lucem adspexere litterarum. A DAN. CARMENIO *Libros sex de methodo medendi,* Bononiae 1636. fol. impressos respublica medica accepit. IVL. CAES. CLAVDINI *Libri duo de ingressu ad infirmos, in quibus medici omne ex tempore medicinam facturi munus, siue per se curet, siue cum aliis de curando consultet, accuratissime delineatum continetur,* Bononiae anno 1612. 4. excusi, aliis d) deinde locis recusi, & Francofurti denique anno 1677. e) in 8. denuo impressi, ob sui praestantiam, tantam vbique apud eruditos iniuerunt gratiam, vt VOPISC. FORTVN. PLEMPIVS & IOANNES ANTONIDES VAN DER LINDEN vix verborum satis inuenire potuerint, quibus eosdem rite laudarent. f)

d) V. c. Basil. 1616. 8. & 1641. 8. Venet. 1628. 4. an. 1647. & 1663. 4.

e) Non autem anno 1675. qui error chronologicus in LINDENIO renouato pag. 720. erratur.

f) Conferatur §. proxime antecedens 2.

§. VI.

Nostrae, germanicae videlicet, gentis medici, intra hocce temporum interuallum, longe plura huc spectantia exhibuere scripta. GREG. HORSTII, *senioris*, *Methodus medendi Ferneliana enucleata*, *&* *controuersiarum decisionibus illustrata*, Wittembergae anno 1630. in 8. prodibat. Quid noui hoc in argumento molitus fuerit IO. BAPT. VAN HELMONT, & quaenam in GALENI methodo medendi culpauerit g), opera ipsius, iam supra h) allegata, abunde passim locorum docebunt. De FRANCISCI DE LE BOE SYLVII *Idea praxeos medicae in tres libros diuisae*, Moeno-Francofurti anno 1671. in 12. impressa, & insequuto tempore vniuersis eius operibus i) sociata, non adeo honorifice pronunciauit G. C. SCHELHAMMERVS k); qui idem e contrario de IO. WALAEI *Methodo medendi breuissima*, *ad circulationem sanguinis adornata*, quae, vna cum notis & animaduersionibus GEORG. HIERON. WELSCHII, optime Augustae Vindelic. anno 1679. 12. typis expressa prodiit, lenius l) iudicium tulit. GVERNERI ROLFINCII *Ordo & methodus medicinae specialis commentatoriae ὡς ἐν γένει, ad normam veterum & nouorum dogmatum proposita*, Ienae 1665. 4. impressa, mera de medendi methodo generalia tradit, etiamsi, ex titulo si iudicare volueris libri argumentum, longe alia hic quaesiueris; qui vero titulus in praefatione praemissa sufficienter declaratur. Par consilium atque institutum fuit FRID. HOFFMANNI, senioris, scribentis *Opus de methodo medendi, iuxta seriem Wallaeianam, annexis fundamentis astrologicis, ex veterum ac recentiorum scriptis concinnatum*, Lipsiae 1668. 4. editum. Haud secius IO. IAC. SCHARANDAEI *Modus & ratio visendi aegros*, Solodori 1670. 12. excusa, locum hic aliquem sibi vindicare poterit; licet non diffitendum sit, autorem paradoxa m) non nulla intermiscuisse. De FRIDERICI ea contra DECKERI *Exercitationibus me-*

medico-practicis circa medendi methodum, quae Lugduni Bat. anno 1673. 8. primum in lucem prolatae publicam fuere, hoc vnum saltem, quod adnotem, habeo, vtilissimum hunc ipsum librum, in eadem vrbe bataua anno 1694. 4. & quidem multis ditatum augmentis n), denuo prela reliquisse.

g) In primis in tractatu quem inscripsit: *Natura contrariorum nescia.*

h) Vid. tom. I. cap. III. sect. I. §. 6.

i) Vid. tom. I. cap. III. sect. I. §. 7.

k) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. II. §. 25. Sed & aliud, inquit, haud aeque ab omnibus forte animaduersum doctrinae *Syluianae* vitium subest, saltim exemplo nocentissimum. Nam spretis apodicticis argumentis, de quibus desperabat, probabiles sententias & ex ingenio fictas pro veris obtrudere, & super easdem methodum medendi ipsam construere primus, ni fallor, est ausus, ideoque a iuuantibus & nocentibus magnam indicationum partem arcessere opus habuit, cum de pathologia, in qua tamen alias satis egregium se nonnunquam gessit, non satis constaret.

l) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. VII. §. 16. Multum, scribit, debemus GEORG. HIERON. WELSCHIO, quod WALAEI librum notis & animaduersionibus exornare dignatus sit, sine quibus legi non debebat. Licet enim ad *Galenicae* methodi excellentiam neutiquam accedat, legi tamen omnino meretur & expendi isthaec *Walaeana* methodus.

m) V. e. quando morbos a fascino dari negauit; quando porro de remediis chemicis capite V. adeo contemtim iudicauit, vt ea, aeque ac GVIDO PATINVS, tantum non omnino improbaret.

n) Vid. *Bibliothecam Riuinian.* pag. 460. vbi leges: Editio secunda, priori duplo auctior.

§. VII.

Recentissimis tandem temporibus oppido pauci sunt inuenti, qui, peculiaribus o) libris conscriptis, de methodo medendi generali se sollicitos demonstrarent. Nequaquam tamen silendi plane hoc loco videntur GEORG. ERN. STAHLIVS & IO. ASTRVCIVS. Horum prior GEDEONIS HARVEI *Artem curandi morbos exspectatione, seu, Tractatum* p) *de vanitatibus, dolis & mendaciis medicorum*, Amstelodami 1699. in 12. impressum, commentario ornare est dignatus, qui hac insignitus rubrica: GEORG. ERN. STAHLII

Ars sanandi cum exspectatione, opposita arti curandi nuda exspectatione, satyra Harueana castigatae. Cupidis prudenti vsui. Stupidis rudenti lusui. Offenbaci ad Moenum anno 1730. 8. luci expositus est litterariae. Quanquam *Stablianus* iste in satiram *Harueanam* commentarius, praeter descriptam modo rubricam, isthoc quoque peculiari instructus sit titulo: G. E. STAHLII *Ars sanandi exspectatione, vbi firmitas, fides, & veritas proborum & peritorum medicorum ostenditur.* Digni sane libelli isti sunt matura & consideratione & diiudicatione. IO. ASTRVCII *Tractatus therapeuticus*, Geneuae anno 1743. in 8. excusus, in quo de methodo medendi, &, de formulis praescribendis agitur, inscio autore videtur fuisse euulgatus.

o) De iis enim, qui in operibus suis medicis, iunctim editis, obiter tantum methodi medendi mentionem fecerunt, non magis hic mihi sermo instituitur, quam de illis, qui de eadem in institutionibus suis medicis praeceperunt. IOHANNIS tamen IVNCKERI *Conspectus therapiae generalis*, Halae 1725. in 4. emissus in lucem, in ordine eorum, qui peculiariter hoc argumentum tractauerunt, commode locum tueri suum poterit.

p) Recensetur opusculum isthoc, Londinensi primum prelo extrusum, in GEORG. PASCHII *Inuentis nou-antiquis.* paginis 391. sequ.

CAP. VI. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS PRAXIS MEDICAE GENERALIBVS.

CONTENTA:

De practicis generalibus latino-barbaris §. 2-4. *De scriptoribus eiusdem argumenti saeculi XVI.* §. 5-7. *Saeculi XVII.* §. 8. 9. *De practicis generalibus recentissimis.* §. 10-12.

§. I.

Quum sub introitum praesentis capitis iam docuerim, de praecipuis graecorum, latinorum arabum-

bumque medicis me tomi prioris capite secundo; de excipientibus autem atque sequentibus illos potissimis medicis capite quinto eiusdem tomi, ea, quae scitu maxime erant necessaria, dudum tradidisse: nihil nunc mihi supererit, nisi, vt, instituto veluti spicilegio, de practicis illis generalibus, quorum dicto capite quinto mentionem faciendi occasio se mihi obtulit nulla, ea, quae maxime profore iudicauero, lectori sciendi cupido, qua fieri poterit breuitate, impertiam.

§. II.

Fiat ergo initium a vocatis ita latino-barbaris, qui, vel commentariis in librum nonum RHAZIS *ad* ALMANSOREM conscriptis; vel propriis operibus practicis elucubratis; vel consiliis denique medicis concinnatis, inclarescere sunt conati. Horum tamen quum ingens sit numerus, ita me geram, vt eos saltem, qui sua aetate aliquod nomen habuerunt, in censum accersam, nec tamen circa hos ipsos quoque, quia nostro saeculo parui fiunt, moras nectam diuturniores. Prodeant igitur saltem & sedem hic aliquam occupent, e saeculo quidem quarto decimo a), GENTILIS DE FVLGINEO, NICOL. BERTRVTIVS, GVIL. VARIGNANA & VALESCVS DE TARANTA; e decimo autem quinto b) saeculo, IO. BAVERIVS, MARCVS GATINARIA, IO. MATTH. FERRARIVS, & IOANNES denique HERCVLANVS; prae reliquis c) quippe notandi.

a) Data opera adeo GILBERTI ANGLICI *Compendium medicinae tam morborum vniuersalium quam particularium*, quod Lugduni 1510. 4. impressum habetur; porro, IOAN. ANGLICI, seu, IOAN. DE GADESDEN, *Rosam Anglicam, seu, practicam medicinae a capite ad pedes*, Venetiis 1516. fol. excusam, vt & Augustae Vindelicorum 1595. in 4 recusam; ANTONII denique CERMISONI *Consilia medica contra omnes fere aegritudines*, Venetiis, 1497. 1503. & 1565. fol. typis euulgata, & praeterea alios diuersos, praeterire volui.

b) Studio factum, vt & hic omitterentur GALEATII DE S. SOPHIA *Opus medicinae practicae saluberrimum in nonum librum* RHASIS ad ALMANSOREM, Hagenoae 1533. fol. diuulgatum, SILLANI de NIGRIS *Copiosa expositio super nono* RHASIS libro Venetiis 1497. & 1518. fol. typis exscripta, GERHARDI DE SOLO *Commentum super nono* ALMANSORIS *libro* Venet. 1505. fol. IOAN. DE CONCOREGIO *Lucidarium & flos florum medicinae*, Venet. 1515. in fol. prelis expedita, &c.

c) Non omnino tamen silentio premendus videtur NICOL. NICOLVS, cuius merito inter scriptores systematum medicorum tom. I. cap. V, mentionem facere debuissem. Ab hoc enim, teste GESNERO in *Bibliotheca vniuersal.* pag. 520. Sermones medicinales octo sunt editi Venetiis 1491. & quidem quatuor spissis voluminibus, formae, quam folii vocare consueuimus, comprehensi. De his CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 28. sequens tulit iudicium: Decimi quinti seculi initia potissimum exornauit NICOL. NICOLVS, prolixissimus AVICENNAE commentator & scriptor doctus, quique totam artem medicam tribus (*quatuor* scribere debuisset CONRINGIVS) vastis voluminibus complexus fuit.

§. III.

GENTILIS DE FVLGINEO, *seu*, GENTILIS DE GENTILIBVS, qui *Expositionibus* d) suis in AVICENNAM editis magnam olim existimationem sibi acquisiuit, reliquit etiam *Consilia peregregia ad quaeuis morborum totius corporis genera*, quae, vna cum *Consiliis* ANT. CERMISONI aliisque non nullis opusculis, Venetiis 1497. & 1503. fol. impressa & iam supra e) allegata fuerunt. NIC. BERTRVTII *Collectorium artis medicae tam practicae quam speculatiuae*, quod, cura & opera IO. CAESARII, optime Coloniae 1537. in 4. editum habetur, sub initia adhuc saeculi XVI. autoritate f) valuit. GVIL. VARIGNANAE, quem CONRINGIVS g) virum magnae eruditionis appellauit, debemus non solum *Opera medica de curandis morbis vniuersalibus & particularibus*, Basileae 1545. 4. impressa; sed & recusa toties h), optima autem conditione a CASP. BAVHINO Basileae 1597. in 8. edita & procurata, *Secreta medicinae ad varios curandos morbos, verissimis autoritatibus illustrata.* Practicum

illud

illud opus VALESCI DE TARANTA, quod, inscriptum: *Philonium pharmaceuticum & chirurgicum de medendis omnibus, cum internis, tum externis, humani corporis affectibus*, crebro i) prela fatigauit, plenissime k) autem Lugduni anno 1490. 4. l) & 1500. 4. excusum fuit, barbariem quidem, ratione stili latini, sapit, ob res autem in eo contentas, CONRINGIO m) & IO. FREINDIO n) valde est laudatum.

d) Venet. 1492. fol. volum. IV.

e) Vid. tom. I. cap. VII. sect. II. §. 6.

f) Vid. IANI CORNARII Dedicatoriam, quam versioni AEGINETAE latinae praemisit.

g) In *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 27. vbi tamen fundamento caret, quod, Iudaeum illum fuisse, adseruit.

h) Ex. gr. Venetiis 1520. 8. Lugdun. 1526. 1533. 1539. 8.

i) Vid. LINDEN. RENOVAT. p. 1037. vbi editio Francofurtana anni 1680. 4. cum praefat. G. W. WEDELII, ceu postrema, fuit indicata.

k) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 6. De Philonio monendum est, editionem germanicam (sub cuius nomine Francofurtanam anno 1599. 4. impressam intelligit CONRINGIVS) castratam esse, antiquam autem, siue gallicam, raram tamen repertu, longe meliorem.

l) Non autem in folio, vt in LINDENIO *renouat.* per lapsum scribitur c. l. Vid. GESNERI *Bibliothec. vniuersal.* p. 622. vbi haec leguntur: VALESCI DE TARANTA Practica, vulgo dicta Philonium, prolixa & barbare scripta, non inutilis tamen. Impressa olim Lugduni 1490. 4. chartis 90. apud *Alemannum Trechsel.*

m) In *Introduct. in art medic.* cap. III. §. 28. VALESCVS DE TARANTA, auctor Philonii, docti & ad praxin valde vtilis scripti. Et cap. VII. §. 6. scribit: Post seculum a nato Servatore tertium decimum ad sextum decimum vsque, praeclari scriptores hoc in genere exstiterunt, quorum praecipui atque omnium optimi hi sunt. Et siquidem aetatem spectes, GENTILIS DE FVLGINEO primus est; at si doctrinam, praeferendus illi venit VALESCVS DE TARANTA, cuius doctum librum, titulo Philonii, iam supra commendauimus.

n) *Histoir. de la Medecine* Part. III. pag. 126. seq. VALESCVS DE TARANTA a presque été le seul, qui environ l'an 1400. ait fondé ce qu'il a écrit non seulement sur les livres, mais sur sa propre experience. Il n' entendoit nullement la langue gréque, & n'écrivoit pas fort bien dans la latine; Mais il avoit pratiqué peudant trente

six ans à Montpélier, il nous a laissé vn livre intitulé *Philonium*, rempli d'observations excellentes sur la pratique, tant de la medecine, que de la chirurgie.

§. IV.

IO. o) BAVERII DE BAVERIIS *Consilia XC. ad diuersas corporis aegritudines deseruientia*, vna cum aliorum p) medicorum scriptis, aliquoties publicata, postea separatim sub titulo: IO. BAVERII *Consiliorum de re medica, seu morborum curationibus liber, emendatus per* GVALT. HERM. RYFF, Argentorati anno 1543. 4. in lucem sunt exposita publicam, magnaque quondam eorum autor polluit q) autoritate. MARCI GATINARIAE *Expositio in nonum* RHAZIS *librum ad* ALMANSOREM, multis r) vicibus edita, & denique rubrica insignis isthac: MARCI GATINARIAE *De medendis humani corporis malis practica vberrima*, Francofurti 1604. 8. & Lugduni 1639. 8. recusa, teste IANO s) CORNARIO, optimis libris practicis, saeculo adhuc decimo sexto, fuit accensita t). IOAN. MATTHAEI FERRARII, *seu*, *de* GRADI, quem CONRINGIVS u) longe praeclarissimum medendi artificem nuncupauit, exstant non solum *Practicae pars prima & secunda, seu, Commentarius* w) *in nonum* RHAZIS *librum ad* ALMANSOREM; sed etiam *Consilia secundum vias* AVICENNAE *ordinata*, Venetiis 1514. in fol. & Lugduni 1535. eadem forma, typis expressa, quod opus vtrumque IO. x) RHODIO laudatum est. IO. HERCVLANI, *seu*, ARCVLANI, *Practica medica*, seu, *Commentarius in nonum librum* RHAZIS *ad* ALMANSOREM, aliquoties y) prelis subtratus, & vltima vice Venetiis 1560. fol. cum scholiis IO. MARINELLI diuulgatus, IOANNE ANTONIDE LINDENIO z) iudice, omnibus reliquis interpretibus, quicunque in dictum RHAZIS librum fuerunt commentati, est praeferendus.

o) Lapsus adeo est & error, quando in LINDENIO *renouato*. p. 121. & pag. 539. BAVERIVS DE BAVERIIS & IOAN. BAVERIVS pro duobus diuersis habentur autoribus.

p) Vid.

p) Vid. tom. I. cap VII. sect. II. §. 6. Edita autem haec consilia fuere a filiis BAVERII superstitibus patri defuncto, ANTONIO nempe & LVDOVICO, & impressa Bononiae 1489. fol. idque seorsim sine additis aliorum medicorum scriptis. Vid. SCHENCKII *Bibliotheca medica* pag. 286.

q) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 28. Circa sexagesimum & septuagesimum annum saeculi XV. in magna existimatione fuerunt ARCVLANVS & BAVERIVS DE BAVERIIS.

r) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 778. vbi decem editiones allegatae.

s) In Dedicatione versioni eius latinae AEGINETAE praemissa. Pariter & in CONR. GESNERI *Bibliotheca vniuersali* pag. 495 sequentia lego verba: M. ARC. GATINARIAE, medicinae professoris in Ticinensi academia celeberrimi, expositio in nonum RHAZAE ad ALMANSOREM de curandis morbis a capite ad pedes, dictione barbara conscripta, sed ipsa viri doctrina a multis probatur prae caeteris eiusdem farinae scriptoribus.

t) Mirandum itaque, CONRINGIVM in *Introductione* sua *in artem medicam* silentio plane praeteriisse hunc ipsum librum.

u) In *Introduct. in art. medic.* cap. III. §. 28.

w) Papiae 1497. fol. Lugdun. 1527. 4. Venet. 1520. & 1560. fol. vid. LINDEN. *renouat.* pag 637.

x) In *Bibliotheca* enim *medica* pag. 140. scribit: MATTH. DE GRADI Praxis e Graecis & Arabibus summo studio concinnata est. Et de consiliis scribit ibidem p. 142. in Diaeteticis accurata ea esse.

y) Ex. gr. Venet. 1497. 1504. 1542. 1557. fol. item Basileae anno 1540. fol.

z) In *Manuductione ad medicinam.* pag. 96. In nonum RHAZIS librum ad MANSOREM regem habemus ARCVLANI expositionem, prae ceteris illius aeui planam & plenam.

§. V.

Saeculo post decimum sexto, ex Hispanis quidem, MICH. IO. PASCHALIVS & PETR. PAVLL. PEREDA; e Gallis vero, IAC. HOLLERIVS, HIER. MONTVVS, & NIC. PISO in censum venire possunt. MICH. IO. PASCHALII *Praxis medica*, Valentiae 1555. 8. impressa, successu temporis, adiecto commentario a) PETR. PAVLL. PEREDAE, longe vtilior b) vsuique accommodatior est reddita. IAC. HOLLERII *De morbis internis libri duo*, *cum* LVDOV. DVRETI & ANT. VALETII *annotationibus*, Lutetiae 1571. 8. excusi, saepius c) deinceps recusi, plenissime

me vero, titulo instructi isthoc: IAC. HOLLERII *Omnia opera practica, eiusdem scholiis & obseruationibus, deinde* LVDOV. DVRETI *enarrationibus, &* ANT. VALETII *exercitationibus illustrata, cum scholiis & obseruationibus* IO. HAVTINI, Parisiis 1664. fol. euulgati fuerunt, & autori suo celebri magnum d) pepererunt nomen. HIERON. MONTVI *Anasceue morborum*, Lugduni 1560. 8. impressa, deinde vero longe auctior, rubricam gerens: HIERON. MONTVI *Practica medica in sex* e) *partes diuisa*, Venetiis 1626. 4. in lucem emissa, ab HERM. f) CONRINGIO laudibus haud vulgaribus fuit ornata. Pariter & IO. g) RHODIVS de NIC. PISONIS, *De cognoscendis & curandis praecipue internis humani corporis morbis, libris III. ex classicorum, tum veterum, tum recentiorum, medicorum monumentis collectis*, Francofurti 1585. 8. luci expositis publicae, perquam honorifice pronunciauit.

a) Prodibat hic, vna cum PASCHALII praxi, prima vice Barcinone 1579. 8. Venetiis deinde atque Lugduni crebro, teste LINDENIO *renouato* p. 903. prela repetebat: inter Lugdunenses tamen editiones sequens ibi est praeterita: PETRI PAVLI PEREDAE in MICHAELIS IOAN. PASCHALII *Methodum curandi scholia*. Lugdun. 1587. 8.

b) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 12. Habemus etiam PETRI PAVLI PEREDAE egregia scholia in praxin non indoctam, quae multa itidem egregia habet, ac merito meretur legi, MICHAEL. IOAN. PASCHALII. Similem in modum scribit IO. RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 134. PEREDA cum aliis legendus, facilis, breuis, eiusque praxis solida. IOANNES etiam ANTONIDES VAN DER LINDEN in *Manuduct. ad medicin.* pag. 95. PASCHALIVM & PEREDAM praestantissimis practicorum adnumerauit.

c) Vid. LINDEN. *renouat*. pag. 484. vbi vero editio Parisina anni 1664. fol. in §pho a me indicata, non comparet.

d) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. XI. Supersunt quoque IAC. HOLLERII, medici itidem docti & peritiae insignis, de morbis internis libri, optimi sane & lectione cumprimis digni. In IO. RHODII *Bibliotheca medica* pag. 140. haec leguntur: HOLLERII praxis cum notis DVRETI variae doctrinae opus, sed HOLLERIVS ipse remediis familiaribus & tutis excellit. Quanti illum fecerit GEORG. BAGLIVVS, id iam annotatum est

cap.

cap. IV. sect. I. §. 1. Neque PHILIP. HECQVETVS in praefatione, quam praemisit libro suo de purganda medicina a curarum sordibus pag. 9. dubitauit, HOLLERIVM, DVRETVM & BALLONIVM appellare, gallicae medicinae principes, qui labantem HIPPOCRATIS cogitandi & scribendi rationem restituerunt.

e) I. *De profligandis humani corporis malis particularibus.* II. *De deprehendendis & expurgandis febribus.* III. *De curandis infantum morbis.* IV. *De chirurgicis auxiliis, ad affectus, qui repentinam exigunt curationem.* V. *De tuenda sanitate.* VI. *De scientiae curatricis compendio.*

f) In *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. XI. HIERON. MONTVI duo eximii libri huc pertinentes exstant, quorum alterum Anasceuen morborum, alterum Halosin febrium indigitauit, magno iudicio ex veteris aeui pariter & nostri scriptoribus collecti, quibusque fidere tuto possumus. Similia habet etiam SCHENCKIVS in *Bibliotheca medica* pag. 236. scribens: HIERON. MONTVI Anasceue morborum, cumprimis, vt autoris reliqua, eruditus liber.

g) In *Bibliothec. medic.* 140. NICOL. PISONIS Practicae, praeter autoritatem veterum nihil deest.

§. VI.

Ex Italorum, quos dictum saeculum tulit, medicis practicis, mentionem faciam sequentium. PET. BAYRI *Enchiridion* h) *de medendis humani corporis malis*, quod CONRINGIO i) scriptum perdoctum audit, nostra aetate non magis, quam LEONELLI VICTORII, seu, FAVENTINI, *Practica* k) *medicinalis*, quaeritur; quoniam vterque arabum dogmata sequutus, barbarica dictione vsus est, passimque superstitionis suspectum se fecit. Ita & BENED. VICTORII, seu, FAVENTINI, *Medicina* l) *empirica*, aeque ac *Practica* ipsius m) *magna de curandis morbis*, prope in desuetudinem venit, quamuis vtraque haud citra vtilitatem n) legi queat. Practici illius quondam adeo celebris & felicissimi o), HELIDAEI DE PADOANIS *Curationes & consilia in curandis morbis*, a IO. WITTICHIO Lipsiae 1607. 4. editae, quantum equidem scio, prela ex illo tempore non repetierunt; autor vero eorum a IO. p) CRATONE contemtim admodum est habitus. DOMINICI LEONI *Ars medendi humanis par-*

particularibusque morbis q) *a vertice vsque ad pedes*, plura inuenit suffragia r). ANDR. CAESALPINVS in *Speculo* s) *artis medicae Hippocratico*, primus t) *Aristotelicam* cum medicina philosophiam coniungere est conatus. HIERON. MERCVRIALIS *Responsorum & consultationum medicinalium tomi IV.* u) multos inuenere fautores; & IO. HIERON. PVLVERINI, *De curandis singulis humani corporis morbis, opus, siue, Praxis accurata, breui, dilucida & absoluta methodo tradita*, Venetiis 1600. 4. typis expressa, multorum cum applausu excepta fuit, adeo, vt eadem, curante GERARDO BLASIO, Lugduni batau. 1649. 8. septima vice prela reliquerit. CHRISTOPHOR. quoque GVARINONII *Consilia medicinalia, in quibus vniuersa praxis medica exacte pertractatur*, Venetiis 1610. fol. excusa, benignam HERM. CONRINGII w) experta sunt censuram.

h) Lugd. 1561. 12. Basileae cum praefat. THEOD. ZWINGERI, anno 1563. 1578. 8.

i) *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 6.

k) LEONELLI FAVENTINI DE VICTORIIS *Practica medicinalis, seu, de medendis morbis membrorum omnium totius corporis humani liber, cum scholiis* IOAN. KVFNERI, Ingolstad. 1545. 4. De sequentibus editionibus, quae, auctae *Tractatu* eius *de aegritudinibus infantum*, aliquoties Lugduni curatae fuerunt, vid. LINDEN. *renouat.* pag. 747. vbi tamen editio a GEORG. KVENERO anno 1554. 8. adornata non comparet.

l) Venet. 1554. 8. Francof. 1598. & 1626. 8.

m) Venet. 1562. fol. Francof. 1628. 8. cur. PET. VFFENBACHIO.

n) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 10. Nec denique praetereundus BENED. VICTORIVS, cuius medicationes empiricae multum boni in se continent, ne quid dicamus de eius praxi magna.

o) Id. ibid. Non possumus etiam non ex Italis commendare HELIDAEVM DE PADOANIS, qui tanta felicitate praxin exercuit, vt omnibus Italis suo aeuo palmam praeripuerit.

p) Vid. *Consilior. & Epistolar. medicinalium* Lib. V. pag. 301. sequ. HELIDAEVM sua omnia ex NICOLO desumta magnifacere animaduerti. Non erat solide doctus HELIDAEVS, sed vsum artis magnum, propter hominum opinionem, sibi compararerat.

q) Bononiae 1583. f. Francof. 1597. & 1627. 8.

r) Vid.

r) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 10. Satis docte quoque praxin suam elaborauit DOMINICVS LEONVS, vt qui ratione & vsu valuisse videatur.

s) Francof. 1605. 8. & Argentor. 1670. 8. de reliquis editionibus consulatur LINDEN. *renouat.* p. 40.

t) Vid. CONRING. *Introduct.* cap. V. §. 18.

u) Horum tomus I. anno 1587. II. 1590. III. & IV. 1597. in forma folii Venetiis fuerunt impressi.

w) *Introduct. in art. medic.* cap VII. §. 13. CHRISTOPH. GVARINONII Consilia ex media philosophia depromta in caussis morborum peruestigandis pene sine exemplo exstant. Tantum optandum, a mendis typographicis non ita foede essent corrupta, vt saepe etiam mentem autoris recte assequi non possis.

§. VII.

Ex ordine germanicae gentis medicorum huc pertinentium locum hic capiant, qui sequuntur. ORTOLPHI MAROLDI *Practica medica ad omnis generis morbos feliciter curandos accommodata*, diu post fata autoris, Francofurti 1650. 4. lucem adspexit. Pari sorte vsa sunt IO. x) STOCKERI *Opera practica*, quae manu exarata reliquerat moriens, cuius quippe *Empirica, seu, medicamenta varia, experientia diuturna contra plerosque omnes corporis humani morbos comprobata*, Francofurti 1601. 8. *Praxis* contra *morborum particularium e posthumis monumentis eruta*, eodem loco anno 1609. 8. diuulgata; tractatus vero posterior Lugduni Batau. etiam anno 1634. & 1657. 12. cum notis ADRIANI TOLLII, denuo fuit impressus. GVALTERI BRVEL, *Praxin medicinae*, Antwerpiae 1580. fol. excusam, IO. y) RHODIVS laudauit, quae & crebrioribus z) prelis subinde fuit recusa. Eadem a) fortuna vsa est IO. MARQVARDI *Practica theorica empirica morborum interiorum a capite ad calcem.* CHRISTOPH. WIRSVNGI lingua patria conscriptus liber, *Neues* b) *Artzeney-Buch*, qui etiam aliquoties prelorum ope lucem adspexit, optima conditione a IAC. THEOD. TABERNAEMONTANO Neapoli Nemetum, anno 1597. fol. est editus. REINERI SOLENANDRI *Con-*

Consiliorum medicinalium sectiones quinque Francofurti 1596. & Hanou. 1609. fol. editae multis c) ornatae sunt encomiis; & FELICIS PLATERI *Praxis medica*, multoties d) edita, optime Basileae 1656. & nuper admodum 1736. 4. denuo impressa, nec non noua e) methodo tradita, ob sui praestantiam, a CASP. f) BARTHOLINO omnibus reliquis istius aeui operibus practicis fuit praelata.

x) Hunc SCHENCKIVS in *Bibliothec. medic.* pag. 344. Medicum suo tempore percelebrem appellauit.

y) *Biblioth. medic.* pag. 140. BRVELLI praxis serie & delectu remediorum commendatur.

z) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 365. vbi septem annotatae leguntur editiones.

a) Etenim Spirae tantum ter, annis nempe 1583. 1589. & 1592. in 8. fuit excusa.

b) Titulus citatae in textu editionis est sequens: CHRISTOPH. WIRSVNGI *Neues Artzeney-Buch, darinnen fast alle äusserliche vnd innerliche Glieder des menschlichen Leibes, samt ihren Kranckheiten vnd Gebrechen, vom Haupt an bis zu den Füssen, vnd wie man dieselbe auf mancherley Weise wenden vnd curiren soll, in VIII. Theilen vorgestellet worden. Vermehrt vnd verbessert durch* IAC. THEODORVM TABERNAEMONTANVM. Neustadt an der Hardt 1597. fol.

c) Ita e. g. VOP. FORTVN. PLEMPIVS in praefatione IOAN. ANTONIDAE VAN DER LINDEN *Manuductioni ad medicinam* praemissa consilia isthaec in censum optimorum retulit. IO. RHODIVS in *Bibliotheca medic.* p. 142. testimonium iisdem tale perhibuit: Quod remedia praestantissima ibi inueniantur. Non minus CONRINGIVS in *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 13. in laudem autoris scribit: REINERVS SOLENANDER in praeclaro consiliorum opere, propter medicamentorum plurimorum vulgo ignoratorum peritiam, magnam sibi existimationem conciliauit.

d) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 272.

e) Antea enim morbi tractati fuerant secundum ordinem supremi, medii & infimi ventris; PLATERVS vero primus fuit, qui eosdem ad ordinem functionum laesarum considerare docuit.

f) In *Consilio de studio medico inchoando, continuando & absoluendo* pag. 14. vbi scribit: In curatione morborum particularium omnium vnicus sufficit PLATERVS, quem si nouit quis, omnes cognorit.

§. VIII.

§. VIII.

Ratione saeculi XVII. ex Hispanis quidem g), RODERICVS A FONSECA, CYPRIANVS DE MAROIA, & PETRVS MICHAEL DE HEREDIA; e Gallis porro, BARTHOLOM. PERDVLCIS; ex Polonis vero, IO. IONSTONVS; ex Anglis deinde h), THOM. BVRNETVS; ex Germanis denique nostris, WOLFFG. HOEFERVS, PHIL. GRVLINGIVS & THEOPHIL. BONETVS produci in scenam adhuc possunt. RODER. A FONSECA *Consultationes medicae singularibus remediis refertae*, saepius i) impressae, plenissime autem Venetiis 1628. fol. excusae, IO. k) RHODIO non adeo bene audiunt. CYPRIAN. DE MAROIA *Opera omnia medica*, Lugduni 1688. fol. & PET. MICH. DE HEREDIA *Opera medica*, Antwerpiae 1690. fol. typographicis exscripta signis, maximam sui partem sunt practica, qua de caussa eadem studio tomi prioris capitis V. §. 20. praeterii. BARTHOLOM. PERDVLCIS *Vniuersa medicina, ex medicorum principum sententiis consiliisque collecta*, quam RENATVS CHARTERIVS Lutetiae Parisiorum anno 1630. in 4. luci exposuerat litterariae, ibidem anno 1641. eadem forma, cura GEORG. SAVVEAGONI, longe auctior prodiit. IO. IONSTONI *Idea* l) *vniuersae medicinae practicae*, quae olim, diuersis in academiis, instar enchiridii atque hodegi, collegiorum practicorum recitationibus inseruiit, ab autore ipso, ornata titulo: *Syntagma vniuersae medicinae practicae*, Wratislauiae anno 1674. 8. multisque additamentis aucta, diuulgata fuit. THOM. BVRNETI *Thesaurus medicinae practicae*, Londini 1673. 4. excusus, Geneuae porro anno 1678. 12. recusus adiectis notis DAN. PVERARII, ibidem denique anno 1698. 4. perfectissimo m) habitu lucem adspexit. De WOLFFGANG. HOEFERI *Hercule medico* n) G. C. SCHELHAMMERVS o) parum honorifice pronunciauit; cui ipsi & PHIL. GRVLINGII *Medicinae* p) *practicae libri* V. exigui q) habentur ponderis. THEO-

PHIL. BONETI *Polyalthes, seu, Thesaurus medico-practicus ex quibuslibet rei medicae scriptoribus congestus, pathologiam veterem & nouam exhibens, vna cum remediis vsu & experientia comprobatis, in quo* IO. IONSTONI *syntagma explicatur*, Geneuae 1691. fol. excusus, fructus & partus est extremorum ingenii conatuum viri huius in legendis bonis libris versatissimi pariter ac laborum patientissimi.

g) De ZACVTI LVSITANI Operibus omnibus iam tomi huius cap. III. sect. I. §. 7. atque 10. dictum fuit.

h) Hoc loco IOSEPHI quoque IACKSONI *Enchiridion medicum theoretico-practicum*, Amstelodami 1697. in 12. impressum locum aliquem obtinere potuisset.

i) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 947.

k) In *Bibliothec. medic.* p. 142. In consiliis RODERICI FONSECAE remedia pleraque ad pompam & aliena fide exhibentur. Et pagina 147. obseruat, FONSECAM nunquam in praxi sua chemica adhibuisse remedia; etiamsi talia saepius allegauerit.

l) Amstelodami 1644. 12. 1648. 8. Francof. 1664. 4.

m) THOMAE BVRNET *Thesaurus medicinae practicae, ex praestantissimorum medicorum obseruationibus, consultationibus, consiliis, epistolis collectus, ordine alphabetico dispositus, & in XVIII. libros diuisus. Editio nouissima, pluribus autori additamentis longe auctior.* Geneuae 1698. 4.

n) Optimo is habitu Norimbergae 1675. 4. est editus.

o) In *Additam. ad Conring. introduct.* cap. VII. §. 16.

p) Northusae 1665. 4. Lips. 1668. & 1673. 4. quarum editionum postrema est optima.

q) Cit. loc. vbi haec leguntur: Eiusdem ordinis atque HOEFERI liber, videtur quoque GRVLINGII praxis medica; nam is quoque in compilandis remediis suam praecipue diligentiam probauit.

§. IX.

E medio italorum dicti saeculi medicorum prodeant denique locum hic occupaturi sequentes. IO. ZECCHII *Consultationes medicinales, in quibus vniuersa praxis medica exacte pertractatur*, a morte celebris huius practici, per filios eiusdem sunt diuulgatae, impressae Venetiis 1617. 4. & Francofurti 1650. 8. prelo repetitae. EVSTACH. RVDII *Ars medica, seu, de omnibus humani corporis affectibus, siue internis, siue externis, medendis,*

dendis, libri X. Venetiis 1608. in folio typis expresſi, HERM. r) CONRINGIO pariter ac IO. s) RHODIO laudati leguntur. A IVLIO CAESARE CLAVDINO, praeter *Reſponſiones & conſultationes* t) *medicinales*, *Empiricam* quoque u) *rationalem libris ſex abſolutam*, accepimus. Vtrumque opus lectu dignum iudicauit IO. w) RHODIVS. IO. BAPT. CORTESII *Medicinae practicae partes III.* Meſſanae 1635. fol. excuſae fructu non carent. Haud ſecius IVL. etiam CAES. BENEDICTI *Conſultationes medicinales*, Venetiis 1650. 4. BENED. SYLVATICI *Conſiliorum & reſponſionum medicinalium centuriae IV.* Patauii 1656. fol. impreſſae; nec non RAYMVND. IO. FORTIS *Conſultationum & reſponſionum medicinalium tomi II.* x) prae ceteris complurium ſibi ſuffragia conciliauerunt.

r) In *Introduct. in art. medic.* cap. VII. §. 10. EVSTACHIVS RVDIVS tam de internis, quam externis corporis affectibus dignoſcendis curandisque vt prolixe ita ſatis docte ſcripſit, niſi quod & ipſe more collegarum GALENO nimium fuerit addictus.

s) In *Biblioth. medic.* p. 140. EVST. RVDIVS copioſus & accuratus.

t) Venet. 1606. folio. Francofurt. 1607. 8.

u) Bononiae 1653. fol.

w) Vid. *Biblioth. medic.* eius p. 141. vbi haec ſcripta leges: CLAVDINI Empirica rationalis titulo reſpondet. Et p. 142. CLAVDINI, ait, Conſilia morborum euolutionibus & obſeruationibus excellunt.

x) Harum tomus I. Patauii anno 1669. fol. Tomus autem II. eodem loco, poſt mortem tamen autoris, anno 1678. pari forma lucem conſpexit.

§. X.

Recentiſſimo aeuo numerus ſcriptorum huius generis, apud Germanos y) potiſſimum, luculentiſſime accreuit; paucos tamen ſolum attingere eſt animus. IO. IAC. MANGETI *Bibliotheca medico-practica* z), oppido diffuſa, aeque ac *Theatrum praxeos medicae* THEOD. ZWINGERI, Baſileae 1710. 4. editum, ea ratione eſt diſpoſita, vt morbi humani corporis ibi ordine elementari, ſeu, alphabetico, enumerati exponan-

ponantur. Pari tractandi modo delectatus est etiam IO. HELFRICVS IVNGKENIVS in *Manuali praxeos medicae modernae*, Francofurti 1707. 8. diuulgato. HERM. BOERHAAVII *Aphorismi de cognoscendis & curandis morbis* Lugduni batauor. 1709. emissi in 12. tantum autori suo conciliauerunt a) existimationis, vt iliada post Homerum scripturus esse videri queam, si in eorum laudem plura addere conarer; id saltem mihi hoc loco praetereundum nequaquam puto, eosdem commentariis b) GERH. VAN SWIETEN, haud ita pridem iuris publici factis, vtiliores & vsibus studiosorum artis accommodatos magis fuisse redditos; siquidem medicus iste longe celeberrimus de aphorismis *Boerhaauianis* aeque immortaliter mereri studuit, ac ALB. HALLERVS de *Boerhaauianis* Institutionibus iam ante eum meritus fuit. De MICH. BERNH. VALENTINI *Praxi medicinae infallibili*, quae duobus c) constans tomis lucem salutauit litterariam, vnum saltim est, quod adnotem, morbos hominum internos ibi iuxta diuersitatem aetatum humanarum propositos, vtrumque porro tomum epistolis atque consiliis celebriorum practicorum stipatum; priorem denique tomum autoris cautelis practicis, cuilibet capiti subnexis statim, communitum esse atque instructum.

y) Ita ex. gr., euitandae diffusioris tractationis caussa, ad VITI RIEDLINI *Curarum medicarum millenarium*, Vlmae 1709. 4. ROSINI LENTILII *Eteodromum medico-practicum* anni 1709. Stutgardiae 1711. 4. GEORG. WOLFFG. WEDELII *Compendium praxeos clinicae*, Ienae 1707. 4. excusum; ANDR. PETERMANNI *Manuductionem ad praxin medicam*, Lipsiae 1707. 8. editam pluresque alios libros practicos, subsistere mihi non fuit integrum.

z) *Seu, rerum medicarum thesaurus cumulatissimus, in quo omnes prorsus humani corporis morbosae affectiones, tum artem medicam in genere, tum chirurgicam in specie, spectantes, ordine alphabetico explicantur, & per curationes, consilia, obseruationes ac cadauerum anatomicas inspectiones, tam proprias, quam alienas, abunde & curiose tractantur.* Geneuae tom. I. II. 1695. tom. III. 1696. tom. IV. 1697. fol.

a) Ex

a) Ex tot elogiorum cumulis, verba tantum IOAN. ALLENII, quae inspersit praefationi Synopseos medicinae practicae ab se editae, huc appono: Aphorismos, inquit ille, praeclarissimi BOERHAAVII haud satis pro merito laudaui; quoniam vniuscuiusque manibus praesto esse & charissimos haberi, nullus dubito: est enim opus omnibus numeris absolutum, & tantum non diuino afflatu exaratum, auro contra aestimandum, decies & amplius perlegi diguisimum, imo in sinu perpetuo gestari.

b) GERARDI VAN SVVIETEN *Commentaria in Hermanni Boerhaaue Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis.* Tomus I. Lugd. Bat. 1742. 4. Tom. II. ibid. 1745. 4. Tomus vero tertius hactenus non citra impatientiam exspectatur.

c) Prioris haecce est inscriptio: MICH. BERNH. VALENTINI *Praxis medicinae infallibilis, e principiis mechanicis dispensationi publicae aeque ac domesticae applicata, & Archiatrorum felicissimorum consiliis illustrata. Cum Nosocomio academico, ex casibus selectioribus clinicis, methodo consultatoria resolutis, & in academia Giessena publice ventilatis, constante. Accedunt dispensatorium domesticum, animaduersiones in Machiauellum medicum, declamationes panegyricae nouae, cum programmatibus & inscriptionibus varii argumenti.* Francofurti ad Moen. 1711. & 1716. in 4. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 437. Tomi vero posterioris epigraphe ita habet: M. B. VALENTINI *Praxeos medicinae infallibilis pars altera chirurgica, consiliis & obseruationibus Medico-Chirurgorum, nostro seculo felicissimorum* BRVNNERI, MVRALTI, MVYSII, RAVII, RVYSCHII, VERDVC, *ac responsis Facultatum medicarum illustrata. Cum nosocomii academici continuatione, appendice de futuris & fasciis, ac myrotheca castrensi* Francof. 1714. 4. Vterque tomus ibidem 1721. eadem forma fuit recusus.

§. XI.

FERDIN. CAROL. WEINHART *Medicus officiosus, praxi rationali methodico - aphoristica, cum selectis remediorum formulis, instructus,* optime Norimbergae 1715. 8. excusus, a IO. FRANC. LOEW AB ERLSFELD commentario d) est illustratus. IO. ALLEN *Synopsis vniuersae medicinae practicae, siue, doctissimorum virorum de morbis eorumque causis ac remediis iudicia, praxi & obseruationibus confirmata,* Londini 1719. 8. luci exposita, tot fautores inuenit, vt Amstelodami iam anno 1730. quintum, forma octopartita, impressa, comparuerit. Et fatendum sane, librum huncce in ordi-

ne compendiorum practicorum principem quandam sedem e) suo iure tueri posse. IO. MAVRIT. HOFFMANNI *Syntagma pathologico-therapeuticum, ad* IOAN. HARTMANNI *praxin chimiatricam concinnatum, morborum ibidem propositorum, & plurium omissorum, nunc additorum, subiectum, caussas, signa & curationem, probatissimorum remediorum accessione auctam, complectens, vna cum prolusionibus XLIV. de remediorum delectu,* Lipsiae 1728. 4. in lucem expositum publicam, est e numero vltimorum ingenii moliminum, valde arti nostrae proficuorum, quae huic de re medica tantopere merito viro debemus. HERM. FRID. TEICHMEYERI *Institutiones medicinae pathologicae & practicae, in vsum auditorum conscriptae,* Ienae 1742. 4. excusae, benigne sunt exceptae f). Et de LAVR. HEISTERI *Compendio medicinae* g) *practicae,* quod noua h) methodo est adornatum, autor ipse, in praefatione eidem praemissa, annotauit: Eiusmodi satis idoneum aut perfectum compendium, supra dictis fundamentis superstructum, haud prostare.

d) Inscribitur iste sequenti modo: IOAN. FRAN. LOEW AB ERLSFELD *Vniuersa medicina practica, iuxta veterum ac recentiorum mentem efformata & aucta, olim in nucleo compendiose tradita a* FERD. CAR. WEINHART. Norimberg. 1723. 4.

e) Vid. *Historiam medicinae litterar.* STOLLII p. 740.

f) Vid Noua litteraria anni 1742. pag. 437.

g) Amstelodami 1743. 8. Germanica etiam huius libri versio haud ita pridem, Lipsiae in 8. impressa prodiit, de qua euoluantur noua litteraria anni 1744. p. 755. seq.

h) Redegit enim morbos affines, aeque ac Botanici solent plantas, in certas classes, seu, certa genera, toto libro distributo in capita XX. praemissaque eidem dissertatione de medicinae mechanicae praestantia.

§. XII.

Sub finem huius sectionis mentio adhuc facienda mihi est non nullorum, qui in concinnandis operibus suis practicis *Stahliana* principia atque praecepta ob oculos habuere, iisdemque institere. IO. SAMVEL.

CARL

CARL *Praxeos medicae therapia generalis & specialis*, sine mentione loci i) impresssionis, anno 1718. 4. prelo exiit. IO. IVNCKERI *Conspectus medicinae theoretico - practicae, tabulis* CXVI. *omnes primarios morbos methodo Stabliana tractandos exhibens*, Halae 1718. 4 in lucem fuit expositus publicam, ibidemque tertia vice, & quidem auctior k), anno 1734. 4. euulgatus. MICH. ALBERTI *Introductio in medicinam practicam*, etiam Halae 1721. 4. fuit impressa. Inter illos vero, qui lingua germanica scribentes similem in se susceperunt laborem, primus fuit CHRISTIANVS l) WEISSBACHIVS; cui ex postea sequutis medicis, HVLDER. PELARGI, seu, IO. STORCHII *Eteodromi medici*, *Medicinische* m) *Iahrgänge seiner obseruationum clinicarum*, prae reliquis, merito sociandi & adiungendi veniunt.

i) Vid. *Bibliothecae Burckhardianae*, part. IV. p. 106.

k) Loco enim priorum tabularum 116. tabulae hic 138. comparent.

l) Titulus libri est isthic: CHRISTIAN WEISSBACHS *wahrhaffte vnd gründliche Cur aller dem menschlichem Leibe zustossenden Kranckheiten, nach der vernünftigen vnd vnverrückten Methode der Natur*, Strasburg 1712. 8. Vid. GOEZII *Recensionem scriptorum Stablianorum* pag 150.

m) Eteodromos hactenus accepimus VIII. quorum primus Lipf. 1724. 4. vltimus vero ibidem, pari forma, anno 1735. fuit impressus.

CAP. VI. SECT. III.

DE SCRIPTORIBVS PRAXEOS MEDICAE SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores de morbis capitis, §. 1. *de morbis pectoris*, §. 2. *de morbis infimi ventris*, §. 3. *de morbis venereis*, §. 4. *de morbis cutaneis*, §. 5. *Scriptores de febribus*, §. 6. 7.

§. I.

Quandoquidem praesentis tomi capitis III. sectione altera complurium scriptorum particularium

mentionem iam feci; illi tantum hoc loco supererunt recensendi breuiter, de quibus illic dicendi commoda se mihi nondum obtulit occasio. Agmen ducant, qui de morbis capitis peculiariter a) scripserunt: id quod ita factum, vt alii de paucis horum tantum, alii de pluribus essent solliciti. Classi priori accenseri merito queunt HIERON. MERCVRIALIS *De oculorum & aurium affectibus praelectiones*, Moeno-Francofurti 1591. in 8. excusae, quae quantiuis pretii visae sunt IO. b) RHODIO; IOSEPH. QVERCETANI *Tetras grauissimorum totius capitis affectuum*, Marpurgi 1606. 8. impressa; IO. ASSVERI AMPSINGII *Hectas affectionum capillos & pilos humani corporis infestantium*, Rostochii 1623 8. emissa; & IO. STEPH. STROBELBERGERI *De dentium podagra tractatus absolutissimus*, Lipsiae 1630. diuulgatus in 8. quem IOAN. ANTON. VAN DER LINDEN c) laudauit. Posteriori vero sequentes adscribi poterunt. IASON. PRATENSIS *De cerebri morbis curandis liber*, Basileae 1549. 8. typis exscriptus, LINDENIO d) iudice, cum fructu legi potest. FRANC. HILDESHEIMII *De cerebri & capitis morbis internis spicilegia*, Francofurti 1612. 8. edita, commode sociari illi poterunt. VINCENTII ALSARII A CRVCE *De morbis capitis frequentioribus libri* VII. Romae 1617. 4. in lucem prolati, plus vtilitatis practico adferent, quam THOM. GROSSII *Lectiones de morbis capitis & thoracis*, Ferrariae 1628. 4. signis typographicis expressae, quae quippe controuersiis diuersorum medicorum maximam sui partem vacant. GVERNERI ROLFINCII *Methodus cognoscendi & curandi affectus capitis particulares*, Ienae 1653. 4. prelo est protrusa, eodemque ibidem 1671. 4. repetita. CONR. e) VICTOR. SCHNEIDERI *Liber de morbis capitis soporosis*, Wittebergae 1659. 4. typis signatus, multas, autori proprias, easque saepius paradoxas, continet hypotheses. LAVR. BELLINI *Opus de morbis* f) *capitis & pectoris* varios inuenit fautores; & IO.

IAC.

IAC. WEPFERI *Obseruationes medico - practicae de affectibus capitis internis & externis*, Scaphusii 1727. 4. excusae, ob sui praestantiam, omnium tulere suffragia.

a) Libros tamen huc spectantes, a LAVR. IOVBERTO, IO. HEVRNIO, IO. STEPHANO, ISBRANDO DE DIEMERBROECK & THOMA WILLISIO consignatos, & sigillatim initio editos, hoc loco non sum reuocaturus in scenam; idque eo, quod illi Tomi prioris cap. V. vbi de iunctim impressis horum aliorumque plurium medicorum operibus agebam, iam fuerunt indicati. De BARTHOLOMAEI autem DE MOOR *Pathologia cerebri*, Amstelodami 1704. 4. prelo expedita, hoc solum breuiter obseruare visum est, eam pathologice magis, quam practice esse concinnatam.

b) Vid. *Bibliothec. medic.* p. 153. vbi autoribus, qui in certis materiis excellunt, accensentur.

c) In *Manuductione ad medicinam* pag. 96.

d) Cit. loc.

e) De huius *Libris quinque de Catarrhis*, qui locum hic etiam sibi merentur, tom. I. cap. III. sect. I. §. 5. iam dixi. Dictis ibi addam tantummodo HERM. BOERHAAVII iudicium, quod in eius praelectionibus in proprias institutiones medicas academicis, tom. IV. pag. 85. tale legitur: SCHNEIDERI amplissimum & copiosissimum de catarrhis opus immortalis certe liber esset, si verae obseruationes, ab inutili citationum farragine & inani eruditione liberae in vnum volumen contractae fuissent.

f) Vid. Tom. I. cap. V. §. 30. vbi vero editio Batauo-Lugdunensis anni 1730. 4. HERM. BOERHAAVII praefatione ornata obliuione fuit praeterita.

§. II.

Morbi thoracis, seu, pectoris, maximam partem dignotu difficiles, curatu autem multo difficiliores, praeter iam nominatos, LAVR. IOVBERTVM, IO. HEVRNIVM, ISBRANDVM DE DIEMERBROECK, LAVR. BELLINVM, in genere etiam a PETRO VASCO g) CASTELLO considerationi sunt subiecti. Specialiorem eorundem tractationem quod attinet, BAPT. CODRONCHIVS libros II. *De vitiis vocis*, Francofurti 1597. 8. impressos, FRANC. NOLA *Tractatum de angina epidemia*, Venetiis 1620. 4. excusum, AETIVS CLETVS *De morbo strangulatorio opus*, Ro-

mae 1636. 8. signatum typis, & FABRIC. BARTOLETVS *Methodum* h) *in dyspnoeam*, ediderunt: qui cuncti scriptores a IO. i) RHODIO in censum eorum redacti leguntur, qui in certis materiis excellunt. De morbis cordis sollicitos sese, HANNIBAL k) ALBERTINIVS, LINDENIO l) laudatus, porro ATTILIVS m) BVLGETIVS, & SEBAST. n) PISSINIVS gessere. De pleuripneumonia VINCENT. o) BARONIVS optime p) scripsit. De pleuritide, e veteribus quidem, BALDVS q) BALDIVS, ex recentioribus vero, DAN. GVIL. r) TRILLERVS bene meruerunt. Phthisin si spectes, CHRISTOPH. BENNETTI, seu, BENEDICTI, s) *Theatrum tabidorum;* inprimis autem RICH. MORTONI *Phthisiologia, seu, Exercitationes de phthisi, tribus libris comprehensae*, Londini 1689. 8. impressae magni aestimantur. Nec LVDOV. SEPTALII *De morbis ex mucronata cartilagine euenientibus liber vnus*, Mediolani 1632. in 8. excusus, sine fructu legi poterit.

g) PETRI VASCI CASTELLI *Exercitationes medicinales ad omnes thoracis affectus, decem tractatibus absolutae.* Tolosae 1616. 4.

h) Integer titulus est hic: FABRICII BARTOLETTI *Methodus in Dyspnoeam, seu, de respirationibus libri quatuor, cum synopsibus, quibus quintus de curationibus accessit.* Bonon. 1633. 4.

i) In *Bibliothec. medic.* pag. 153. seqq.

k) ANNIBALIS ALBERTINII *De affectionibus cordis libri tres, quorum primus de naturalibus, secundus & tertius de praeternaturalibus, de palpitatione nempe & syncope, atque earum curatione, agit.* Venet. 1618. 4. Caesenae 1648. 4.

l) In *Manuductione ad medicinam*, pag. 96.

m) ATTILII BVLGETII *De affectionibus cordis tractatus in tres libros diuisus.* Patauii 1657. 4.

n) Huic debemus non solum *Libros II. de cordis palpitatione cognoscenda & curanda*, Francofurti 1609. 8. excusos; sed etiam *Tractatum de Diabete & Polypo cordis*, Mediolani 1654. 4. characteribus typographicis signatum.

o) VINCENTII BARONII *de Pleuripneumonia libri duo*, Forolinii 1638. 4.

p) Iudice IOANNE RHODIO in *Bibliotheca medica*, pag. 156. vbi tamen pro, CAESAR BARONIVS, legendum est, VINCENTIVS BARONIVS.

q) BAL-

q) BALDI BALDII *De loco affecto in Pleuritide disceptationes. Accessit* RENATI MOREAV *de eadem re epistola.* Paris. 1640. 8.

r) DAN. GVIL. TRILLERI *Succincta commentatio de pleuritide, eiusque curatione.* Francof. 1740. 8.

s) Liber iste, qui, CHRISTOPH. BENNETI nomen in fronte gerens, Londini 1654. 8. excusus primum comparebat, deinde, ita inscriptus: CHRISTOPH. BENEDICTI *Tabidorum theatrum, siue, phthiseos, atrophiae & hecticae xenodochium,* Francof. 1665. 12. est recusus.

§. III.

Circa infimi ventris morbos qui occuparentur, varii sunt inuenti. De affectionibus stomachi, peculiari tractatu primus t) egit CONST. AFRICANVS; optime ea contra idem argumentum elaborauerunt IO. u) HEVRNIVS & IO. w) VARANDAEVS: quibus ex recentissimi aeui tractu addendus liber gallicano idiomate conscriptus: *Traité de la digestion & des maladies de l' estomac, suiuant le systeme de la trituration & du broyement, par* PHIL. HECQVET, à Paris 1730. 12. In morbos mesenterii inquisiuit MATTH. x) MARTINI. DAV. LIPSII *Tractatus de Hydropisis eiusque specierum cognitione & curatione,* Ienae 1678. 4. diuulgatus, & IO. GEORG. GREVLICHII *Curandi hydropis vera methodus,* Francofurti 1681. 8. emissa prelo, locum hic etiam tuebuntur. De renum & vesicae morbis, praeter excitatos modo, HEVRNIVM atque VARANDAEVM, solliciti fuere THEOD. y) BARONIVS, IO. BEVEROVICIVS z) & GVALT. a) CHARLTON. De lumbricis, post ALEX. b) TRALLIANVM, ex antiquioribus quidem HIER. c) GABVCINVS & ADRIAN. d) SPIGELIVS; e recentioribus vero, DAN. e) CLERICVS & STEPH. f) COVLET hic sunt notandi. De flatibus denique IO. FIENI, *De flatibus, humanum corpus molestantibus, commentarium nouum ac singularem,* multoties g) recusum, accepimus.

t) Vid. tom. I cap. V. §. 3.

u) IO. HEVRNII *De morbis ventriculi liber,* Lugd. Batau. 1608. 4. impressus in LINDENII *Manuductione ad medicinam*, pag. 96. optimae in hoc argumento notae scriptoribus est accensitus.

w) IO.

w) IO. VARANDAEI *Tractatus de morbis ventriculi* vna cum *Tract. de affectibus renum & vesicae* Monte Pessulano 1620. 8. impressus fuit. Vterque a IOAN. RHODIO in *Bibliothec. medic.* pag. 154. iis autoribus, qui in certis materiis excellunt, fuit adnumeratus.

x) Titulus libri est: MATTH. MARTINI *De morbis mesenterii abstrusioribus, in scholis medicorum hactenus praetermissis, nec scriptis veterum illustratis. Item affectionum hypochondriacarum, prioribus quodammodo affinium, historia & curatio.* Lipsiae 1630. 8. Hic quoque tractatus in LINDENII *Manuduct. ad medicinam* in censum optimorum atque vtilissimorum relatus est librorum. pag. 96.

y) THEODORI BARONII *De operationis meiendi triplici laesione & curatione libri duo, in quibus morbi omnes renum & vesicae, quoad eorum cognitionem & curationem, ex* GALENI *praesertim mente, cumulate pertractautur.* Papiae 1609. 4.

z) IOAN BEVEROVICII *De calculo renum & vesicae liber singularis. Cum epistolis & consultationibus magnorum virorum.* Lugdun. Batau. 1638. 12. Opusculum isthoc, cum praecedente tractatu THEOD. BARONII, a IO. RHODIO in classem autorum, qui in certis materiis excellunt, receptum fuisse, docebit ipsius *Bibliotheca medica* euoluta. p. 154. seq.

a) GVALTERI CHARLTON *Spiritus gorgonicus, vi sua saxipara exutus, siue, de causis, signis & sanatione lithiaseos Diatriba,* Lugd. Batau. 1650. 8.

b) Vid. Tom. I. cap. II. sect. I. §. 14.

c) HIERONYMI GABVCINI *De lumbricis aluum occupantibus, ac de ratione curandi eos, qui ab illis infestantur, Commentarius.* Venet. 1547. 8.

d) ADRIANI SPIGELII *De Lumbrico lato liber,* Patauii 1618. 4. impressus, & deinde operibus eius omnibus insertus, IO. RHODIO habitus etiam fuit dignus, quem in *Bibliothec. medic.* p. 154. subsellio autorum, qui in certis materiis excellunt, adscriberet.

e) DANIEL. CLERICI *Historia naturalis & medica latorum lumbricorum, intra hominem & alia animalia nascentium. Accedit de ceteris hominum vermibus, tum de omnium origine & remediis, disquisitio.* Geneuae 1715. 4. Recensetur hic liber in Actis eruditorum dicti anni, M. Sept.

f) STEPH. COVLET *Tractatus historicus de ascaridibus & lumbrico lato.* Lugd. Bat. 1729. 8.

g) Antwerpiae 1582. 8. Francofurti 1592. 8. & Hamburgi 1644. 12.

§. IV.

Eorum, qui de morbis venereis egerunt, numerus haud est exiguus. Veterum plerique in collectione supra h) iam memorata inueniri possunt quasi

resti

resti iuncti. Recentiores quantum attinet, locum hic occupent tantum, qui mox sequuntur. EDVAR. MAYNWARINGII *Historia & mysterium luis venereae, vna cum animaduersionibus super diuersas methodos curationum, Anglis, Gallis, Hispanis & Italis in vsu, ex anglico in latinum sermonem translatum* Francofurti & Hamburgi 1675. 8. euulgatum, ipso titulo argumentum suum profitetur. IAC. VERCELLONII *De pudendorum morbis & lue venerea tetrabiblion*, Astae 1716. 4. excusum, ob excellentiam suam, Lugduni Batau. 1722. 8. & 1742. 8. fuit recusum. ANT. DEIDIER *Dissertatio medica de morbis venereis*, Londini 1724. 8. obstetricante prelo in lucem edita, quam breuis est, tam varia i) continet in se paradoxa. Ea contra, IO. ASTRVC *Libri sex de morbis venereis*, Lutetiae Paris. anno 1738. 4. characteribus signati typographicis, longe plenius hoc argumentum exhauriunt, & ob solidam eius tractationem, probeque seruatum ordinem, inter recentissimos huius k) materiae scriptores, maximam consequuti sunt existimationem. Quibus denique cunctis GVIL. COCKBVRNII *Tractatus de Gonorrhoea virulenta*, Lugd. Batau. 1716. 8. excusus, suo merito est addendus.

Vid. tom. I. cap. VII. sect. II. §. 11. IOAN. RHODIVM AVGERII FERRERII *Libros* II. *de Pudendagra*, Antwerpiae 1564. 8. signatos typis, omnibus reliquis, dicta collectione comprehensis, autoribus antetulisse, testabitur *medica* eius *Bibliotheca* pagina 156. vbi tamen per lapsum vocatus inuenitur AVGERIVS FONARIVS.

i) Vid. Acta eruditorum anni 1724. Mens. Octobr.

k) Hisce prae ceteris adhuc adnumerandus venit quoque HERMANNVS BOERHAAVE, ob insignem illam praefationem, quam ALOYSII LVISINI *Aphrodisiaco*, Lugduni Bat. 1728. fol. in lucem exposito litterariam, praemisit.

§. V.

Cutanei quoque morbi non nullorum studio & consideratione peculiari habiti sunt digni. HIER. MERCVRIALIS *Libri quinque de morbis cutaneis*, quorum iam superius l) facta a me fuit mentio, aliquoties

ties m) prela fatigauerunt, LINDENIO n) quoque laudati: IO. tamen RHODIVS o) IO. THOM. MINADOI *De humani corporis turpitudinibus cognoscendis & curandis libros tres, in quibus cum cutanearum, tum organicarum, turpitudinum cognitio & curatio traditur,* Patauii 1600. fol. exculos, omnibus reliquis huius indolis scriptoribus praeferre nullus dubitauit. AEMILII CAMPOLONGI *Tractatus de morbis cutaneis*, separatim, quantum equidem scio, non impressus, vna cum HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE *Medicina practica* Lutetiae Paris. 1634. 4. lucem adspexit, nimis autem breuis est. Ea contra in EVSTACHII RVDII *Libris* VII. *de affectibus externarum corporis humani partium*, Venetiis 1606. fol. prelo expeditis, longe plures, quam mere cutanei, morbi proponuntur. SAMVEL. HAFENREFFERI *Nosodochium, in quo cutis, eique adhaerentium partium affectus omnes, singulari methodo, & cognoscendi & curandi, fidelissime traduntur*, Vlmae 1670. 8. in lucem prodiit publicam. Nec minus LVDOVICI etiam SEPTALII *Liber de naeuis*, Mediolani 1606. 8. excusus, & aliquoties p) alibi recusus, aeque ac IO. VARANDAEI *Tractatus de elephantiasi* q) *seu lepra*, quem IO. RHODIVS r) pro optimo in hoc genere habuit, commode locum vterque suum in hoc scrinio tuebuntur.

l) Vid. cap. II. sect. II. §. 5.

m) Ex. gr. Venet. 1572. 1601. 1625. 4.

n) In *Manuduct. ad medicinam* pag. 96.

o) In *Bibliotheca medica* pag. 154.

p) E. c. Patauii 1628. 1651. 8. Argentorati 1629. 12. Annexus etiam fuit iste libellus non nullis editionibus animaduersionum & cautionum medicarum eius.

q) Seorsim hic Tr. impressus est Geneuae 1620. 8. postea vniuersis autoris operibus inserendus.

r) In *Biblioth. medic.* pag. 154.

§. VI.

Agmen in hac sectione claudant s) scriptores de febribus. Horum etsi infinita prope sit multitudo, ipse

ipſe tamen, propoſiti mei tenax, de perpaucis ſaltim dicendi occaſionem arripiam. Quae graecorum, latinorum atque arabum medici hac de re, in monumentis ſuis ad noſtram aetatem ſuperſtitibus, conſignauerunt memoriaeque prodiderunt, ea in *Collectione* t) *Veneta de febribus* lectoris ob oculos, vno velut intuitu perluſtranda, ponere voluit, qui eandem adornauit; ſed ſucceſſu parum felici. Recentiores quantum attinet, ſequentium tantum iniecturus ſum mentionem. Ex Hiſpanis, LVDOV. MERCATI *Libri de febrium eſſentia, differentia, cauſſa & curatione*, Valleſoleti 1586. 4. impreſſi, ideo notatu ſunt digni, quod eorum autor primus u) fuit, qui hiſtoriam & curationem febrium intermittentium malignarum, ex inſtituto, habita omnium ita dictarum circumſtantiarum hic occurrentium ratione, in iis deſcriberet. Apud Italos, w) IO. RHODIVS x) PII AENEAE CAPRILII *Libros II. de febribus* y) *putridis*, & IO. MANELPHI *Theoriam de febribus*, Romae 1625. 4. excuſam, optimis huius argumenti ſcriptoribus adnumerauit: quemadmodum etiam G. C. SCHELHAMMERVS in *Additam. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 20. CAPRILII libros, operis doctisſimi titulo cohoneſtauit. Anglos inter, z) THOM. SYDENHAMII *Obſeruationes circa morborum acutorum hiſtoriam & curationem*, Londini 1676. 8. typis ſignatae, vna cum aliis non nullis, huc ſpectantibus, a) magni huius practici opuſculis, a GEORG. b) BAGLIVO, omnibus reliquis ſcriptoribus pyretologicis ſunt antelatae. E germanis denique DAN. SENNERTI *Libri IV. de febribus*, Wittebergae 1628 4. typis exſcripti, ſimul cum GVERNERI ROLFINCII *Ordine & methodo cognoſcendi & curandi febres*, Ienae 1658. 4. excuſa, G. C. SCHELHAMMERO c) iudice, laudem praeſtantisſimorum in hoc genere ſcriptorum merentur.

s) Circa practicos enim ſpecialisſimos, & in recenſendis diſſertationibus aliisue ſchediasmatibus eorum, qui de hoc illoue morbo aliquid pe culia

culiariter chartis mandauerunt, vt moras nectam, non permittit instituti mei ratio. Studio etiam factum, vt in praesenti paragrapho scriptores illi, qui de diuersis generibus febrium continuarum & intermittentium sigillatim egerunt, omitterentur. Nec morari me passus sum inusitatam illam copiam autorum, qui de Variolis, Morbillis & peste scripserunt; maxime quum scirem, vltimorum potissimos in LAVRENT. HEISTERI *Bibliotheca chirurgica* pag. 34. seq. iam fuisse indicatos.

t) Vid. tom. I. cap. VII. sect. II. §. 8. seq.

u) Obseruat hoc FRANCISCVS TORTVS in *Therapeutica speciali*, lib. II. cap. I. pag. 193. seqq.

w) HORATII quoque AVGENII *De febribus, febrium signis, symptomatibus & prognostico libri VII. quibus alii tres eiusdem materiae, curante* HILARIO AVGENIO, *accesserunt*, olim adeo semet eruditis probauere, vt intra biennium bis Moeno-Francofurti excuderentur, semel nempe anno 1604. fol. ex officina Matthiae Beckeri, & iterum anno sequenti 1605. pari forma, apud heredes Wechelii, prodeuntes.

x) In *Bibliotheca medica* pag. 154. sequ.

y) Ferrariae 1591. fol. Patauii 1643. 4.

z) A THOMAE WILLISII *Diatribe de febribus*, GIDEONIS HARVEI Tr. *de febribus*, Londini 1672. 8. IOAN. IONES *Dissertationibus de morbis abstrusioribus & febribus intermittentibus*, Londini 1683. 8. GVIL. COLE *Noua febrium intermittentium hypothesi*, Londini 1693. 8. impressis, vt & variis aliis vberius recensendis data opera abstinui.

a) Vid. Eius opera medica iunctim edita, cap. III. sect. I. §. 10. huius tomi iam allegata.

b) Praxeos medicae libro I. cap. XII. §. 3.

c) In *Additam. ad Conring. introduct.* cap. V. §. 20. vbi haec: Primus omnium febres rite discernere docuit GALENVS. Hunc omnes secuti sunt ad nostra tempora. Laudari cumprimis ex recentioribus merentur SENNERTVS noster, qui plerasque veterum sententias in librum suum congessit ac ventilauit, & GVERNERI ROLFINCII *Ordo & methodus cognoscendi & curandi febres*.

§. VII.

E recentissima aetate locum aliquem adsignabo his, qui mox sequuntur. RICH. MORTONI *Pyretologia, seu, exercitationes de morbis vniuersalibus acutis & de febribus*, Londini 1692. 8. separatim excusae, deinde vero operibus d) eius omnibus insertae, satis sese bonorum librorum cognitoribus probauerunt. Pari doctorum beneuolentia, quoad Italos, gauisa est,

est, FRANC. TORTI *Therapeutice* e) *specialis ad febres quasdam perniciosas, inopinato ac repente lethales, vna vero china china, peculiari methodo ministrata, sanabiles:* quamuis BERNH. RAMAZZINVS diuersa circa eandem monere voluerit, cuius tamen obiectionibus, peculiari commentatione f) FRANC. TORTVS obuiam iuit. Liber quoque tusca conscriptus lingua, cui titulus: *Istruzione intorno alle febri di Giov.* DOMENICO SANTORINI, Venetiis 1734. 4. impressus, vtut breuis, multa nihilominus cum vtilitate legi potest. E Germanis vero, GEORG. ERN. STAHLII *Obseruationes medicae* g) *de febribus*, & PAVL. GOTTL. WERLHOFII *Obseruationes de febribus, praecipue intermittentibus, & ex earum genere, continuis, deque earum periculis & reuersionibus praenoscendis & praecauendis,* Hannouerae 1732. 4. prelo emissae, prae reliquis memoratu dignae sunt habitae.

d) Amstelodami 1696. 8. & ante paucos annos etiam Venetiis 1733. 4. illa fuerunt vna impressa.

e) Mutinae 1712. 4. & auctior anno 1730. 4.

f) Cui sequens est titulus praefixus: *Ad criticam dissertationem de abusu Chinae Chinae, Mutinensibus medicis perperam obiecto a clarissimo quondam viro,* BERNARDINO RAMAZZINO, *Responsiones iatroapologeticae* FRANCISCI TORTI. Mutinae 1715. 4.

g) Collectae sunt illae a IOAN. CHRISTOP. GOETZIO e chartis *Stahlianis*, & Norimbergae anno 1726. 4. publici vsus factae.

CAP. VI. SECT. IV.

DE SCRIPTORIBVS MEDICINAE CLINICAE ET FORENSIS.

CONTENTA:

Scriptores de officio medici generales §. *1 - 3.* *Scriptores de officio medici forensis* §. *4 - 6.*

§. I.

Recensiturus autores, qui generatim de officio medici peculiaribus scriptis egerunt, excurrere in

longinquiora tempora, remotiusque a nostro aeuum, constitutum mihi non est; verum a saeculo post decimum sexto exordiar. ALEX. BENEDICTI *Libellus de medici & aegri officio*, qui anatomices eius editionibus aliquot, postea vero operibus a) ipsius iunctim impressis additus habetur, breuibus constat aphorismis, in quibus omnis generis cautelae, therapiam & diaeteticen spectantes, & maximam sui partem e CELSO collectae, traduntur. LEONH. BOTALLI *Commentarioli duo, alter de medici, alter de aegroti munere*, Lugdun. 1565. 16. excusi, aeque ac reliqua eiusdem b) scripta, gratiam doctorum iniuerunt. IO. ARGENTERII *Libri duo de officiis medici*, haud separatim impressi habendi, sed in operibus c) eius omnibus quaerendi, bonam frugem spondent legentibus. VINCENTII CARRARII *Opusculum de medico & illius erga aegrum officio*, Rauennae 1581. 4. excusum, haud magis, quam HIER. BRASAVOLAE *Libellus de officiis medicis*, Ferrariae 1590. 4. exscriptus, videndum se mihi hactenus obtulit. Pariter & BARTHOL. VICARII *De aegrotantium optimo assistente, eiusque officio in singulis morbis libri III.* Romae 1591. 4. diuulgati, titulo tenus saltim mihi innotuere. De LVDOV. contra MERCATI *Libro de recto praesidiorum artis medicae vsu*, qui commodissime huc etiam referri potest, iam sect. I. §. 2. Capitis huius ipsius, non citra meritam laudem, me dicere, memini.

a) Vid. Tom. I. cap. V. §. 12.
b) Vid. Tom. I. cap. V. §. 14.
c) Vid. Tom. I. cap. V. §. 14.

§. II.

Septimo & decimo saeculo minime quoque, qui hoc tractare instituerent argumentum, defuisse medicos, discas ex iam iam commemorandis. IVL. CAES. CLAVDINI *Libri duo de ingressu ad infirmos*, qui ob sui praestantiam merito primariam hic sedem occupare

pare possunt, lectione huius capitis prima §. 5. iam sunt excitati. LVD. SEPTALII *Animaduersionum & cautionum medicarum libri IX.* itidem supra d) fuerunt laudati. RODERICI A CASTRO *Medicus politicus, siue, de officiis medico-politicis tractatus, quatuor libris distinctus,* Hamburg. 1614. & 1662. 4. excussus legi dignus & iucundus est. Nescio autem, quo iure autor in praefatione sui e) tractatus scribere potuerit, primum se esse, qui de hoc argumento peculiari agat scripto. LVDOVICI VON HOERNIGK librum patrio idiomate scriptum, & inscriptum: *Politia medica; oder, Beschreibung dessen, was die Medici sowohl insgemein, als auch verordnete Hof-Stadt-Feld-Hospital- vnd Pest-Medici, Apotheker, Wund-Aertzte* &c. *vnd endlich die Patienten selbst zuthun vnd in Obacht zunehmen,* Moeno-Francofurti 1638. in 4. editum, vlterius haud noui, quam, quod citatum eum in *Bibliotheca Riuinian.* pag. 444. inueni.

d) Vid. Tom. I. cap. VI. sect. I. §. 10.

e) Verba eius sunt sequentia: Quia argumentum, quod tracto, nullis vnquam saeculis, vti dixi, a quopiam ex professo tentatum fuit, pronior via ad veniam mihi relinquetur, interdum, vt fieri potest, non animo, sed humana caligine, coecutienti.

§. III.

Recentissimos inter autores, non committendum mihi esse video, vt silentio plane praeteream PHILIATRI cuiusdam, quem se vocat f), *Machiauellum medicum, seu, rationem status medicorum,* Argentorati 1698. 4. impressum. Quanquam enim monita atque cautelae ibi traditae eius indolis sunt maximam sui partem, quae eruditis probisque medicis merito abominationi sint, lectio tamen istius libelli, mole parui, id vtilitatis habet, vt spuria & nefaria axiomata falso practicorum nomine, qui strophis inclarescere quam artis quadam peritia malunt, nosse hinc discas, eoque facilius ingenuos medicos ab ementitis medicastris distinguere valeas. Quo consilio et-

iam MICH. BERNH. VALENTINI hunc ipſum tractatum denuo prelo ſubſternendum, eumque propriis animaduerſionibus caſtigatum & inſtructum ſuae modo allegatae g) praxi medicinae infallibili annectendum curauit. Longe alia mens fuit IO. BOHNIO in *Libris duobus de officio medici duplici, clinici nimirum & forenſis, hoc eſt, qua ratione ille ſe gerere debeat penes infirmos pariter, ac in foro, vt medici eruditi, prudentis & ingenui nomen vtrinque tueatur*, Lipſiae 1704. 4. diuulgatis. Quae autor hic proponit, ea prius in diſſertationibus, h) quae ſingulae prodierunt in lucem, tradiderat: has ipſas poſtea in vnum corpus coegit, vnde dicti duo libri exſtiterunt, iique tales, vt omnium tulerint vbique ſuffragia.

f) Lateatne ſub hoc nomine IAC. BARNERVS? quae quorundam fuit coniectura; incertum eſt.

g) Vid. Praecedentem ſect. II. huius capitis, §. 10.

h) Vid. *Bibliothecae Meibomianae* part. III. pag. 132.

§. IV.

Quemadmodum enarrati hactenus autores circa officia medici generalia fuerunt occupati; ſic alii i) contra anguſtioribus ſe ipſi circumſcripſere terminis, ſoli medicinae forenſi ſuam addicentes operam: ex quibus, qui nunc ſequuntur, commode hic ſuum tueri poſſe locum videntur. FORTVNATI FIDELIS *De relationibus medicorum libri quatuor* k), *in quibus ea omnia, quae in forenſibus ac publicis cauſſis medici referre ſolent, pleniſſime tractantur*; referendi veniunt in numerum primariorum huius generis ſcriptorum, feliciumque ingenii foetuum. PAVLI ZACCHIAE *Quaeſtiones medico-legales*, quarum iam ſupra cum laude l) mentionem feci, maiora & plura, eo quod plenius de hoc argumento egerit autor, tulerunt ſuffragia. PAVLI quoque AMMANNI *Medicina critica, ſeu, deciſoria*, Erfurti 1670. 4. lingua germanica euulgata, tam beneuole fuit excepta, vt CHRIST. FRANC. PAVL-

LINI dignam eam haberet, quam in latinam m) transfunderet linguam.

i) Plura de his quem nosse iuuat, adeat ANDR. OTTOM. GOELICKII *Introductionem in historiam literariam scriptorum, qui medicinam forensem commentariis suis illustrarunt*, nouem constantem quaternionibus, autorisque Francofurti ad Viadrum anno 1723. 4. diuulgatae *Medicinae forensi, demonstratiua methodo traditae*, annexam.

k) Impressi hi primum fuere Panormi 1602. 4. tum Venetiis 1617. pari forma excusi denuo; denique, curante PAVLO AMMANNO, Lipsiae 1674. in 8. recusi.

l) Vid. tom. I. cap. VI. Sect. III. §. 7.

m) Inscriptione instructam sequente: PAVL. AMMANNI *Medicina critica, seu, decisoria, centuria casuum medicinalium, in Concilio facultatis medicae Lipsiensis resolutorum, comprehensa, ac variis discursibus aucta, & latinitate donata opera* CHRIST. FRANC. PAVLLINI. Stadae 1677. 4.

§. V.

Saeculo octauo & decimo hoc genus scriptorum luculenter accreuit. IO. FRID. ZITTMANNI *Medicina forensis*, germanice scripta, *das ist, eröffnete Pforte zur Medicin vnd Chirurgie, anweisend einer hochlöblichen medicinischen Facultät zu Leipzig ertheilte Aussprüche vnd Responsa über allerhand schwere, zweifelhafte vnd seltene von anno 1650. bis 1700. vorgekommene vnd in die medicin auch chirurgie laufende Fragen vnd Fälle*, Francofurti ad Moenum 1706. 4. diuulgata ipso titulo profitetur libri argumentum. MICH. BERNH. VALENTINI *Pandectae* n) *medico-legales. Nouellae* o) *medico-legales & authenticae medico-legales*, singulae initio diuulgatae, postea vero titulo instructae: MICH. BERN. VALENTINI *Corpus iuris medico-legale*, vna cum nonnullis augmentis, Moeno-Francofurti 1722. fol. iunctim editae, longe amplius patent. ANDR. OTTOM. GOELICKII *Medicina forensis*, cuius iam praecedente paragrapho faciebam mentionem, exhibet vnicam p) tantum decadem quaestionum medico-forensium; ea contra IO. FRANC. LOEW *Theatrum medico-iuridi-*

cum, continens varias & notabiles, tam ad tribunnalia ecclesiastico-ciuilia, quam ad medicinam forensem, pertinentes materias, Norimbergae 1725. 4. excusum, circa longe plures casus & quaestiones occupatum tenetur.

n) *Seu, Responsa medico-forensia ex archiuis academiarum celebriorum, scriptisque probatissimorum medicorum depromta, ac exterorum gratia latinitate donata* &c. Francofurti ad Moenum 1701. 4. Controuersiam hinc autori cum CAROLO FRIDERICO LVTHERO exortam esse, obiter tantum simul hic annotare volui.

o) *Seu, Responsa medico-forensia ex archiuis celebriorum facultatum academicarum continuata, cum introductione generali, directorii loco seruiente. Accedit supplementum Pandectarum medico-legalium apologeticum* Francofurt. 1711. 4.

p) Vid. Noua litteraria anni 1723. p. 839.

§. VI.

HERM. FRIDER. TEICHMEYERI *Institutiones* q) *medicinae legalis vel forensis*, Ienae 1723. 4. in lucem editae publicam, & in actis eruditorum germanicis Part. XC. non adeo benigne recensitae, tot inuenerunt emtores, vt anno 1740., eodem in loco, eademque forma, tertium recudendae fuerint. MICH. ALBERTI *Systema Iurisprudentiae medicae, quo casus forenses, a ICtis & medicis decidendi, explicantur*, tribus r) constans tomis, est de numero praestantissimorum ac perfectissimorum huius indolis operum. Pari ratione ERNESTI quoque EVSEBII RICHTERI *Digesta medica, seu, decisiones medico-forenses*, Lipsiae 1731. 4. impressae; nec non CHRIST. GOTTL. TROPANNEGERI *Decisiones medico-forenses*, in quibus cum propria eius ipsius, tum aliorum, nec non diuersarum facultatum medicarum, iudicia & responsa de LXX. rarioribus atque difficilioribus casibus exhibentur, Dresdae 1733. 4. euulgatae, haud inutiliter consuli poterunt. His denique omnibus IO. DAN. GOHLII *Medicina practica, clinica & forensis; seu collectio casuum rariorum ac notabiliorum medico-clinicorum, chirurgicorum ac forensium, partim responsis*

ac

ac epicrisibus, partim sectionibus anatomicis, illustratorum, cum vita autoris, edita a SAMVELE SCHAARSCHMIDIO, Lipsiae 1735. 4. impressa iure meritoque est adiicienda.

q) *In quibus praecipuae materiae ciuiles, criminales & consistoriales, secundum principia medicorum decidendae, ex recentissimis atque optimis eorum hypothesibus erutae, traduntur.*

r) Quorum Tomus I. Halae 1725. Tomus II. Schneebergae 1729. & Tomus III. itidem Schneebergae 1733. 4. lucem salutauerunt litterariam.

CAP. VII.

DE SCRIPTORIBVS PHARMACEVTICIS.

CONTENTA:

Instituti ratio §. *1.* *Scriptores pharmaceutici graeci*, §. *2.* *Latini* §. *3.* *Arabes* §. *4.* *Latino-barbari* §. *5.* *Scriptores pharmaceutici generales saeculi XVI.* §. *6--10.* *Saeculi XVII.* §. *11--16.* *Saeculi XVIII.* §. *17. 18.* *Scriptores pharmaceutici speciales* §. *19. 20.* *Scriptores de formulis medicamentorum praescribendis* §. *21. 22.*

§. I.

Quem ad modum saeculis duobus proxime elapsis res anatomica atque chirurgica haud exigua cepit incrementa, terminosque suos vlterius mouit: eundem ad modum sane pharmaceutica quoque ars, tam variis, chemicis pariter ac exoticis, hoc temporis decursu innotescentibus remediis, se quoque pomoeria sua longius protulisse, iure gloriari potest. Quumque adeo numerus scriptorum, ad *galenicam & chemicam* a) pharmaciam spectantium, in infinitum prope excreuerit: equidem horum potiores tantum, ordine chronologico seruato, in censum prouocare,

iudicia de iis doctorum virorum passim adnectere, sub calcem denique capitis huius optimos, qui de formulis praescribendis egerunt, autores paucis indicare, studebo.

a) Transmutatoria enim Chemia, praesenti quidem in loco, consideranda plane non venit.

§. II.

Quandoquidem igitur scriptis pharmaceuticis medicorum, quos graecia olim tulit, iisque dudum deperditis b), diu immorari, instituti mei non permittit ratio; de CLAVDII saltim GALENI & NIC. ALEXANDRINI, seu, MYREPSI, superstitibus operibus monere quaedam licebit. IO. enim ACTVARII *Librum, de compositione medicamentorum*, quem IO. RVELLIVS, e versione sua latina, ceu peculiarem librum edendum curauit, quod attinet; iam supra c) annotare me, memini, partem eum tantummodo esse methodi medendi, ab isthoc medico conscriptae. A CLAVDIO contra GALENO relicti sunt nostrae artis salutaris cultoribus, non solum *Libri VII. de compositione medicamentorum secundum genera*, & *Libri X. de compositione medicamentorum secundum locos*; sed etiam *Libri II. de antidotis*, & *Liber I. de remediis paratu facilibus*, qui tam in operibus illius iunctim impressis, quam singuli d) editi, haberi possunt. NICOL. vero ALEXANDRINVS, eiusque *Opus de compositione medicamentorum*, cur hic me moretur, non est; quum tomi prioris, capitis secundi, sectionis I. §. 19. ea, quae necessaria scitu erant, de ipso in medium adtulerim.

b) Namque e. c. HIPPOCRATEM, MANTIAM, HERACLIDEM TARENTINVM, ASCLEPIADEM, HERAM CAPPADOCEM, CRITONEM, ARCHIGENEM, PHILIPPVM, MENECRATEM, ANDROMACHVM &c. peculiares huius generis consignauisse libros, hoc loco breuiter & in transitu veluti obseruasse iuuit.

c) Vid. Tom. I. cap. II. sect. I. §. 18.

d) Ita v. gr. *Libri VII. de compositione medicamentorum secundum genera, interprete* IOANNE GVINTERIO ANDERNACO, Lutetiae Paris.

Parif. anno 1530. fol. *Libri X. de compositione medicamentorum secundum locos*, *interprete & commentatore* IANO CORNARIO, Basileae anno 1537. fol. *Libri II. de antidotis, & Lib. I. de remediis paratu facilibus*, *interprete* IO. GVINTERIO, ANDERNACO, Parif. 1533. fol. singulatim in publicum prodiere.

§. III.

Latinos medicos quod attinet, oppido pauci eorum funt inuenti, qui peculiaria de hoc argumento fcripta nobis reliquerint. Infuper enim habitis nec huc relatis iis, quae CELSVS, libris quinto & fexto de medicina, hac de re confignauit; folis, SCRIBONIO LARGO, & MARCELLO BVRDEGALENSI, locum hic aliquem concedi debere, apparebit. Quum igitur de SCRIB. LARGI *Compofitionibus medicis* tom. I. cap. II. fect. II. §. 2. iam dixerim, nec minus de MARCEL. BVRDEGALENSIS *Opere de medicamentis* ibidem §. 6. egerim, commode eodem lectorem remittere poffum.

§. IV.

Maioris, hoc refpectu, momenti funt arabum medici. Vt enim taceam, primos e) fuiffe eos, qui non nullorum, licet perpaucorum, chemicorum mentionem fecerunt remediorum; iidem etiam praeterea non folum multis antea incognitis f) fimplicibus pharmaciam auxerunt, fed primi quoque docuerunt, qua ratione faccharo decocto omnis generis fimplicia condiri & in longum temporis fpatium conferuari queant: vnde fucceffu temporis tam variae fpecies g) fyruporum, iulapiorum, conferuarum, electuariorum &c. funt exortae. E numero autem fcriptorum huius gentis huc fpectantium cum primis in cenfum venire poterunt AVICENNA, MESVE & BVLCASIS. Horum *Primi Antidotarium*, quod vocat, in libro quinto h) canonis eius inuenitur, eftque eo difpofitum pacto, vt primo loco compofitiones medicae fecundum genera, fecundo autem compofitio-

tiones secundum locos, habita omnium ita dictarum circumstantiarum ratione, percenseantur. Eundem ordinem MESVE etiam in *Antidotario* suo, partim separatim i), partim, idque saepissime, vna cum reliquis huius autoris operibus iunctim k) impresso, fuit sequutus. Ea contra, de BVLCASIS *Libro de praeparatione medicinarum simplicium*, qui, inscriptus, *Liber* SERVITORIS, modo seorsim l) fuit impressus, modo, idque creberrime, recens nominatis operibus MESVES adiectus m); iam tom. I. cap. II. sect. III. §. 9. docui, nihil eum esse aliud quam particulam ita vocati operis *Al-Tasrif* ALSAHARAVII, seu, ALBVCASAE; in cuius quippe operis libro vicesimo septimo inueniri potest atque legi.

e) Vid. *Historiam medicinae Stollianam* p. 765. sqq.

f) Huc referantur: Tamarindi, Myrobalani, Senna, Manna, Cassia fistularis, Rhabarbarum, Camphora, Moschus, Macis, Nux moschata &c.

g) Vid. CLERC *Histoire de la medecine* p. 771. sequ.

h) Vid. Tom. I. cap II. sect. III. §. 6.

i) IOAN. MESVE *Grabadin, quod est, Aggregatio & Antidotarium electuariorum, & confectionum, extractum ab originali, correctum ac emendatum per* IOANNEM THEOBALDI & MARCVM DE PAPIA. Edit. antiquiss. sine loco & anno, fol. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* p. 538.

k) Vid. Tom. I. cap. II. sect. III. §. 8.

l) Liber SERVITORIS *de praeparationibus medicinarum, tam lapidum, mineralium, quam radicum, plantarum, ac etiam medicinarum ex animalibus sumptarum, cum earum ablutione, adustione, confectione & reseruatione.* Edit. antiquiss. sine loco & anno. fol. Vid. *Bibliothec. Riuinian.* pag. 538.

m) Vid. Tom. I. cap. VII. sect. II. §. 14.

§. V.

Inter latino-barbaros, qui vocantur, medicos, arabum potissimum vestigia prementes, perquam n) multi sunt inuenti, qui, partim commentariis in MESVEN elucubratis, partim proprio marte compositis libris, pharmaciam magis magisque illustrare studuerunt. Verum enimuero quum euulgati hoc de argu-

gumento tractatus exigui o) ſint momenti, noſtraque aetate plane obſoleuerint; eo magis hoc loco eorundem recenſione ſuperſedere potero, quando iam ſuperius p) obſeruaui, eos diuerſis editionibus operum MESVES iunctim editorum fuiſſe annexos. Veruntamen, quum, praeter opuſcula illa MESVEN plerumque ſtipantia, QVIRICI DE AVGVSTIS *Lumen apothecariorum*, *ſeu*, *Luminare minus*, deinde IO. IAC. MANLII DE BOSCO *Luminare maius*, & PAVLLI denique SVARDI *Theſaurus aromatariorum*, illo aeuo tantae fuerint & exiſtimationis & autoritatis, vt frequentius vna collectione q), ac veluti Triga quadam, luci ſint expoſita publicae; ſufficiet, paucis ſaltem hic adnotaſſe, iam dudum accidiſſe, vt luminaria iſthaec, tam ſplendidam olim in coelo medico emittere lucem viſa, ſiue minorum, ſiue maiorum veniant nominibus, ſplendorem ſuum perderent, immo, veluti eclipſin paſſa, adeo penitus obfuſcarentur, vt hodie rarorum quidem, minus tamen vtilium, librorum numero ſint accenſendi.

n) Ex. gr. SALADINVS DE ESCVLO; PETRVS DE ABANO; NICOLAVS PRAEPOSITVS; IOANNES PLATEARIVS; GENTILIS FVLGINAS; FRANCISCVS DE PEDEMONTIO; IOANNES DE S. AMANDO; IACOBVS DE PARTIBVS; CHRISTOPH. DE HONESTIS &c. Sic & IOANNIS AEGIDII, CORBOLIENSIS, *Libri de Antidotis*, hactenus conſtanter intra manu exaratorum operum ſcrinia abſconditi, a POLYCARPO demum LYSERO, *in hiſtoria poëtarum medii aeui*, haud ita pridem, obſtetricante prelo, in lucem litterariam fuerunt extruſi.

o) Conferatur *Hiſtoria medicinae litteraria Stolliano* nomine edita, pag. 769. ſequ.

p) Vid. Tom. I. cap. VII. ſect. II. §. 14.

q) Vid. *Kurtze Nachrichten von den Büchern und deren Urhebern in der Stolliſchen Bibliothec*, part. XIII. p. 403. ſqq. vbi de hac ipſa collectione ex inſtituto ſcripſi.

§. VI.

Magna illa pharmaciae reformatio, quam ſaeculo poſt natum ſeruatorem ſexto & decimo moliebatur *) PARACELSVS, ingentes quidem inter iſtius aeui me-

medicos excitabat turbas; eorum tamen plerique, quod suspectus nec periculi expers videretur illis internus medicamentorum vsus chemicorum, ita dictis galenicis r) inhaerere medicamentis consultius ducebant; id porro iisdem simul curae erat cordique, vt circumspicerent, qua ratione errores in vsitatis tum temporis compositionibus medicis, tum ab arabibus, tum a latino - barbaris, mox circa praeparationem, mox circa misturam, mox circa, vocatam ita, dosin ingredientium, quae dicunt, commissos, quantum in ipsis erat, & quatenus scientia & vires eorum fieri hoc sinebant, emendare possent: ita, vt vtilia atque necessaria ab inutilibus & superfluis secernerent; id vero quod caput ac summa rei erat, pharmaciae meliorem faciem induerent, solidioribusque eandem fundamentis superimponerent. Meum igitur erit, potissimos scriptorum, qui e Germanis, Gallis atque Italis s), saeculo modo dicto, saxo isti voluendo manum admouerunt, citra ambages, & facto veluti viae compendio, recensendos excitare.

*) Consulatur STOLLII *Historia medicinae* pag. 774. seq.

r) Hoc nomine omnes illas compositiones intelligendas venire, quae arte chemica non parantur, etiamsi GALENO ignotae omnino fuerint, monui in Lexico doctorum medicorum Articul. GALENVS, pag. 328. sequ. contra illos, qui secus hic sentientes, putant, GALENVM pro autore & inuentore eius nominis remediorum esse habendum: quum tamen luce meridiana clarius pateat, GALENVM omnium praeparatorum, quae ope sacchari eliquati conficiuntur, quaeque omnia omnino *galenicis* remediis accenseri solent, ne minimam quidem habuisse notitiam.

s) Breuitati nisi studerem, ex Hispanorum medicis, FERDINANDI DE SEPVLVEDA *Manipulum medicinarum, in quo continentur omnes medicinae, tam simplices quam compositae*, Salmanticae 1523. fol. diuulgatum; porro, FERDINANDI MENAE, *Tractatum de compositione medicamentorum*, Compluti 1558. 8. typis exscriptum; dein IOANNIS FRAGOSI *Antidotarium*. Matriti 1581. fol. excusum; denique SIMONIS DE TOVAR *Nouam methodum de compositorum medicamentorum examine*, Antwerpiae 1586. 4. emissam prelo; variosque alios libros allegare potuissem. Quoniam vero ad emendandam pharmaciam parum contulerunt, diutius in hac

natione

natione fubfiftere nolui: maxime, quum de eorum ex materia medica partis meritis, vt et de fimplicibus exoticis, quae, detecta America, gens ifta nota reipublicae medicae fecit atque diuulgauit, iam fupra fim loquutus.

§. VII.

Germanos quod attinet, VALERIVS CORDVS, ADOLPHVS OCCO, *Tertius*, GEORG. MELICHIVS, & IO. IAC. WECKERVS, prae reliquis t), laudem hac ex re funt confequuti. VALER. CORDI *Difpenfatorium pharmacorum omnium, quae in vfu potisfimum funt*, qui liber diuerfis in locis u), variisque chartae formis, multoties w) prelis prodiit, cum fcholiis & correctionibus PET. COVDENBERGII, Norimbergae 1592. fol. excufus, ibidemque, cum collegii medici Norimbergenfis additamentis, anno 1666. folio plenisfime recufus fuit, autori fuo, iuueni tum, tantam conciliauit exiftimationem x), vt, cum intra, tum extra Germaniam, omnium fere fuffragia tulerit. Pari, fi non maiore y), applaufu gauifa fuit ADOLPH. OCCONIS *Pharmacopoeia* z) *Auguftana*, de cuius frequentioribus a) editionibus, fubfequutis emendationibus, quosque experta eft, tum aduerfariis, tum patronis feu defenforibus, IAC. BRVCKERI *Hiftoria vitae* ADOLPHOR. OCCONVM pag. 55. feqq. confuli meretur. GEORG. MELICHII *Difpenfatorium* b) *medicum*, ab autore lingua Hetrufca editum, a SAMVELE autem KELLERO ciuitate donatum romana, bonae in CONRINGII c) *Introductione* habetur notae. Idem modo nominatus vir doctus, in eodem libro, de IO. quoque IAC. WECKERI *Antidotario* vtroque, *fpeciali & generali*, particulatim primum d) luci expofito, poftea vero Bafileae anno 1595. 4. iunctim impreffo, honorifice admodum e) pronunciauit: ea contra LEONH. FVCHSII f) *Libri IV. de compofitione medicamentorum*, BERNH. DESSENNII g) *Libri X. de compofitione medicamentorum*, & QVINTI denique APOLLINARIS h) *Liber*, germanice fcriptus,

ptus,

ptus, *Handbüchlein vnd Experimenta vieler Artzeneyen*, Norimbergae 1551. 8. excusus, commendatione eiusdem digni haud i) sunt habiti.

t) Studio ergo factum, vt a me hic praetermitterentur IOANNIS KVEFNERI *Pharmacopoliterion*, Ingolstadii 1542. 8. IOAN. PLACOTOMI *Pharmacopoeia & dispensatorium*, Antwerpiae anno 1560. 12. & CASP. SCHWENCKFELTI *Thesaurus pharmaceuticus*, Basileae 1587. 8 impressa nec non notissimi illius plagiarii, GVALTERI HERM. RYFFII, germanica lingua editus liber, *Confect-Buch vnd Hauß-Apotbecke*: vna cum aliis quibusdam.

u) Ex. gr. Norimbergae, Luteiiae Parisiorum, Antwerpiae, Lugduni, & gallorum, & batauorum; & Lugduni batauici quidem annis 1627. & 1652. in 12. cum additamentis quibusdam PET. COVDENBERGII, MATTHIAE LOBELII, GVIL. RONDELETII & FRANCISCI DISSALDEI fuit excusum, MATTHIOLI vero annotationes in rubro quidem promittuntur, nihil vero earum in nigro inuenitur.

w) Vid. LINDEN. *renouat.* pag. 1035. Dubito autem, quantum spectat ad primo ibi loco nominatam editionem Norimbergensem, rem ita se habere, reuera videlicet hoc opus iam anno 1535. 8. editum fuisse. ADAMVS enim in *Vitis medicorum germanorum* pag. 47. expressis verbis scribit: Liber de ratione componendorum pharmacorum omnium, quae in vsu saltem sunt, *a morte auctoris, iussu senatus Norimbergici, vt praefatio editionis priscae prae se fert, est editus*: & non solum a medicis approbatus ac pharmacopoeis commendatus, sed etiam crebro in germania, & extra eam, cum singulari auctoris laude recusus, vtpote quo absolutius aut emendatius in hoc genere nihil hactenus diuulgatum sit. Quum igitur CORDVS anno 1544. aetatis vndetrigesimo, Romae sit mortuus, neque veri videatur simile, eum iam anno 1535. adolescentem viginti nempe tum annorum, dexteritatem ad tanti momenti negotium suscipiendum necessariam habuisse; facile equidem crediderim, in numerorum signis hic vitium subesse, & pro 1535. legendum esse 1545.

x) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. XI §. XI. Cumprimis autem rem pharmaceuticam restituere primus omnium est aggressus VALERIVS CORDVS, magnae doctrinae & excellentis ingenii iuuenis, dispensatorio in vsum pharmacopolii reipublicae Norimbergensis tanta felicitate conscripto, vt omnes Europaei, aeterna cum hominis laude, industriam eius secuti sint. Quin vsque adeo illud opusculum passim probatum fuit, vt per Italiam & Galliam in permultas pharmaceuticas officinas fuerit receptum.

y) Vid. CONRING. cit. libr. cap. XI. §. 12. In Germania circa hanc rem imprimis laborauit collegium medicum Augustanum, promouente praecipue id opus prae aliis ADOLPHO OCCONE, & post eum, RAY-

RAYMVNDO MINDERERO. Atque hoc est illud opus, quod vulgo Pharmacopoeia Augustana vocatur: quae iam octies, semperque auctius, edita obscurauit pene famam dispensatorii antiqui Norimbergensis, siue, VALER. CORDI. Quanquam enim Norimbergenses dispensatorium suum maiori opera recudi curauerint, praeualuit tamen Augustani autoritas, ita vt pleraeque vniuersae Germaniae officinae pharmaceuticae normam illius quam maxime sequantur.

z) Primae editionis, quae anno 1564. Augustae Vindel. lucem salutauit publicam, inscriptio est isthaec: *Pharmacopoea, seu, Medicamentarium, pro Republica Augustana, cui accessere simplicia omnia, officinis nostris vsitata, & annotationes in eadem & composita, ab* ADOLPH. OCCONE, *eiusdem reipublicae medico, diligenter congesta.* Eundem de cetero librum, viuo etiamnum autore, ibidem annis 1577. in fol. 1578. in 12 & 1580. pari forma, recusum, deinde a RAYMVNDO MINDERERO, IOANNE HENISIO & LVCA SCHROECKIO, iuniore, multis augmentis locupletatum, in melius mutatum, emendatum, nec non ab vltimo loco nominato viro docto contra IOAN. ZWELFFERVM defensum fuisse; ea omnia diligenter a IAC. BRVCKERO exposita lector inueniet loco iam excitato.

a) Vid. BRVCKERVS l. c. vbi inter alia legitur, Editionem Augustanam anni 1613. fol. a MINDERERO curatam, non solum prolegomenis lectu dignis, sed & Taxa, quam vocant, medicamentorum, stipatam primum comparuisse; eam vero, quam IOAN. HENISIVS anno 1640. fol. euulgauit, prima vice Mantissa medicamentorum chemicorum auctam; denique illam, quae LVCA SCHROECKIO obstetricias manus adferente, anno 1684. & 1710. lucem adspexit, optimam esse atque perfectissimam.

b) GEORG. MELICHII *Dispensatorium medicum, siue, de recta medicamentorum, quorum hodie vsus est, parandorum ratione commentarii, medicis ac pharmacopoeis vtilissimi: ex Italico in latinum sermonem conuersi a* SAMVEL. KELLERO. Witteberg. 1586. 4. Francofurti 1601. 12. 1624. & 1657. 8. cui postremo loco indicatae editioni titulus est praemissus: *Armamentarium medicum.*

c) Cap. XI. §. 12. Longe melius est dispensatorium GEORG. MELICHII, pharmacopolae, medicamentorum componendorum peritissimi, in quo multa certe praeclara continentur.

d) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 616. & *Bibliothec. Riuinian.* pag. 542. vbi docemur, *Antidotarium speciale* Basileae 1561. & 1577. 4 *Antidotarium* vero *generale* ibidem loci anno 1580. & 1586. 4. seorsim vtrumque, prodiisse in lucem; insequuto autem tempore Basileae annis 1601. 1617. & 1642. 4. iunctim impressum, in vnum coiisse opus.

e) In *Introduct. in art. medic.* cap. XI. §. 12. Cum fructu quoque legi potest Antidotarium geminum WECKERI. In SCHENCKII *Bibliotheca medica* pag. 315. appellatur: opus sane laboriosum.

f) Horum initio tres tantum libri Basileae 1541. postea vero quatuor Lugduni 1563. 12. in conspectum orbis litterati prodiere, qui etiam in operum eius iunctim Moeno-Francofurti anno 1566. fol. editorum, tomo primo legi possunt.

g) BERNH. DESSENNII, CRONENBVRGII, *De compositione medicamentorum, bodierno aeuo apud pharmacopolas passim exstantium, & quo artificio eadem recte parari queant, cum simplicium atque aromatum, quibus consistunt, expositionibus, ac plerorumque omnium delectu, libri decem.* Francofurti 1555. fol. Lugdun. 1556 8.

h) Vid. *Bibliothec. Meibomian.* part. III. p. 128.

i) De FVCHSIO enim in allegata modo Introductione cap. XI. §. 5. ita pronunciatur: Primo loco memorandus venit saepius laudatus FVCHSIVS, conscripto de componendis medicamentis opere, quod tamen prolixum magis est, quam exactum. Et §. XI. iterum scribit: In eodem argumento, sed minori cum successu, laborauit LEONH. FVCHSIVS, & BERNH. DESSENNIVS. De APOLLINARI autem §. XII. haec leguntur: A non nullis etiam multum commendari solet QVINTVS APOLLINARIS, qui tamen nobis nunquam sese probare potuit.

§. VIII.

Ex ordine medicorum gallicanorum, IAC. SYLVIVS, IO. FERNELIVS & ANVT. FOESIVS, prae reliquis, k) locum hic tueri poterunt. Ab horum primo non tantum *Methodum* l) *componendi medicata ex simplicibus, quatuor libris distributam*, sed *libros* etiam illos, GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERO m) tanti aestimatos, *Tres* n) *de medicamentorum simplicium delectu, praeparationibus & mistionis modo*, accepimus: qui tractatus vterque crebrius antea seorsim diuulgatus, postea memoratis iam in antecedentibus o) IAC. SYLVII operibus medicis fuit insertus. IO. FERNELII *Dispensatorium*, seu, de compositione medicamentorum, liber, libris ipsius VII. therapeuticis, seu, de ratione medendi, adiectum, insequuto autem tempore, scholiis GVIL. PLANTII atque FRANC. SEGVIERII illustratum, separatim p) quoque impressum, adeo HERM. CONRINGIO semet pro-

probauit, vt plus simplici vice q) idem opus omnibus reliquis huius argumenti libris longe praeferret. Pari ratione & ANVTII FOESII *Pharmacopoeia, medicamentorum omnium, quae hodie in officinis exstant, tractationem & vsum ex antiquorum medicorum praescripto continens*, Basileae anno 1561. 8. impressa, multorum superiore aetate tulit r) suffragia.

k) Neque enim, circa SYMPHORIANI CAMPEGII *Castigationes pharmacopolarum, siue Apothecariorum, ac arabum & aliorum iuniorum medicorum*, Lugduni 1532. 8. excusas; vel, circa GVILIELMI RONDELETII *Dispensatorium*, Coloniae 1565. 12. signatum typis; vel alios horum similes, longas moras nectere, consultum mihi fuit visum: vtut posteriori loco citatus liber a IO. RHODIO in *Introductione ad medicinam* pag. 135. haud vulgari elogio fuerit ornatus.

l) Lutetiae 1541. 8. 1544. fol. & Lugd. 1548. 8. & 1558. 12.

m) Vid. *Eius additamenta ad introductionem Conringianam*, vbi ad Capitis XI. §. 5. haec habes: Perelegans sane & doctissimus est libellus IAC. SYLVII de medicamentorum simplicium delectu, praeparationibus, & mistionis modo, Lugduni exscriptus 1555. In hoc & pharmacopoeum & vniuersam officinam instruit, dignusque est, qui in vernaculam translatus iis assidue legatur.

n) Paris. 1542. 8. Lugduni 1555. 12. 1565. 12. & 1584. 16.

o) Vid. tom. I. cap. V. §. 10.

p) Et quidem rubrica insignitum isthac: IO. FERNELII *Pharmacia. Cum* GVIL. PLANTII & FRANC. SEGVIERII *Scholiis. In vsum pharmacopoeorum nunc primum edita.* Hanouiae 1605. 12. Quam benigne hac de editione CONRINGIVS iudicauerit, testatur *Introductio in art. medic.* Cap. XI. §. 12. vbi haec leguntur: Inter Gallos IO. FERNELII Dispensatorium, quod in Therapeuticis eius reperitur, non dubitamus anteferre, vtpote quod magno iudicio ab illo conscriptum sit, licet rationes non addiderit: quas tamen postmodum adiunxit, multis etiam emendatis, doctissimis scholiis GVIL. PLANTIVS, *Cenomanus.* Prolixius id ipsum egit FRANC. SEGVIERIVS commentariis itidem longe doctissimis.

q) Videatur excitata modo *Introductio in art. medic.* Cap. XI. vbi, praeter iam allegata verba, §. 5. scribit: FERNELIVS hanc ipsam artem pharmaceuticam vsque adeo praeclare est persecutus, vt omnibus aliis vnum illum praeferendum esse censeamus. Et iterum, Cap. VII. §. XI. FERNELII libri therapeutici de compositione medicamentorum omnibus sunt praeferendi, qui tanta industria

ſunt conſcripti, vt ſatis commendari non poſſint, vt quibus tuto fidem adhibere liceat.

r) Vid. CONRING. cit. lib. cap. XI. §. 12. Silentio neutiquam praeterenuda eſt, inquit, Pharmacopoea ANVTII FOESII, quae, vt reliqua omnia eius viri monumenta, magna laude confecta eſt.

§. IX.

Italorum medici dicto ſaeculo decimo ſexto florentes plurimum & ipſi circa hanc rem ſibi facesſiuerunt negotii. Neque enim ſolum collegia quaedam celeberrimarum Italiae vrbium medica, ad exemplum VALER. CORDI, peculiaria antidotaria edenda curauerunt; ſed ab aliis quoque doctis viris varia ad rem pharmaceuticam ſpectantia ſcripta fuerunt euulgata. Ad claſſem priorem referenda veniunt ſequentia: *Antidotarium Mantuanum, a medicis Mantuanis ex multis autoribus collectum, caſtigatum, digeſtum, cuius prima ſectione deſcriptiones compoſitorum medicamentorum, quae in vſu ſunt, continentur; ſecunda ſimplicia quaedam medicamenta declarantur, & non nulla quae ad parandi modum attinent.* Venet. 1559. 8. *Pharmacopoea, ſeu, de vſitatorum medicamentorum componendorum ratione liber, collegii medicorum Bergomenſium opera, nunc primum in lucem editus.* Bergomi 1580. 4. *Antidotarium Romanum, ſeu, modus componendi medicamenta, quae ſunt in vſu.* Venet. 1585. 12. *Antidotarium Bononienſe*, Bonon. 1574. 4. & *Antidotarium Florentinum, ſiue, de exacta componendorum miſcendorumque medicamentorum ratione libri tres, omnibus pharmacopoeis longe vtilisſimi, ex graecorum, arabum, & recentiorum medicorum ſcriptis maxima cura & diligentia collecti. Nunc vero primum ex italico ſermone latini facti, a* CAROLO CLVSIO. Antwerp. 1561. 8. Sciendum autem, poſteriora duo Antidotaria, Bononienſe videlicet ac Florentinum, omnibus reliquis huius nationis antidotariis praelata s) iam dudum fuiſſe.

s) Vid. CONRINGII *Introduct. in art. medic.* Cap. XI. §. 12. Imitati autem ſunt non nulli VALERIVM CORDVM, cumprimis quae-

quaedam medicorum collegia. Ita per Italiam quam maxime hodie vtuntur Antidotario Florentino & Bononiensi, per VLYSSEM ALDROVANDVM potissimum emendato, quod vtrumque magni est nominis.

§. X.

Quoad scripta pharmaceutica reliquorum, quos Italia dedit, medicorum, quae scilicet non sub nomine collegii cuiusdam medici, iunctis operis aliquid scribentis, sed priuato cuiusque autoris nomine, diuulgata fuerunt, sequentibus t) optimo iure locus hic aliquis a me concedi poterit. ANTON. MVSAE BRASAVOLO, cuius merita iam superius u) me laudare memini, debemus *Examen omnium simplicium* w), *quorum vsus est in publicis officinis; Examen omnium syruporum* x), *quorum publicus vsus est; Examen omnium electuariorum* y), *pulverum & confectionum catharticarum, quarum vsus est in officinis; Examen omnium loch* z), *id est, linctuum, suffuf, id est, puluerum, aquarum, decoctionum, oleorum, quorum apud Ferrarienses pharmacopolas vsus est; Examen omnium catapotiorum* a) *vel pilularum*; & *Examen omnium trochiscorum* b), *vnguentorum, ceratorum, emplastrorum, cataplasmatum, & collyriorum:* quae quippe omnia & singula lectu digna iudicauit CONRINGIVS c). GABR. FALLOPPII *De compositione medicamentorum liber*, Venetiis anno 1570. 4. separatim impressus, successu temporis operibus eius omnibus, iam supra d) recensitis, insertus fuit: FRANC. ALEXANDRI *Apollo* e) *omnem simplicium & compositorum medicamentorum normam fulgore suo irradians*, & AVICENNAE, PLINII, MATTHIOLI, BRASAVOLI, AMATI, PRAEPOSITI, FVCHSII, LEONICENI, SYLVII, CORDI, MANARDI, CARDANI, *ceterorumque graecorum, arabum & latinorum infinitos ac insignes errores, verissimis rationibus & argumentis contundens*, Venet. 1565. fol. plura in iactabundo f) promittit titulo, quam opus ipsum lectori exhibet. Ea contra, MARC. ODDI *Methodus exactissima*

& dilucidissima de componendis medicamentis, & aliorum diiudicandis, Patauii 1583. 4. exscripta typis, nec non HIER. MERCVRIALIS *Tractatus* g) *de compositione medicamentorum*, a PETRO CASTELLO h) optimis huius generis scriptoribus adnumerantur; posterioris quoque liber a CONRINGIO i) peculiari encomio est ornatus.

t) Circa GVIL. SERAPHINI *Libros III. de compositione medicamentorum omnium*, Tridenti 1594. 4. impressos, moras nectere non lubuit. VICTORIS TRINCAVELLI *Libri IV.* autem *de compositione & vsu medicamentorum*, Venetiis anno 1571. in 4. separatim editi, operis posthumi, cui vltima autoris manus defuit, laborant macula.

u) Vid. tom. I. cap. V. §. 16.

w) Lugduni 1537. & 1544. 8.

x) Venet. 1545. 8.

y) Venet. 1548. 8.

z) Venet. 1553. 8.

a) Basileae 1543. 4. Lugduni 1546. & 1556. 16.

b) Venet. 1551. 8. Lugd. 1555. 16.

c) In *introduct. in art. medic.* cap. XI. §. XI.

d) Vid. tom I. c. V. §. 13.

e) In LINDENIO, *renouato* p. 278. seq. liber iste titulo exornatus: *Phoebus medicorum*, inscriptione supra modum longa & sesquipedali veluti praenotatus allegatur. Forte rubrica illa Francofurtanae anno 1604. excusae, & anno 1613. 4. recusae editioni, praemissa habetur; quum e contrario Veneta in ipso paragrapho hoc adducta editio APOLLINIS praeferat nomenclaturam.

f) Vid. CONRINGII *Introduct. in art. medic.* c. XI. §. 12. Edidit non nemo, inquientis, librum titulo APOLLINIS, sed qui exspectationi non respondet.

g) Venet. 1590. 4. Francofurt. 1591. & 1601. 8.

h) Vid. *Eius Tractatum de optimo medico*, Sect. XII.

i) *Introduct. in art. medic.* cap. XI. §. 11. Insignem laudem meretur HIERONYMVS MERCVRIALIS scripto de compositione medicamentorum, vt & GABRIEL FALLOPPIVS.

§. XI.

Enumerati huc vsque autores quemadmodum maximam partem de galenicis saltem medicamentis sollicitos sese gesserunt: ita alii, ineunte saeculo decimo septimo, quando remedia chemica in officinas phar-

pharmaceuticas introduci sensim coepta sunt, de legitimo haec ipsa parandi modo potius consilia agitarunt. Ex Italis ergo ANGELVM SALAM, & e Gallis IOSEPHVM QVERCETANVM, IO. BEGVINVM & IO. RENODAEVM praetermisisse, nefas fuerit. ANG. SALAE tractatus, singuli initio k) diuersis in locis, & formarum diuersarum, modo italica, modo latina, modo teutonica lingua, euulgati, postea rubrica insigniti isthac: ANG. SALAE *Opera medico-chymica* l) *omnia*, Francofurti anno 1647. 4. & 1680. 4. latine iunctim impressa prodierunt, laudati HERM. CONRINGIO m), & multo magis HERM. n) BOERHAAVIO etiam celebrati. De IOS. QVERCETANI *Pharmacopoeia dogmaticorum restituta*, quae in sola Germania nostra, intra vnius anni o) spatium, ter fuit recusa, iam alibi p) me monere memini, eius autorem iactantiae vitio non posse liberum pronunciari. IO. BEGVINI *Tyrocinium chymicum*, Lutetiae anno 1608. 12. luci expositum publicae, deinde variis q) in locis, cum omnis generis additamentis, prelo repetitum, optime autem Amstelodami anno 1669. 12. vna cum commentariis GERARD. BLASII publicatum, olim in numero compendiorum chemicorum melioris notae locum *) meruit. De IOANNIS contra RENODAEI *Dispensatorio Galeno-chymico*, quod CONRINGIVS r) operosum potius, quam doctum, vocauit, id saltem annotasse iuuat, illud frequentius s) prelis fuisse substratum, optime vero Hanouiae 1631. 4. curante PETRO VFFENBACHIO, pessime e contrario Lugduni 1637. fol. diuulgatum, & a LVDOVICO quoque DE SERRES in gallicanam transfusum fuisse linguam.

k) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 58. seq.

l) Continentur: I. *Anatomae essentiarum vegetabilium.* II. *Hydrelaeologia.* III. *Tartarologia.* IV. *Saccharologia.* V. *Septem planetarum terrestrium explicatio* VI. *Aphorismi chymiatrici.* VII. *Chrysologia* VIII. *Descriptio auri potabilis* IX. *Tractatus de Antimonio.* X. *Anatomia Vitrioli.* XI. *Tractatus de natura & proprie-*

tate Vitrioli. XII. *Tractatus de peste.* XIII. *Antidotus pretiosa.* XIV. *Ternarius triplex Emeticorum, Bezoardicorum & Laudanorum.* XV *Exegesis chymiatrica.* XVI. *Myrothecium spagyricum.* XVII. *Appendix de puluere rosae vitae.*

m) *Introduct. in art. medic* c. XI. §. 6. Commendandus omnino est ANGELVS SALA, qui omnium optime de chemia pharmaceutica variis libris disseruit, atque prae aliis candide & sine fuco exposuit ea, quae ad experientiam chemicam spectant. Quanquam enim primi eius libri, quos sub aduentum suum in germaniam conscripsit, multum iactantiae habeant, posteriores tamen lectu sunt dignissimi. Vt quod de MAIMONIDE inter Iudaeos IOSEPHVS SCALIGER dicebat, idem de SALA asseuerare liceat: Primum eum inter chemicos nugari desiisse.

n) In *Methodo discendi medicinam* p. 194. seq.

o) Anno videlicet 1607. quo Giessae & Lipsiae in forma octopartita, Francofurti autem per quaterniones fuit impressa. Vid. LINDEN. *renou.* p. 711. vbi reliquarum etiam editionum datur elenchus: omissis tamen nihilo minus duabus, Lipsiensi nempe anni 1613. 8. atque Francofurtana anni 1615. 4.

p) Vide *Historiam medicinae Stollianam* p. 779. sq.

q) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 540.

*) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* c. XI. §. 6. Elegans & doctissimum compendium huius generis habemus IO. BEGVINI, Tyrocinii chymici titulo, quod insignibus notis partim CHRISTOPH. GLÜCKRADIVS, partim IEREM. BARTHIVS illustrauerunt.

r) Cit. lib. c. XI. §. 12.

s) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 666. vbi vero citata in textu editio, Lugdunensis aeque, ac Francofurtana anni 1615. 4., sunt praetermissae.

§. XII.

Apud Germanos, sub initia mox saeculi post decimum septimi complures hoc in argumento ingenii vires ostendere studuerunt. TOBIAE DORNKREILII *Dispensatorium* t) *nouum*, Vlysseae 1600. 4. impressum, pariter ac CONR. KHVNRATH germanice conscriptam *Medullam* u) *destillatoriam & medicam* plane praeterire ferme poteram: vtut prior horum librorum CONRINGIO in *Introduct.* cap. XI. §. 12. laudatus, vterque vero crebrius recusus fuerit. OSWALDI CROLLII *Basilicam chymicam, continentem philosophicam propria laborum experientia confirmatam descri-*

ſcriptionem, & vſum medicamentorum chymicorum ſelectiſſimorum, e lumine gratiae & naturae deſumtorum. Acc. eiusdem Tractatus de ſignaturis rerum internis, Francofurti 1609. 4. luci expoſitam publicae, aliquoties deinde recuſam, pleniſſime autem Geneuae 1658. 8. cum Additamentis IOH. MICHAELIS, diuulgatam, nec non ab anonymo quodam germanice verſam w), CONRINGIVS x) vtraque facie, & qua pulchra, & qua foeda apparet, viuis delineauit coloribus. De ANDR. LIBAVII *Syntagmate arcanorum* y) *chymicorum* GEORG. ERNEST. STAHLIVS z) iudicium tulit, autorem in hac collectione induſtriam rationi conſentaneam demonſtraſſe. IO. HARTMANNI *Notae in* CROLLII *Baſilicam* & BEGVINI *Tyrocinium*, in operibus eius omnibus, tomo I. cap. V. §. 25. recenſitis, inueniri poſſunt. De ANTON. GVNTH. BILLICHII *Exercitatione de natura & conſtitutione ſpagyrices emendatae*, Helmſtadii anno 1623. 4. typis exſcripta, & *Libris* II. *obſeruationum & paradoxorum chymiatricorum*, Lugduni bat. 1631. in 4. excuſis, CONRINGIVS a) admodum beneuole iudicauit; qui ſimul HADR. A MYNSICHT *Theſaurum medico-chymicum* b) optimae notae ſcriptoribus chemiae pharmaceuticae adnumerare nullus dubitauit.

t) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 1028. vbi editio Ienae 1645. 12. recuſa pro pleniſſima habetur.

u) Prodiit illa in conſpectum orbis litterati anno 1614. autore iam defuncto; Hamburgi 1638. 4. ſextum recuſa, nec non Francof. 1680. 4. inſcripta: CONR. KHVNRATH *Edelſtes Kleinod menſchlicher Geſundheit, das iſt, die aus dem Geheimniß der Natur hervorgeſuchte vnſchäzbare vnd höchſt bewährte Diſtillier-vnd Arzeney-Kunſt*, denuo eſt diuulgata.

w) OSWALDI CROLLII *Baſilica chymica, oder, alchymiſtiſches Königliches Kleinod, eine philoſophiſche, durch ſein ſelbſt eigene Erfahrung confirmirte vnd beſtätigte Beſchreibung und Gebrauch der allervortrefflichſten chimiſchen Arzeneyen, ſo aus dem Lichte der Gnaden und Natur genommen, in ſich begreiffend. Nebſt angehengtem ſeinem neuen Tractat von den innerlichen Signaturen oder Zeichen der Dinge*, Franckf. 1623. 4. De poſteriori opuſculo CROLLII conſuli poſſunt *Obſeruationes ſelectae Halenſes* Tom. VI. Obſeru. XXIV.

x) *Introduct. in art. medic.* Cap. XI. §. 6. Praeter hos complures alii exstant libri, in quibus non tota ars exponitur, sed de singulorum tantum medicamentorum praeparatione agitur. Qualis liber est OSWALDI CROLLII, quem Basilicam chymicam inscripsit: in quo quod praeparationem medicamentorum attinet, fide dignum se gessit; in virium vero explicatione plurima fuit mentitus.

y) Constat hocce Syntagma duobus tomis. Prioris titulus est eiusmodi: ANDREAE LIBAVII *Syntagma selectorum vndiquaque & perspicue traditorum alchemiae arcanorum.* Francof. 1611. fol. Posterioris vero haec est rubrica: *Syntagmatis arcanorum chymicorum ex optimis autoribus scriptis, impressis, experientiaque artifice collectorum, Tomus secundus.* Francof. 1613. fol. Adiecit etiam *Andreas Libauius Appendicem necessariam syntagmatis arcanorum chymicorum,* Francof. 1615. fol. impressam, quae vero meris scriptis eristicis est referta.

z) In den zufälligen Gedancken vom Sulphure. p. 13.

a) *Introduct. in art. medic.* Cap XI. §. 6. Breuiter & artificiose omnem illum chemicum praeparandi modum tradidit ANTON. GVNTH. BILLICHIVS, partim paruo quidem sed pereximio libello de natura & constitutione spagyrices emendatae; partim praeclaro opere obseruationum & paradoxorum chymiatricorum.

b) Integra libri inscriptio ita habet: HADR. a MYNSICHT *Thesaurus medico-chymicus, hoc est, selectissimorum, contra quosuis morbos pharmacorum conficiendorum secretissima ratio; propria laborum experientia, multiplici & felicissima praxi, confirmata, & nunc, vna cum remediorum virtute, vsu & dosi, doctrinae & sapientiae filiis fideliter reuelata & communicata.* Hamb. 1631. 4 Vid. LINDEN. *renouat.* p 387. vbi nouem huiusce libri editiones, quarum postrema est Francofurtana anni 1675. 8. adductae comparent.

§. XIII.

Circa medium saeculi huius decimi septimi pariter non defuerunt eiusmodi scriptores, qui tam galenicam, quam chemicam potissimum pharmaciam, peculiaribus editis operibus, emendatam voluerunt. IO. DAN. HORSTII *Pharmacopoea Galeno-chemica catholica*, Francofurti 1651. fol. emissa, multas easque & vtiles & necessarias res complectitur; iudice tamen G. C. SCHELHAMMERO c) nimis diffusa exiit: IO. RVDOLPHI GLAVBERI *Noui furni philosophici, pharmacopoea spagyrica*, aliaque opuscula, singula d) initio latino sermone edita, deinceps autem

teni in germanicum transfusa idioma iunctim e) impressa, HERM. f) quidem CONRINGIO, vt & GEOR. ERNESTO g) STAHLIO sic satis bene audiunt; G. C. SCHELHAMMERO h) ea contra & IAC. i) BARNERO vili penduntur. IO. SCHROEDERI *Pharmacopoeia medico-chymica*, Vlmae 1641. 4. impressa, deinceps saepius k), & auctior quidem, prelo repetita, a MICH. l) ETTMÜLLERO & FRID. m) HOFFMANNO commentariis ornata, nec non in germanicam n) etiam linguam transfusa, & a GEORG. DAN. COSCHWIZIO seniori multis supplementis locupletata, ad hanc vsque aetatem suos, eosque non paucos, inuenit fautores; etiamsi G. C. SCHELHAMMERVS o) admodum contemtim de eadem pronunciauerit. IO. ZWELFFERI *Animaduersiones in pharmacopoeiam Augustanam eiusque mantissam. Appendix ad Animaduersiones in pharmacopoeiam Augustanam eiusque mantissam; & Pharmacopoeia regia*, seu, *Dispensatorium nouum locupletatum & absolutissimum*, qui libri initio singuli, optime autem Norimbergae 1675. fol. & 1693. 4. iuncti sibi vna editi, satis autoris sui probant dexteritatem; nihilo tamen minus fatendum simul, eum iustas libertatis de alienis laboribus iudicandi metas nimis longe p) subinde transiliisse. GVERNERI ROLFINCII *Chimiam in artis formam redactam*, Ienae 1661. 4. in lucem expositam GEORG. ERN. STAHLIVS q) pro primo r) opere habuit, in quo chemia systematis iusti habitu comparuerit, ordineque legitimo sit proposita. Sextus tamen, qui hic inuenitur, liber, de non-entibus chemicis, IO. IOACH. BECHERVM & IO. KVNCKELIVM acres expertus est antagonistas.

c) Vid. *Additament. ad Conring. Introduct.* Cap. XI. §. 12. Agmen claudat vastum opus, & quale in hoc genere vix aliud vnquam exstitit, Francofurti ante aliquot annos a IO DAN. HORSTIO publicatum, in quod videtur omnia congessisse, quae potuit inuenire. Opus igitur hoc maxime necessarium est iis, qui absolutam rerum

pharmaceuticarum notitiam studens sibi comparare, etsi prolixitate pene deterreat lectorem.

d) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 673.

e) IO. RUDOLPH. GLAUBERI *Opera chymica, Bücher vnd Schriften, so viel deren von ihm bisher an Tag gegeben worden, von neuem mit Fleiß übersehen, auch mit etlichen neuen Tractaten vermehret.* Franckf. am Mayn 1658. 4. tom. II. ibid. 1659. 4. cum figur. Vterque tomus in vnum compactus, volumen formae quadripartitae non supra modum spissum efficiunt.

f) *Introduct. in art. medic.* Cap. XI. §. 6. vbi scribit: Quibus omnibus merito adiungenda sunt nupera scripta IO. RUD. GLAUBERI, sub titulo, Noui furni philosophici; vt qui tanto compendio omnes istas praeparationes instituere doceat, quanto nemo hactenus videtur circa illam artem versatus.

g) In zufälligen Gedancken vom Sulphure p. 18. vbi GLAUBERUM isthunc pro primo ferme, & ratione illius, qua vixit & scripsit, aetatis, pro optimo quoque Chemico experimentatore habere non dubitauit.

h) In *Additament. ad* CONRINGII *Introduct.* Cap. XI. §. 6. Modo responderet semper euentus, neque communi isto chemicorum empiricorum GLAUBERUS laboraret vitio, vt plura iactitet, quam queat praestare: quod ita esse, non tantum clarissimus LUDOVICI monuit, sed & ipsa hinc GLAUBERI auctoritas hodie apud plerosque valde est eleuata, quemadmodum & furni eius esse in pretio cito desiere.

i) In Praefatione Chymiae philosophicae, vbi sequentia leguntur: Sane dolendum est, tot mendacia falsosque processus, ordine ab aliis exscriptos, ac subscribentium more approbatos, circumferri hodie, ignorantiaeque, quae malorum horum mater est, accedit vana quaedam persuasio, qua plurimi sibi suauiter fingunt processus, experientiae eos aeque respondere, prout quidem opinioni suae ac conceptae spei, credentes. In hoc scribendi genere hodie insigniter, excelluit GLAUBERUS, qui quicquid de nocte vel somno concepit, somnioque, subito chartae commisit ac publicae luci. Hinc tot in eum opprobria prostant publice, tot querelae, tot mendaciorum reus agitur.

k) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 678. seq. Octaua tamen, a PETRO ROMMELIO curata, editio, Vlmae anno 1705. 4. impressa, hactenus constanter pro praestantissima est habita.

l) Collegium eius pharmaceuticum in IO. SCHROEDERI Pharmacopoeiam medico-chymicam, operibus eius omnibus, tom. I. c. V. §. 28. recensitis, insertum habetur.

m) FRID. HOFFMANNI *Clauis pharmaceutica Schroederiana, seu, animaduersiones cum annotationibus in pharmacopoeiam Schroederianam.*

nam. *Acc. Thesaurus pharmaceuticus quorundam medicorum nostri seculi.* Halae Saxonum 1675. 4. & 1681. 4. quarum editionum posterior est auctior. In SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. introduct.* Cap. VIII. §. 15. hoc legitur iudicium: Plus tamen laboris, quam eruditionis habet aut solidi iudicii hoc opus.

n) Titulus Versionis germanicae talis est: *Vollständige vnd nutzreiche Apotbecke, das ist, D.* IO. SCHROEDERI *trefflich versehener medicin-chymischer höchst kostbarer Artzeney-Schatz, nebst D. Friderici Hoffmanni darüber verfaßten herrlichen Anmerckungen, als eine Grundfeste beybehalten etc. auf vieles Verlangen teutscher Nation, zu sondern Nutzen eröffnet von* GEORG. DAN. COSCHWIZ. Nürnberg 1693. fol. & 1718. fol.

o) In *Additament. ad Conringii introduct.* Cap. XI. §. 12. *Schroederiana* pharmacopoeia vti referta est stolidissimis PARACELSI aliorumque ieiunorum philosophorum principiis; ita processibus, vt vocant, chemicis ibi expositis non semper adeo multum est fidendum: Sunt enim in his cum multa inepta & falsa, tum manca quoque & imperfecta plurima, prout occurrebant autori, citra examen iudiciosum, inserta. Iniuria ergo tyronum manibus hic liber tam sedulo ac diligenter versatur. Interim tamen ipse SCHELHAMMERVS ad Cap. VIII. §. 15. fateri coactus fuit: quod totam rem pharmaceuticam, & quicquid ad officinam spectat, complexus sit SCHROEDERVS, nullo aliorum exemplo.

p) Ea ipsa de caussa LVCAS SCHROECKIVS, iunior, tum IO. ZWELFFERO, tum FRID. HOFFMANNO, *Pharmacopoeiam* suam *Augustanam restitutam*, Aug. Vindelic. 1673. 4. & *Pharmacopoeiae Augustanae restitutae defensionem* August. Vindelic. 1675. 4. emulgatas, opponere, necessarium duxit.

q) In zufälligen Gedancken vom Sulphure p. 14.

r) ZACHARIAE tamen BRENDELII *Chymia in artis formam redacta* Ienae 1630. 12. & 1641. 8. characteribus signata typographicis, viam quodammodo hac in re praemonstrauit.

§. XIV.

Praeter memoratos hactenus Germanos s), diuersi etiam aliarum nationum scriptores ingenii sui vires hoc in argumento sunt periclitati. Ex Italorum gente t) spectat huc CVRTII MARINELLI *Pharmacopoea, siue, de vera pharmaca conficiendi & praeparandi methodo libri duo,* Venet. 1617. 4. impressi; idque citra controuersiam u). Inter Gallos w) longe plures hic in censum veniunt. De NIC. ABRAH. FRAM-

BESA-

BESARII *Ambrosiopoea* iam tom. I. cap. V. §. 21. dixi. BRICCII BAVDERONI *Pharmacopoea e gallico in latinum sermonem conuersa a* PHILEMONE HOLLANDO, & Londini 1639. fol typis exscripta, olim in Gallia peculiari floruit x) existimatione: prouti etiam cum IO. RHODIVS in *Introductione ad medicinam* pag. 135. tum IO. ANTONIDES VAN DER LINDEN in manuductione ad medicinam p. 104. sequ. admodum benigne de hoc ipso opere iudicarunt. PETR. POTERII *Pharmacopoea spagyrica*, operibus ipsius medicis, toties y) iunctim editis, inserta inuenitur. PETR. IO. FABRI *Myrothecium spagyricum, siue, pharmacopoea chymica*, Tolosae 1628. 8. prelo extrusa, insequuto tempore operibus eius Francofurti 1652. 4. diuulgatis z) adiecta fuit. Sequentes tres gallice scripti tractatus: *Traité de la chymie par* CHRISTOFFLE a) GLASER, a Paris 1663. 8. *Cours de chymie par* P. THIBAVT, *dit le Lorrain*, a Paris 1667. 8. & *Traité de la chymie par Monf.* b) FEBVRE, a Leyde 1669. 12. a GVNI. C. SCHELHAMMERO c) diis minorum gentium sunt adnumerati. Ex Anglis d) non tam DVNCANVS e) BORNETTVS, quam potiori iure, GEORG. f) STARCKEY & GEORG. g) BATE, locum hic aliquem tueri possunt. Quae vero apud Batauos, *) a CAROLO LVDOVICO h) DE MAETS, CHRISTIANO MARGGRAVIO, & IACOBO LE MORT i) peculiaria huc pertinentia fuerunt adnotata; de iis CHRISTOPH. LVDOV. MORLEY *Collectanea chymica Leidensia*, i. e. *Maetsiana, Marggrauiana, le Mortiana. Opus 500. & amplius processibus adornatum*, Lugduni Bat. 1684. 4. impressa, consuli k) possunt.

s) Poterant hic, si diffundere me latius libuisset, etiam CASP. BAVHINI *De compositione medicamentorum libri duo*, Frf. 1619. 8. excusi, IO. DAN. MYLII *Pharmacopoeia spagyrico-medica* Francof. 1628 8. exscripta, IO. POPPI *Wegweiser zur chemischen Medicin*, Lips. 1627. 8. IO. PHARAMVNDI RHVMELII *Compendium hermeticum*, Francof. 1635. in 12. euulgatum, IO. AGRICOLAE *Commentaria & Observationes in* IO. POPPI *chymische Medicin*

dicin Lipf. 1638. 4. edita &c. adhue produci; malui autem, instituti mei habens rationem, potisſimos ſaltem illius temporis ſeligere.

t) MARINELLI libro, IO. FRANC. VIGANI, *Medulla chymiae*, quae prela aliquoties exercuit, optime vero Londini 1685. 8. & Lugd. Bat. 1693. 8. impreſſa fuit, iungi praeterea meretur.

u) Vid CONRING. *introduct. in art. medic.* Cap. XI. §. 12. Egregia eſt Pharmacopoea CVRTII MARINELLI, a collegio medicorum venetorum comprobata.

w) Hoc quoque in loco, IAC. PRIMEROSII *Ars pharmaceutica, ſeu methodus breuiſſima de eligendis & componendis medicinis*, Amſtelodami 1651. 12. impreſſa, vna cum aliis, fuit praetermiſſa.

x) CONRING. c. l. Vulgo hodie in gallia in magno vſu eſſe ſolet Pharmacopoea BRICII BAVDERONII, quae quidem multa habet praeclara, tanti tamen facienda non eſt, quanti exiſtimatur. Filius autoris inſequuto tempore Pharmacopoeiam patris auxit; de cuius vero additamentis IO. RENODAEVS in *Antidotarii* libro VI. cap. 4. admodum contemtim pronunciauit.

y) Lugduni 1645. 8. 1653. 8. Francof. 1666. 8. Pleniſſime autem, ſub titulo: PETRI POTERII *Opera omnia practica & chymica, cum annotationibus* FRID. HOFFMANNI, Francof. 1698. 4.

z) PETRI IOAN. FABRI *Opera Voluminibus II. exhibita*. Francof. 1652. 4. Siſtuntur Volum. I. 1) *Panchymicum, ſeu, Anatomia totius vniuerſi.* 2) *Propugnaculum Alchymiae.* Volum. II. 1) *Hercules Piochymicus.* 2) *Hydrographus Spagyricus.* 3) *Paedagogus Chriſtianus.* 4) *Secreta chymica.* 5) *Myrothecium ſpagyricum.* 6) *Palladium ſpagyricum.* 7) *Chirurgia ſpagyrica.* FABRVM de cetero aeque ac POTERIVM egregios fuiſſe thraſones & venditatores, vt ita loquar, iam alibi adnotaui.

a) Natione quidem iſte Heluetius fuit, Baſilea oriundus; quoniam vero Lutetiae Pariſiorum munere functus eſt publico, nec non in libris, quos edidit, gallicana lingua vſus eſt; ideo huic nationi illum adnumeraui. Tractatus eius, a non nemine, qui ſe *Philochymicum* appellare voluit, in germanicum ſermonem translatus & ita inſcriptus: CHRISTOPH. GLASERS *Chymiſcher Wegweiſer*, Ienae 1684. & 1696. 12. in publicam prodiit lucem. In FONTENELLII *Hiſtoire du renouvellement de l'academie royale des ſciences* tom. II. p. 173. ſequens lego iudicium: Monſieur GLAZER etoit un vray chimiſte, plein d'idées obſcures, avare de ces idées là même, & tres peu ſociable.

b) Huius quoque opuſculum, e verſione quadam germanica, titulo praenotatum: *Monſ. le* FEBVRE *Chymiſcher Handleiter*, Norimb. 1676. 8. luci fuit expoſitum.

c) In *Additamentis ad* CONRINGII *Introduct.* c. XI. §. 6. p. 387.

d) De

d) De KENELMO DIGBAEO, vt & de celeberrimo illo ROBERTO BOYLIO, nolui, quia medicinam professi non fuerunt, hoc loco quidquam dicere. GEORG. THOMSONI *Epilogismi chymici*, Lugdun. Batau. 1673. 12. impressi, vna cum aliis non nullis, studio sunt praeteriti.

e) DVNCANI BORNETTI *Iatro-chymicus, siue, de praeparatione & compositione medicamentorum chymicorum artificiosa, tractatus.* Francofurti 1616, & 1621. 4.

f) A celebri hocce chemico, non tantum scriptum anglicanum, cui titulus: HELMONTS *Vindication, and full apology for chymical medicaments*, Londini 1657. 8. impressum; sed & alterum eodem idiomate consignatum, atque inscriptum: *Pyrotechny asserted and illustrated by* GEORG. STARCKEY, Londini 1658. 8. excusum, accepimus.

g) *Pharmacopoeia Bateana. Acc. Arcana Goddardiana.* Londin. 1691. 8. Recusus etiam est, cum additamentis quibusdam I. I. FICKII, iste liber Francofurti 1711. 12. nec non editus quoque Amstelodami annis 1688. & 1719 in 8.

*) Hoc loco IOANNIS etiam BAPTISTAE HELMONTII *Dispensatorium modernorum* in memoriam reuocare poteram; sed, quum eius mentionem iam tom. I. cap. III. sect. I. §. 6. iniecerim, nolui hic circa eundem moras nectere.

h) CAR. LVD. DE MAETS *Chymia rationalis & praxis chymiatrica.* Lugd. Bat. 1687. 4.

i) IAC. LE MORT *Chymia rationibus & experimentis instructa.* Lugd. Bat. 1688. 8.

k) MORLEYVM vero Collectanea isthaec, insciis atque inuitis autoribus eorum, in lucem protrusisse, adnotauit SCHELHAMMERVS in *Additamentis ad* CONRINGII *Introduction.* Cap. XI. §. 6. p. 388.

§. XV.

Sub exitum saeculi decimi septimi, oculis meis varii obuersantur pharmaceutici scriptores, quorum merito quodam suo mentio hic mihi est facienda. Et ex Anglis quidem l) NICOLAO STAPHORSTIO atque THOM. FVLLERO; e Gallis porro MOSI CHARAS & NIC. LEMERI; e Germanis denique nostris IO. IOACH. BECHERO, IO. KVNCKELIO, IAC. BARNERO, DAN. LVDOVICI, GEORG. WOLFFG. WEDELIO, IO. HELFRICO IVNGKENIO, & IO. CONR. BARCHVSEN, prae ceteris m), locum hic adsignare placet aliquem. NIC. STAPHORST *Officina chymica*

mica Londinensis, seu, exacta notitia medicamentorum spagyricorum, quae apud aulam societ. pharmac. Londinens. praeparantur & venalia prostant, Hamburgi 1686. 12. impressa, chemicis, teste vel ipso titulo, maximam partem occupatur medicamentis. THOM. FVLLERI *Pharmacopoeia extemporanea, seu, praescriptorum chilias, cum viribus, operandi ratione, dosibus & indicibus,* adeo beneuole fuit excepta, vt eadem Amstelodami anno 1717. 8. septima, Lausannae vero anno 1737. 8. nona vice, & quidem auctior, imprimenda fuerit. MOSIS CHARAS *Pharmacopoea regia, galenica & chymica, gallice ab autore conscripta, iam vero latinitate donata,* Geneuae anno 1683. 4. in conspectum theatri medici prodiit. Liber gallice scriptus atque inscriptus: *Pharmacopée vniuerselle* n) *par Monf.* LEMERI, aeque ac alter eiusdem autoris patria lingua consignatus, cui titulus: *Cours de chimie* o), Lutetiae Parisiorum lucem salutauit litterariam; posterius tamen opus crebro deinceps p) recusum, immo & in exteras q) linguas fuit transfusum.

l) THOMAE WILLISII *Pharmaceutice rationalis* huc minus spectat, quum autor non tam de componendorum atque praeparandorum medicamentorum ratione, quam de eorum potius operandi modo ac virtute fuerit sollicitus.

m) Minime tamen mihi committendum, vt, inter innumera ferme saeculi XVII. Dispensatoria, sequens plane praeteream, quod inscriptione innotescit isthac: *Dispensatorium Brandenburgicum, seu, norma, iuxta quam in Prouinciis Marchion. Brandenb. medicamenta, officinis familiaria, dispensanda ac praeparanda sunt.* Berol. 1698. fol. excusum, quod & haud ita pridem, titulo gaudens hocce: *Dispensatorium regium electorale Borusso-Brandenburgicum, auspiciis sacrae regiae maiestatis Borussiae, regii collegii medici superioris cura & opera, denuo editum, reuisum, emendatum & auctum, nunc denuo ad exemplar Berolinense recusum, variisque obseruationibus locupletatum ab* ERNESTO FAGINO, Erfurti 1734. fol. prelis recens exiit. Dispensatorium enim istud tanta adhuc pollet autoritate, vt cum Norimbergensi dispensatorio, tum Pharmacopoeiae Augustanae palmam tantum non praeripuisse videri queat. Praeterea notari etiam merentur IO. ANDR. STISSERI *Actorum laboratorii chemici Specimina III.* Helmstadii annis 1690. & sequentibus 4. edita.

n) à Pa-

n) à Paris 1697. 4.

o) Prima editio Lutetiae Parif. 1675. 8. prodibat, titulum prae fe ferens ifthunc: *Cours de chimie, contenant la maniere de faire les operations, qui font en vfage dans la medecine, par vne methode facile.*

p) Vid. FONTENELLE Hiftoire du renouvellement de l'academie royale des Sciences Tom. II. pag. 178. Les editions fe fuivoient les vnes les autres presque d'année en année fans compter vn grand nombre d'editions contrefaites, honorables & pernicieufes pour l'auteur.

q) Id. ibid. Ce livre a eté traduit en latin, en Allemand, en Anglois, en Efpagnol.

§. XVI.

IO. IOACH. BECHERI liber germanice fcriptus & infcriptus: *Chymifcher Glücks-Hafen* r), *oder, groffe chymifche Concordanz vnd Collection von 1500. chymifchen proceffen;* ab autore s) quidem ipfo pro optimo librorum ab fefe editorum eft venditatus; haud magis tamen circa illum, quam circa IO. KVNCKELII *Laboratorium* t), quod vocat, *chymicum*, moras me nectere, opus eft, quum vtriusque inftitutum chemiam potius metallurgicam, quam pharmaceuticam, refpiciat: quanquam pofterioris *Philofophia chemica* *) *experimentis confirmata*, Amftelodami 1694. 12. diuulgata, longe commodius locum hic aliquem occupare queat. IAC. BARNERI *Chymia philofophica perfecte delineata, docte enucleata & feliciter demonftrata* Norimbergae 1689. 8. excufa, fuffragiis quondam fuis non caruit. DAN. LVDOVICI *Differtationes tres de pharmacia moderno feculo applicanda*, tom. I. cap. V. §. 28. iam cum laude debita funt memoratae. GEORG. WOLFFG. WEDELII *Pharmacia in artis formam redacta* u), *Pharmacia acroamatica* w) &, *Compendium* x) *chimiae*, tantum ad emendandam in meliusque mutandam hanc medicinae partem contulerunt, vt G. C. SCHELHAMMERVS y) omnibus reliquis huius generis fcriptis, quin vel ipfis *Ludouicianis*, haecce *Wedeliana* praetulerit. IO. HELFRICO IVNGKENIO non *Chymiam* folum *experimentalem curiofam*, Francofur-

cofurti 1681. 8. typis expressam; verum *Corpus* etiam *pharmaceutico - chimico - medicum*, eodem in loco anno 1697. 4. excusum, debemus. IOANNIS contra CONRADI BARCHVSENII *Pharmacopoeus* z) *synopticus*, Francofurtano primum prelo 1690. 12. excusus, Traiecti ad Rhenum 1696. 8. & Lugduni Bat. 1712. 8. dein fuit recusus auctior.

r) Francofurti 1682. 4. & Halae Sax. 1726. 4. quarum editionum posterior praemissam sibi habet GEORG. ERNEST. STAHLII praefationem, von der Goldmacherey.

s) Vid. *Eius psychosophia*, quaest. 153. p. 317.

t) Opus isthoc, quod manu exaratum reliquerat autor, cura D. ENGELLEDERI, Hamburgi 1716. 8. excusum publici iuris factum, ibidemque anno 1722. pari forma recusum denuo prodiit.

*) Quae in hoc libro latine leguntur, eadem germanico sermone expetita legi possunt, in KVNCKELII scriptis minoribus germanicis, a D. BVRGGRAVIO Francofurti 1721. 8. iunctim editis.

u) Ienae 1677. & 1693. 4.

w) Ibid. 1686. 4.

x) Ibid. 1715. 4.

y) Vid. *Eius additamenta ad Conring. introduct.* cap. XI. §. 6. WEDELII Pharmacia in artis formam redacta, itemque nuperrime publicata acroamatica, quantum planiore & apertiore dicendi genere prae *Ludouiciana* illa est consignata, tanto commodius maiorique cum fructu tyronibus legitur. Et quidem, dicendum quod res est, seposito omni affectu, quo veterem amicum & de nobis iam olim praeclare meritum prosequimur: eum omnes, qui ante ipsum id operis fuerunt aggressi, ipsumque praeceptorem ROLFINCIVM, longe superasse. Coniunxit autem LVDOVICI & WEDELIVS pari instituto ac successu veterem illam nouamque hanc pharmaceutices partem, vt quae sibi inuicem debebantur, sed iniquo diuortio seiuncta erant, hisce paranymphis tam egregiis iuncta, redirent in gratiam, & amico connubio in vnum coalescerent.

z) *Seu synopsis pharmaceutica, plerasque medicaminum compositiones ac formulas, eorumque dextram, tam chemicam quam galenicam, conficiendi methodum exhibens.*

§. XVII.

Nec recentissima tempora sterilia fuerunt huiusce indolis scriptoribus. Et ex Anglis quidem, quum iam superius memorati IO. FREINDII *Praelectionibus chymicis* diutius immorari non lubeat, GEORG. WIL-

SON & IO. QVINCY; ex Gallorum vero gente, Monſ. SENAC & MALOVIN, prae ceteris, qui in cenſum veniant, digni habentur. *Primi* horum liber huc ſpectans, lingua conſignatus anglicana, hoc titulo gaudens: *A compleat Courſe of Chymiſtry, By* GEORG WILSON, Londini 1735. 8. quintum prela reliquit. IO. QVINCY *Praelectiones pharmaceuticae: or a Courſe of lectures in Pharmacy chymical and galenical, by* IOHN QVINCY, Londini 1723. 4. impreſſae, ob plauſum ſubſequutum, rubrica praenotatae: *Pharmacopoeia officinalis & extemporanea: or, a compleat Engliſch Diſpenſatory, by* IOHN QVINCY, Londini anno 1739. 4. ſunt recuſae. Liber gallicus, inſcriptus: *Nouveau Cours de chymie, ſuivant les principes de* NEWTON *& de* STAHL, *par Monſ.* SENAC, Lutetiae Pariſ. 1723. 12. excuſus, beneuole b) exceptus fuit: nec minus alterum gallicano ſermonis genere conſcriptum libellum, qui titulum praefert: *Traité de chymie, contenant la manière de préparer les remedes, qui ſont le plus en uſage, dans la pratique de la medecine, par* M. MALOVIN, Pariſiis 1734. 12. typis exſcriptum, Facultas medica Pariſina honeſtis admodum teſtimoniis ornare dignata eſt.

a) Vid. Tom. I. cap. V. §. 29.

b) Conferantur noua litterar. anni 1724. pag. 262. ſeq.

§. XVIII.

Numerus germanorum, qui ſaeculo, quod iam prope ad medium procurrit, decimo octauo, calamos ad Pharmaciam ornandam arripuerunt; haud eſt exiguus; ego vero, moris mei tenax, paucorum c) ſaltem iniecturus ſum mentionem. IO. MAVR. HOFFMANNI *Acta Laboratorii chemici Altorfini, chemiae fundamenta, operationes praecipuas, & tentamina curioſa, ratione & experientia ſuffulta, complectentia,* Norimb. & Altdorf. 1719. 4. impreſſa, ob ſolidam, iuſtoque ordine adornatam docendi rationem hic

adhi-

adhibitam, in diuersis academiis, praelectionibus chemicis fundamenti loco fuerunt substrata. De GEORG. ERNEST. STAHLII *Fundamentis chymiae dogmaticae & experimentalis*, Norimb. 1723. 4. editis, & IO. IVNCKERI *Conspectu chimiae theoretico-practicae, in forma tabularum repraesentato*, Halae 1730. 4. excuso, iam in Historia medicinae litteraria, sub *Stolliano* nomine luci exposita, pagina 795. seq. debita cum laude me dicere, memini. HERM. FRID. TEICHMEYERI *Institutiones chemiae dogmaticae & experimentalis, in quibus chemicorum principia, instrumenta, operationes, & producta, simulque analyses trium regnorum succincta methodo traduntur*, Ienae 1729. 4. diuulgatae multos inuenere fautores. HERM. BOERHAAVII *Elementa chemiae*, Lugd. Bat 1732. 4. in lucem exposita litterariam, etiamsi diffusiora iusto, adeo tamen auide sunt distracta, vt mox eadem Lipsiae, Londini, Venetiis & Lutetiae Parisiorum recudenda fuerint; ita quidem, vt editioni Parisinae anni 1733. 4. duodecim opuscula *Boerhaaviana* & sermones academici ab illo habiti simul adiicerentur. Ea contra, inter Epitomographos chemicos, praeter iam laudatum Compendium *Wedelianum*, GOTHOFREDVS d) ROTHE, IO. FRIDER. e) CARTHEVSERVS, & PETR. GERICKIVS inclarescere studuerunt, quorum postremo loco nominatus sua *Fundamenta Chemiae rationalis*, Berolini 1740. 8. euulgata, methodo mathematicae simili tradere est conatus.

c) Sic, ex. gr. de IOAN. BOHNII *Dissertationibus chymico-physicis*, GEORG. ERNEST. STAHLII *Obseruationibus chymico-physico-medico-curiosis*; FRID. HOFFMANNI *Obseruationibus physico-chemicis selectioribus*, aliisque in hoc genere dominantibus veluti & excellentibus scriptis, commode hoc loco sermonem instituere non potui, quoniam non ceu mere pharmaceutica, sed potius ceu miscellanea scripta consideranda veniunt. Ad AVGVSTI contra QVIRINI RIVINI *Manuductionem ad chemiam pharmaceuticam*; ad ANDR. PETERMANNI *Chymiam*, Lipsiae 1708. 8. excusam; GEORG. FRID. STABELII *Chymiam dogmatico-experimentalem*, Halae 1728. 8. signatam characteribus, aliosque subsistere non placuit.

 d) Ti-

d) Titulus elegantisſimi eius compendii ita habet: GOTTFR. ROTHENS *Gründliche Anleitung zur Chemie, darinn nicht nur die in derſelben vorkommende Operationes, und die aus den Operationibus entſtehende Producta, ſondern auch die Praeparationes der beſten chemiſchen Medicamenten, aus der berühmteſten Medicorum, ſonderlich* LVDOVICI, WEDELII, STAHLII &c. *Schrifften, nebſt andern, die man ſonſt rar vnd geheim gehalten, aufrichtig gewieſen wird,* Lipſiae illud annis 1717. 1721. 1727. 8. & nouisſime 1745. 8. cum nonnullis additamentis SAM. THEODOR. QVELMALZII fuit excuſum atque recuſum: quarum editionum poſteriores prima ſunt auctiores. Quanti de cetero tractatus iſte a IO. DAN. GOHLIO aeſtimatus, quantisque huius viri circa chemiae culturam ſibi parta merita encomiis ſint concelebrata; ex Actis medicorum Berolinenſium, decad. I. volum. I. pag. 88. ſeq. abunde patebit.

e) IO. FRID. CARTHEVSERI *Elementa chemiae medicae dogmatico-experimentalis, vna cum ſynopſi materiae medicae ſelectioris, in vſum tyronum edita.* Halae 1736. 8.

§. XIX.

Hactenus de potisſimis ſcriptoribus, iisque generalioribus, qui cum de galenica, tum de chemica pharmacia bene mereri ſtuduerunt, egi. Quod ſi iam, ad ſcriptores particulares recenſendos deſcendendo, illos in ſcenam producere vellem, qui de ratione huius illiusue medicamenti praeparandi, in diſſertatione aliqua aut alio breuiori ſchedialinate peculiariter praeceperunt, in adeo amplum excurſurus eſſem campum, quem fines inſtituti mei non caperent. Ne tamen lectorem nimis ieiunum hinc dimittam; praeter ea, quae iam ante allegatus ANT. MVSA BRASAVOLVS, ANGELVS SALA, & BERN. GEORG. f) PENOTVS huc pertinentia, in medium attulerunt, ſequentem adiiciam elenchum. De theriaca multi g) peculiaribus ſcriptis egerunt; maximam tamen IO. BAPT. h) SYLVATICVS, iudice CONRINGIO i), in hoc argumento commeruit laudem: cui, ex recentioribus k), THOM. BARTHOLINI *Diſſertationes* II. *de theriaca*, Hafniae anno 1671. 4. excuſas, addere licet. De mithridatio, NICOL. MVTONI *Collectanea de mithridatii legitima conſtructione*

ne ad nos peruenerunt, quae, vna cum additamentis MICH. DOERINGII Ienae 1620. 8. typis sunt expressa. De vtroque antidoto BARTHOLOM. l) MARANTA, MARCVS m) ODDVS, MARTINVS n) PANSA, & IO. HENR. o) MEIBOMIVS sollicitos sese gesserunt; & postremi quidem horum tractatus G. C. SCHELHAMMERO p) laudatur. Compositionem inuentae a IOSEPHO QVERCETANO theriacae, quae dicitur, coelestis, IAC. q) VON DOHREN, & IO. r) DOLAEVS descripsere. De mithridatio germanorum, quo nomine mihi vulgo dictum Rob Sambuci venit, MART. BLOCHWITII *Anatomia* s) *Sambuci*, CONRINGIO t) magni aestimata, consuli poterit. Et de confectione ita dicta alchermes IO. LVDOV. u) BERTALDVS, IO. STEPH. w) STROBELBERGERVS, & LAVR. x) EICHSTADIVS, praeterque hos alii quoque nonnulli, peculiares commentatiunculas diuulgauerunt.

f) BERN. GEO. PENOTI *Tractatus varii de vera praeparatione & vsu medicamentorum chymicorum.* Francof. 1594. 8. De reliquis editionibus consulatur LINDENIVS *renouat.* p. 130.

g) Vid. MERCKLINI LINDEN. *renouat.* lib. II. p. 144.

h) IOAN. BAPT. SYLVATICI *De compositione & vsu theriacae* ANDROMACHI *Libri duo.* Heidelbergae anno 1597. 8. & Lugdun. 1607. 8. quarum editionum posteriori THOMAE ERASTI *Examen de simplicibus, quae ad compositionem theriacae* ANDROMACHI *requiruntur*, adiectum est.

i) *Introduct. in art. medic.* cap. XI. §. 8. Inter recentiores omnium optime de nobilissima ista confectione scripsit IOAN. BAPT. SYLVATICVS.

k) Non minore cum fructu IOANNIS quoque GARMERI *Dissertationes* III. *de Theriaca*, Hamburgi anno 1679. 4. impressae, legi poterunt. Quae MOSES CHARAS *Pharmacopoeiae regiae* ab se conscriptae hac de re inseruerat, ea separatim, in germanicam transfusa linguam, sub hac rubrica: MOSIS CHARAS *Beschreibung der Viper vnd des Theriacs*, Francofurti anno 1699. 8. impressa, publice sunt exhibita.

l) BARTHOL. MARANTAE *De theriaca & mithridatio libri duo, italico sermone scripti, in quibus vera haec antidota componendi ratio breuiter ob oculos ponitur, omniaque simplicia, quorum in hisce antidotis conficiendis vsus est, solertissime examinantur. Nunc primum*

mum opera IOACHIMI CAMERARII *latina ciuitate donati.* Francof. 1576. 8.

m) MARCI ODDI *Meditationes in theriacam & mithridatium accuratissime elaboratae, per quas verissima conficiendarum antidotorum methodus perhibetur, & multi medicorum & pharmacopoeorum errores confutantur, cum omnium simplicium hasce antidotos perficientium examine.* Venet. 1576. 4.

n) MART. PANSAE *Tractat von IV. weitberühmten Antidotis, als I. von dem köstlichen theriaca Andromachi. II. von dem Mithridat. III. vom güldenen Ey. IV. von einer neuen Essentia: wie sie allesamt recht zu bereiten: wozu sie dienen, vnd wie sie fruchtbarlich in den schwersten Kranckheiten zu gebrauchen.* Halle 1619. 8.

o) IO. HENR. MEIBOMII *De Mithridatio & Theriaca discursus,* Lubecae 1659. 4.

p) In *Additamentis ad Conringii introduct.* cap. XI. §. 8.

q) IAC. VON DOHREN *Theriaca coelestis* IOSEPH. QVERCETANI & FRID. GREIFFII. Cassellis 1676. 12.

r) Huiusce *Theatrum theriacae coelestis Hoffstadianae*, seorsim initio impressum, operibus deinceps eius medicis tom. I. cap. V. §. 33. a me in censum vocatis, fuit adsociatum.

s) MART. BLOCHWITII *Anatomia Sambuci, quae non solum Sambucum & huiusdem medicamenta singulatim delineat, verum quoque plurimorum affectuum, ex vna fere Sambuco, curationes breues, rationibus, exemplis, historiis, & medicamentis specificis non paucis illustratas, simul exhibet.* Lipf. 1631. 12. Hic ipse liber a DAN. BECKHERO in germanicum translatus sermonem, addito tractatu de Iunipero, titulum prae se ferens: DAN. BECKHERS *nützliche kleine Haus-Apothecke,* Regiomonte 1650. 8. excusus, nec non, quibusdam opusculis auctior, Giessae 1665. 8 & Lipsiae anno 1685. 8. fuit recusus Id quod breuiter saltem hic simul adnotare non nolui.

t) Inspiciatur *Eius introduct. in art. medic.* cap X. §. 42. vbi paruus quidem, sed egregius & lectu dignus libellus, appellatur.

u) IOAN. LVDOV. BERTALDI *Tractatus confectionis de Hyacintho & confectionis Alchermes. Cum commentariis auctoris:* Taurini 1619. 4.

w) IO. STEPH STROBELBERGERI *Tractatus nouus, in quo de Cocco baphica & quae inde paratur, confectionis Alchermes recto vsu differitur. Cui insertus est* LAVR. CATELANI *genuinus eiusdem confectionis apparandae modus.* Ienae 1620. 4.

x) LAVR EICHSTADII *De confectione Alchermes, in Pomerania parari coepta, deque eius compositione, singulorum ingredientium examine, qualitate, virtute atque facultatibus per XXI. Sectiones succincta dissertatio & exercitatio medica.* Stetini 1634. 4. & 1635. 8. G. C. SCHELHAMMERVM & de EICHSTADII, & de STROBELBERGERI

GERI tractatu admodum honorifice sensisse, testatum facient eius ad *Coringianae* introductionis cap. XI, §. 8. pag. 390. obuia legentibus additamenta.

§. XX.

In elleborismos veterum inquisiuit IO. HENR. SCHVLZIVS y). RAYMVND. MINDERERI *Aloëdarium* z) *marocostinum* de inuentis ab ipso pilulis marocostinis ex instituto nos instruit. CLAVD. DEODATI a) *De vero & legitimo aquae cordialis concinnandi modo, & vtendi ratione libellus*, circa manifestatum ab HERCVLE SAXONIA medicamentum occupatur. GODOFREDVS SCHVLTZIVS non *Dissertationem* tantum *pharmaceutico-therapeuticam de natura tincturae bezoardicae* IO. MICHAELIS, *cum appendice de mistura simplici*, Halae 1678. 8. impressam, sed *Scrutinium* b) quoque *Cinnabarinum* nobis exhibuit. De medicamentis opiatis IO. c) FREITAGIVS, MATTHIAS d) TILINGIVS, & GEORG. WOLFFG. e) WEDELIVS; de medicamentis porro camphoratis GODOFREDVS f) MOEBIVS; de medicamentis rhabarbarinis deinde, modo nominatus MATTH. g) TILINGIVS; & de medicamentis denique tartareis, praeter ANGELVM SALAM, FRIDER. h) ZOBELIVS, peculiaribus egerunt commentationibus. Medicamenta vitriolata ANG. *) SALAE, RAYM. i) MINDERERO, & IO. GEORG. k) TRVMPHIO, curae fuerunt; medicamentorum contra antimonialium descriptionem laudatus toties ANG. SALA in *Anatomia antimonii*, Lugduni bat. 1617. 8. exposita luci, dedit. CASP. NEVMANNVS non tantum germanica conscriptas lingua *Lectiones chymicas de salibus alcalino-fixis, camphora, succino, opio, castoreo & caryophyllis aromaticis*, Berolini 1727. 4. in lucem exposuit publicam; sed & alias quatuor *Lectiones publicas, de nitro, sulphure, antimonio, & ferro*, euulgauit; nec non *Lectiones de quatuor subiectis pharmaceutico-chymicis, de sale videlicet ordinario seu communi, de tartaro, sale ammonia-*

co, & formica, Züllichouiae imprimendas curauit, anno 1737. 4. A perquam celebri illo chemico, IO. HENR. POTT, *Obseruationum & animaduersionum chymicarum, praecipue zincum, boracem, & pseudogalenam tractantium, collectionem*, Berolini 1741. 4. characteribus typotheticis signatam, accepimus. Ab aliis tandem diuersae materiae pharmaceuticae speciales, quas hic reliquas studio facimus, peculiaribus sunt propositae exercitationibus.

y) In *Dissertatione de Elleborismis veterum*, Halae 1717. 4. edita, quae autoris haud ita pridem ibidem anno 1743. 4. diuulgato *Fasciculo dissertationum academicarum primo*, & quidem auctior, est inserta.

z) Augustae Vindelic. 1616. 8. & auctius 1622. & 1626. 12.

a) Patauii 1603. 8. Hanou. 1652. 12.

b) *Seu, Trigam Cinnabriorum, quae sistit naturam Cinnabaris antimonii, natiuae & factitiae vulgaris nec non specifici cephalici* IOAN. MICHAELIS, *cum appendice de emplastro magnetico hernias scrotales curante*. Halae 1680. 8.

c) IOAN. FREITAGII *De opii natura & medicamentis opiatis, ad omnes totius corporis affectus probatissimis, & recta, rationali hactenusque inexplicata iis vtendi methodo liber singularis*, Groningae anno 1632. 8. & Lipsiae 1634. 8.

d) MATTHIAE TILINGII *Anchora salutis sacra, seu, de Laudano opiato, medicamine isto diuino ac coelitus demisso, liber singularis*. Francof. 1671. 8.

e) GEORG. WOLFFG. WEDELII *Opiologia*. Ienae 1674. 4. 1682. 4.

f) GODOFR. MOEBII *Anatomia camphorae, eius originem, qualitates, praeparationes chymicas ac vires succincte exhibens*. Ien. 1660. 4.

g) MATTH. TILINGII *Rhabarbarologia, seu, curiosa rhabarbari disquisitio, illius etymologiam, differentiam, locum natalem, formam, temperamentum, vires, item eius adulterationem, conseruationem, electionem, noxam & correctionem, dosin atque vsum pharmaceuticum chymico-medicum detegens*. Francof. 1679. 4.

h) FRIDER. ZOBELII *Tartarologia spagyrica, seu, medicamentorum ex tartaro in laboratorio Gottorpiensi paratorum fidelis descriptio, duabus sectionibus comprehensa. Ex Bibliotheca* GEO. WOLFFG. WEDELII. Ienae 1676. 12.

*) ANGELI SALAE *Anatomia vitrioli in duos tractatus diuisa, ex italica in latinam linguam translata* a I. P. C. R. Aureliae Allobrog. 1609. 12. 1613. 12. Lugdun. Batau. 1617. 8.

*) [illegible]YMVNDI MINDERERI *De Chalcantho, seu, Vitriolo, eiusque virtute ac viribus, nec non medicinis ex eo parandis, disqui-*

quisitio iatro-chymica, frigidis ac crudis quorundam de Vitriolo sinistre sentientium opinionibus opposita. Augustae Vindelicor. 1617. 4. Autor, ob hanc disquisitionem, AETIVM CLETVM, PETRVM CASTELLVM aliosque expertus est aduersarios; contra quos ipsos vero caussam eius dixit eumque defendit DAV. VERBEZIVS: id quod in transitu veluti breuiter adnotasse iuuit.

k) IO. GEORG. TRVMPHII *Scrutinium chymicum vitrioli, in quo huius salis mineralis nomen, definitio, differentia, delectus, temperamentum & vires methodice proponuntur, vsus in medicina, fusus demonstratur, & tutus asseritur, medicamentorum solidorum & liquidorum, parandi modus multis nouis singularibusque encheiresibus illustratur.* Ienae 1667. 4.

§. XXI.

Coronidem huic capiti prius quam imponam, illud scriptorum genus succincte, & leui, quod dicitur, penicillo, attingam, qui de sollerti miscendorum atque componendorum ratione medicamentorum, vel, vt vno verbo, eoque consueto dicam, de formulis praescribendis, peculiariter agendi in se suscepere sollicitudinem. Quandoquidem igitur ad remotiora adsurgere tempora in isthoc argumento integrum mihi non l) est: ex paullo saltim antiquioribus m), MARCO BANZERO, PETRO MORELLO, & CHRISTIANO MARGGRAVIO; e recentioribus autem, GEOR. WOLFFG. WEDELIO, IO. PHIL. EYSELIO, IOAN. IAC. FICKIO, & HIER. DAV. GAVBIO, prae reliquis, sedes aliqua in huius nostrae bibliothecae selectae scriniis adsignetur. MARC. BANZERI *Fabrica receptarum, id est, methodus breuis, perspicua ac facilis, in qua, quae sint remediorum compositorum formae, quae earundem differentiae, quae componendi & praescribendi ratio, quae denique vtilitas, & quis vtendi modus, planissime edocetur,* August. Vindel. 1622. 8. impressa, cum CONRINGII o) ipsius, tum SCHELHAMMERI p) laudem meruit. PET. MORELLI *Methodus praescribendi formulas remediorum*, crebrius excusa q), optime vero cum GERARD. BLASII additamentis Amstelodami 1659. 1665. & 1680. 12. diuulgata, multorum inuenit

suffragia. CHRISTIANI denique MARGGRAVII *Materiam medicam contractam*, Lugd. bat. 1674. 4. & Amstelod. 1682. 4. luci expositam, habemus, cuius pars secunda r) cum fructu legi hic poterit.

l) Vid. SCHELHAMMERI *Additam ad Conring. Introduct.* cap. XI. §. 15. Et vero non desunt nobis autores plurimi, qui hanc rem scriptis illustrarunt, *ex recentioribus saltem.* Veteres enim graeci & arabes priores, cum suis manibus componerent medicamenta, seorsim his instrui non habebant opus.

m) Breuitati nisi studuissem, praeter alios plures, LAVR. ESTHII *Dilucidam, breuem & methodicam formularum tractationem*, Hanov. 1604. 8. luci expositam; IOANNIS porro VARANDAEI *Formulas remediorum internorum & externorum, publicatas per* PETRVM IAENICHIVM, Hanouiae 1617. 8. impressas & denique vel in primis, laudatum etiam G. C. SCHELHAMMERO in *additam. ad Conring. introduct.* cap XI. § 15. *Syntagma componendi & praescribendi medicamenta* IOAN. THEOD. SCHENCKII, Ienae 1672. 4. typis exscriptum, excitare huc potuissem.

n) Hoc quoque loco poterat mentio fieri MICH. ETTMÜLLERI *Ideae praescribendarum formularum*, Lipsiae 1682. 4. CHRISTOPH. HELLWIGII *Regularum de formulis medicamentorum conscribendis*, Francof. 1707. 8. editarum, aliorumque praeterea.

o) Vid. *Eius introduct. in art. medic.* cap. XI. §. 5.

p) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. XI. §. 15.

q) Vid. LINDEN, *renouat.* p. 900. vbi octo citantur editiones.

r) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. introduct.* c. XI. §. 15. Laudanda CHRISTIANI MARGGRAVII Materia medica contracta, cuius altera pars hoc vnum praecipue docet, & quidem perelegantèr, constructis tabulis in hanc rem vtilissimis.

§. XXII.

GEORG. WOLFFG. WEDELII *Tabulae synopticae* s) *de compositione medicamentorum extemporanea, ad praxin clinicam & vsum hodiernum accommodatae*, vna cum eiusdem *Libro* t) *de medicamentorum compositione extemporanea, tribus sectionibus distincto*, a modo nominato G. C. SCHELHAMMERO u), ceu optimae notae, sunt commendatae; immo reliquis huius generis scriptoribus praelatae. IO. PHIL. EYSELII *Compendium de*

for-

formulis medicis praescribendis, quod Erfurti 1710. 8. altera prela reliquit, postea operibus eius medicis & chirurgicis, Moeno-Francofurti ac Lipsiae 1718. 8. iunctim impressis, fuit adsociatum. IO. IAC. FICKII *Manuductio ad formularum compositionem, Tabulis XXIII. cum scholiis, notarum schemate, atque exemplis idoneis, absoluta*, Ienae 1713. 4. lucem salutauit litterariam. Ea contra, HIER. DAV. GAVBII *Libellum de methodo concinnandi formulas medicamentorum*, Lugduni batau. anno 1740. 8. euulgatum, hactenus vlterius haud noui, quam quatenus eundem in tabulis publicis nouorum litterariorum, quae Lipsiae eduntur, & quidem dicti anni 1740. pag. 67. seq. non sine encomio, recensitum legi.

s) Ienae 1677. & 1701. fol.

t) Ibid. 1679. & 1693. 4.

u) Vid. *Eius additam. ad Conring. introduct.* cap. XI. §. 15. vbi haec scribit: MARGGRAVII docendi modum felicius deinde imitatus est celeberrimus noster WEDELIVS, itidem editis tabulis, quas iusto deinde commentario illustrauit, & tam aperte rem omnem dixit, vt nihil eo in genere luculentius desiderari queat.

CAP. VIII.

DE SCRIPTORIBVS CHIRVRGICIS.

§. I.

Quem ad modum chirurgia, siue eius respicias antiquitatem, siue euidentem eiusdem probandi rationem, siue ineuitabilem atque minime dispensandam necessitatem illius, peculiari prae reliquis salutaris artis partibus praerogatiua gaudet: ita scriptorum quoque, qui de eadem bene mereri studuere, numerus in

in infinitum prope excreuit. Postquam vero, paullo quidem remotiore aetate, CONR. GESNERVS in *Enumeratione* a) *alphabetica chirurgorum illustrium;* recentissimis autem temporibus, LAVR. HEISTERVS in *Bibliotheca* b) *chirurgica*, indicem si non ex omni, maxima tamen ex parte plenum, eumque elementari c) ordine instructum, in quo plerosque, partim etiam praecipuos, chirurgos recensuere, nobis exhibuerunt; equidem hoc loco potissimorum solum iniecta mentione, iudicia doctorum de editis ab illis operibus hinc illinc adiiciam; de cetero breuitati, perspicuitati & ordinis rationi vbiuis studebo.

a) Vid. tom. I. cap. I. sect. IV. §. 13.

b) Praemissa haec est *Institutionibus* eius *chirurgicis*, Amstelod. 1739. 4. impressis, sex constans plagulis; sed minime omnium naeuorum immunis inuenitur. Vt enim taceam, diuersos autores, ex obliuione, iterum iterumque citatos esse: variae etiam praeterea recensiones plane erroneae vno alteroque loco sunt insertae. Ita, exempli caussa, Chirurgici scriptores optimi a GESNERO editi Tiguri 1555. fol. p. XI. falsa omnino, p. XIX. vero recta ratione iustoque ordine censentur. Fundamento etiam omni caret, quod p. XII. de Commercio litterario Norimbergensi scriptum legitur: Dolendum vero, opus tam vtile non amplius continuari.

c) Hoc saltem discrimine, quod GESNERVS in recensendis scriptoribus ordinem Praenominum, HEISTERVS autem seriem Nominum gentilitiorum sit sequutus.

§. II.

Commode ergo praesens quoque caput in duo segmenta dispesci poterit: in quorum priori, de scriptoribus chirurgicis generalibus quae notatu maxime erunt necessaria, in medium allaturus; in posteriori vero, de illis sum loquuturus, qui de hac illaue in specie operatione, vel de aliis huc spectantibus argumentis specialioribus egerunt, eademque peculiaribus diatribis, seu commentationibus illustrare sunt conati.

CAP.

CAP. VIII. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS CHIRVRGICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores chirurgici graeci §. *1.* *Latini, arabes & latino-barbari* §. *2.* *Scriptores chirurgici celebriores saeculi XVI.* §. *3. 4.* *Saeculi XVII.* §. *5-7.* *Scriptores chirurgici recentissimi* §. *8. 9.*

§. I.

In medicorum graecorum, quorum libri chirurgici ad nostram vsque sunt superstites a) aetatem, republica, illustrem sine controuersia triumuiratum constituere apti erunt HIPPOCRATES, CLAVD. GALENVS, & PAVL. AEGINETA. Horum primi huc pertinentia b) opera, maximam partem a VIDO c) VIDIO & STEPH. d) MANIALDO seorsim edita; alias autem, ex ANVT. FOESII partitione, sect. VI. operum *Hippocraticorum* inuenienda, tantum autori suo pepererunt existimationis e), vt singula f) ferme, praecipue g) autem liber de vulneribus capitis, cum veterum tum recentiorum commentariis fuerint illustrata. CLAVD. GALENI scripta chirurgica, partim disputationibus h) aduersus ERASISTRATVM eiusque adseclas, partim commentariis i) in aliquot chirurgicos HIPPOCRATIS libros, constantia, ex MARC. AVREL. SEVERINI k) sententia, eius sunt indolis, vt decremento masculae illius & *Hippocraticae* chirurgiae proximam praebuerint ansam. Ea contra, PAVL. AEGINETA sexto operis sui de re medica l) libro plus gloriae est adeptus; primus enim, si credimus modo nominato SEVERINO m), graecorum medicorum fuit, qui chirurgiam separatim tractauit, nec reliquis cum medicinae partibus eandem commiscuit.

a) Nam-

a) Namque ASCLEPIADIS, APOLLONII, ARCHIGENIS, ARETAEI, PHILOXENI, SOSTRATI, NYMPHODORI, aliorumque compluriunn libros chirurgicos dudum iam periisse, nemo ignorat. Excerpta contra ab ORIBASIO *Collectanea de fasciis ex* HERACLE, & *de machinamentis ex* HELIODORO, particularibus accensenda veniunt scriptoribus. Fragmentorum autem Chirurgorum graecorum, quae Florentiae in bibliotheca Medicea inueniuntur, quaeque ANTONIVS COCCHI e rarissimo dictae bibliothecae manu scripto codice iam dudum a se edenda promisit, nihil quidquam hactenus oculis vsurpare mihi contigit.

b) De v. gr. *medici officina lib. I. De fracturis lib. I. De articulis lib I. Vectiarius, seu, de luxatorum ossium repositione lib I De vlceribus lib I. De fistulis lib. I. De haemorrhoidibus lib I.; De capitis vulneribus lib I. & De foetus in vtero mortui exsectione lib. I.*

c) *Chirurgia e graeco in latinum a* VIDO VIDIO *conuersa, cum commentariis propriis &* GALENI. Lutetiae 1544. fol. Quaenam hic quaerenda sint, iam tom. I. cap. VII. sect. II. §. 17. indicaui.

d) HIPPOCRATIS *Coi Chirurgia, nunc primum graece restituta, latinitate donata, & commentariis illustrata a* STEPH. MANIALDO. Paris. 1619. 8.

e) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* c. XII. §. 2. Ex veteribus autem primo loco nominanda sunt *Hippocratica* scripta, quae sectione sexta operum editionis *Foesianae* continentur, quae omnia, vtpote HIPPOCRATE maxime digna, commentariis GALENVS explicauit.

f) Index autorum, qui in quemque chirurgicum Hippocratis librum fuerunt commentati, in GOELICKII *Historia medicinae vniuersal.* p. 735. seq euolui poterit.

g) In FABRICII quidem *Bibliothec. graec.* lib. II. c. XXIV. p. 851. seq. haec leguntur: GALENI commentarius in HIPPOCRATIS librum de capitis vulneribus periit, illustrarunt autem illum PETRVS PAAW, HIPPOL. PARMA, IVL. CAES. ARANTIVS. FRANC. VERTVNIANI Commentarius, & IOSEPHI SCALIGERI Castigationes lucem viderunt Parisiis 1578. 8. Varia autem additamenta locum hic inuenire possent, commodeque inter Commentatores in tractatum isthunc *Hippocraticum* locum aliquem mereri VIDVS VIDIVS, GABR. FALLOPPIVS, & IO. BAPT. CORTESIVS.

h) Inueniri hae possunt, ex IANI CORNARII Partitione, in classe sexta operum GALENI, pertinentque ad therapiam magis quam ad chirurgiam. Tituli earum sunt sequentes: *De hirudinibus, reuulsione, cucurbitula & scarificatione liber. De venae sectione aduersus* ERASISTRATVM *liber. De venae sectione aduersus Erasistrateos, qui romae degebant, Liber. De curandi ratione per sanguinis missionem liber.*

i) Hi

i) Hi reperiuntur tomo VI. seu Classe septima, operum GALENI, suntque *Commentarii tres in* HIPPOCRATIS *Librum de officina medici*; *Commentarii tres in* HIPPOCRATIS *Librum de fracturis*; & *Commentarii quatuor in* HIPPOCRATIS *Librum de articulis*. *Tractatus* autem *de fasciis* non exstat in omnibus editionibus.

k) In *Medicina efficaci* lib. I. part. I. c. 20. & 21. quo posteriore loco inter HIPPOCRATEM atque GALENVM eiusmodi comparationem instituit, quae huic alteri parum est laudabilis.

l) Vid. tom. I. c. II. sect. I. §. 15.

m) Cit. lib. I. Part. I. c. 20.

§. II.

E medicis latinis adhuc superstitibus n), AVREL. CORNEL. CELSVS; ex Arabibus, in quantum nobis quidem innotuere, ALBVCASA; & ex ita dictis denique latino barbaris, prae reliquis, o) GVIDO DE CAVLIACO, & IOANNES DE VIGO, in censum hic venire poterunt. Primum horum quantum attinet, ex eius supra p) iam recensitis libris VIII. de medicina referendi huc liber septimus atque octauus, in quorum vtroque CELSVS adquisitam sibi in arte chirurgica sollertiam tali ratione demonstrauit, vt proximum ipsi ab HIPPOCRATE locum MARC. AVREL. SEVERINVS q) concesserit, IOANNES autem VAN HORNE r) lectionem librorum eius vehementer commendauerit. Singularia ALBVCASAE merita, quorum gratiam *Libris III. de chirurgia* apud posteros optimo iure sibi adquisiuit, iam superius s) indicaui. GVIDONIS DE CAVLIACO *Chirurgia*, & seorsim saepius t) impressa, & collectionibus chirurgorum latino-barbarorum, u) quae Venetiis 1499. & 1546. fol. prodierunt, inserta, septem constat libris, quos notatu digna w) praecedit praefatio de historia chirurgiae. De cetero sermone quidem barbare latino est consignata, nihilo tamen minus, propter contentas in ea res, a GABR. x) FALLOPPIO maximi aestimata, & a IO. TAGAVLTIO in *Institutionum* y) *chirurgicarum libris quinque*, puriore latinitate donata z), nec non passim aucta; a) a VERDVCIO *) autem in bre-

SON & IO. QVINCY; ex Gallorum vero gente, Monſ. SENAC & MALOVIN, prae ceteris, qui in cenſum veniant, digni habentur. *Primi* horum liber huc ſpectans, lingua conſignatus anglicana, hoc titulo gaudens: *A compleat Courſe of Chymiſtry, By* GEORG WILSON, Londini 1735. 8. quintum prela reliquit. IO. QVINCY *Praelectiones pharmaceuticae: or a Courſe of lectures in Pharmacy chymical and galenical, by* IOHN QVINCY, Londini 1723. 4. impreſſae, ob plauſum ſubſequutum, rubrica praenotatae: *Pharmacopoeia officinalis & extemporanea: or, a compleat Engliſch Diſpenſatory; by* IOHN QVINCY, Londini anno 1739. 4. ſunt recuſae. Liber gallicus, inſcriptus: *Nouveau Cours de chymie, ſuivant les principes de* NEWTON *& de* STAHL, *par Monſ.* SENAC, Lutetiae Pariſ. 1723. 12. excuſus, beneuole b) exceptus fuit: nec minus alterum gallicano ſermonis genere conſcriptum libellum, qui titulum praefert: *Traité de chymie, contenant la manière de préparer les remedes, qui ſont le plus en uſage, dans la pratique de la medecine, par* M. MALOVIN, Pariſiis 1734. 12. typis exſcriptum, Facultas medica Pariſina honeſtis admodum teſtimoniis ornare dignata eſt.

a) Vid. Tom. I. cap. V. §. 29.
b) Conferantur noua litterar. anni 1724. pag. 262. ſeq.

§. XVIII.

Numerus germanorum, qui ſaeculo, quod iam prope ad medium procurrit, decimo octauo, calamos ad Pharmaciam ornandam arripuerunt; haud eſt exiguus; ego vero, moris mei tenax, paucorum c) ſaltem iniecturus ſum mentionem. IO. MAVR. HOFFMANNI *Acta Laboratorii chemici Altorfini, chemiae fundamenta, operationes praecipuas, & tentamina curioſa, ratione & experientia ſuffulta, complectentia,* Norimb. & Altdorf. 1719. 4. impreſſa, ob ſolidam, iuſtoque ordine adornatam docendi rationem hic adhi-

adhibitam, in diuerfis academiis, praelectionibus chemicis fundamenti loco fuerunt fubftrata. De GEORG. ERNEST. STAHLII *Fundamentis chymiae dogmaticae & experimentalis*, Norimb. 1723. 4. editis, & IO. IVNCKERI *Confpectu chimiae theoretico-practicae, in forma tabularum repraefentato*, Halae 1730. 4. excufo, iam in Hiftoria medicinae litteraria, fub *Stolliano* nomine luci expofita, pagina 795. feq. debita cum laude me dicere, memini. HERM. FRID. TEICHMEYERI *Inftitutiones chemiae dogmaticae & experimentalis, in quibus chemicorum principia, inftrumenta, operationes, & producta, fimulque analyfes trium regnorum fuccincta methodo traduntur*, Ienae 1729. 4. diuulgatae multos inuenere fautores. HERM. BOERHAAVII *Elementa chemiae*, Lugd. Bat 1732. 4. in lucem expofita litterariam, etiamfi diffufiora iufto, adeo tamen auide funt diftracta, vt mox eadem Lipfiae, Londini, Venetiis & Lutetiae Parifiorum recudenda fuerint; ita quidem, vt editioni Parifinae anni 1733. 4. duodecim opufcula *Boerhaauiana* & fermones academici ab illo habiti fimul adiicerentur. Ea contra, inter Epitomographos chemicos, praeter iam laudatum Compendium *Wedelianum*, GOTHOFREDVS d) ROTHE, IO. FRIDER. e) CARTHEVSERVS, & PETR. GERICKIVS inclarefcere ftuduerunt, quorum poftremo loco nominatus fua *Fundamenta Chemiae rationalis*, Berolini 1740. 8. euulgata, methodo mathematicae fimili tradere eft conatus.

c) Sic, ex. gr. de IOAN. BOHNII *Differtationibus chymico-phyficis*, GEORG. ERNEST. STAHLII *Obferuationibus chymico-phyfico-medico-curiofis*; FRID. HOFFMANNI *Obferuationibus phyfico-chemicis felectioribus*, aliisque in hoc genere dominantibus veluti & excellentibus fcriptis, commode hoc loco fermonem inftituere non potui, quoniam non ceu mere pharmaceutica, fed potius ceu mifcellanea fcripta confideranda veniunt. Ad AVGVSTI contra QVIRINI RIVINI *Manuductionem ad chemiam pharmaceuticam*; ad ANDR. PETERMANNI *Chymiam*, Lipfiae 1708. 8. excufam; GEORG. FRID. STABELII *Chymiam dogmatico-experimentalem*, Halae 1728. 8. fignatam characteribus, aliosque fubfiftere non placuit.

d) Titulus elegantissimi eius compendii ita habet: GOTTFR. ROTHENS *Gründliche Anleitung zur Chemie, darinn nicht nur die in derselben vorkommende Operationes, und die aus den Operationibus entstehende Producta, sondern auch die Praeparationes der besten chemischen Medicamenten, aus der berühmtesten Medicorum, sonderlich* LUDOVICI, WEDELII, STAHLII &c. *Schrifften, nebst andern, die man sonst rar und geheim gehalten, aufrichtig gewiesen wird,* Lipsiae illud annis 1717. 1721, 1727. 8. & nouissime 1745. 8. cum nonnullis additamentis SAM. THEODOR. QVELMALZII fuit excusum atque recusum: quarum editionum posteriores prima sunt auctiores. Quanti de cetero tractatus iste a IO. DAN. GOHLIO aestimatus, quantisque huius viri circa chemiae culturam sibi parta merita encomiis sint concelebrata; ex Actis medicorum Berolinensium, decad. I. volum. I. pag. 88. seq. abunde patebit.

e) IO. FRID. CARTHEVSERI *Elementa chemiae medicae dogmatico-experimentalis, vna cum synopsi materiae medicae selectioris, in vsum tyronum edita.* Halae 1736. 8.

§. XIX.

Hactenus de potissimis scriptoribus, iisque generalioribus, qui cum de galenica, tum de chemica pharmacia bene mereri studuerunt, egi. Quod si iam, ad scriptores particulares recensendos descendendo, illos in scenam producere vellem, qui de ratione huius illiusue medicamenti praeparandi, in dissertatione aliqua aut alio breuiori schediasmate peculiariter praeceperunt, in adeo amplum excursurus essem campum, quem fines instituti mei non caperent. Ne tamen lectorem nimis ieiunum hinc dimittam; praeter ea, quae iam ante allegatus ANT. MVSA BRASAVOLVS, ANGELVS SALA, & BERN. GEORG. f) PENOTVS huc pertinentia, in medium attulerunt, sequentem adiiciam elenchum. De theriaca multi g) peculiaribus scriptis egerunt; maximam tamen IO. BAPT. h) SYLVATICVS, iudice CONRINGIO i), in hoc argumento commeruit laudem: cui, ex recentioribus k), THOM. BARTHOLINI *Dissertationes* II. *de theriaca*, Hafniae anno 1671. 4. excusas, addere licet. De mithridatio, NICOL. MVTONI *Collectanea de mithridatii legitima constructione*

ne ad nos peruenerunt, quae, vna cum additamentis MICH. DOERINGII Ienae 1620. 8. typis sunt expressa. De vtroque antidoto BARTHOLOM. l) MARANTA, MARCVS m) ODDVS, MARTINVS n) PANSA, & IO. HENR. o) MEIBOMIVS sollicitos sese gesserunt; & postremi quidem horum tractatus G. C. SCHELHAMMERO p) laudatur. Compositionem inuentae a IOSEPHO QVERCETANO theriacae, quae dicitur, coelestis, IAC. q) VON DOHREN, & IO. r) DOLAEVS descripsere. De mithridatio germanorum, quo nomine mihi vulgo dictum Rob Sambuci venit, MART. BLOCHWITII *Anatomia* s) *Sambuci*, CONRINGIO t) magni aestimata, consuli poterit. Et de confectione ita dicta alchermes IO. LVDOV. u) BERTALDVS, IO. STEPH. w) STROBELBERGERVS, & LAVR. x) EICHSTADIVS, praeterque hos alii quoque nonnulli, peculiares commentatiunculas diuulgauerunt.

f) BERN. GEO. PENOTI *Tractatus varii de vera praeparatione & vsu medicamentorum chymicorum.* Francof. 1594. 8. De reliquis editionibus consulatur LINDENIVS *renouat.* p. 130.

g) Vid. MERCKLINI LINDEN. *renouat.* lib. II. p. 144.

h) IOAN. BAPT. SYLVATICI *De compositione & vsu theriacae* ANDROMACHI *Libri duo.* Heidelbergae anno 1597. 8. & Lugdun. 1607. 8. quarum editionum posteriori THOMAE ERASTI *Examen de simplicibus, quae ad compositionem theriacae* ANDROMACHI *requiruntur*, adiectum est.

i) *Introduct. in art. medic.* cap. XI. §. 8. Inter recentiores omnium optime de nobilissima ista confectione scripsit IOAN. BAPT. SYLVATICVS.

k) Non minore cum fructu IOANNIS quoque GARMERI *Dissertationes* III. *de Theriaca*, Hamburgi anno 1679. 4. impressae, legi poterunt. Quae MOSES CHARAS *Pharmacopoeiae regiae* ab se conscriptae hac de re inseruerat, ea separatim, in germanicam transfusa linguam, sub hac rubrica: MOSIS CHARAS *Beschreibung der Viper vnd des Theriacs*, Francofurti anno 1699. 8. impressa, publice sunt exhibita.

l) BARTHOL. MARANTAE *De theriaca & mithridatio libri duo, italico sermone scripti, in quibus vera haec antidota componendi ratio breuiter ob oculos ponitur, omniaque simplicia, quorum in hisce antidotis conficiendis vsus est, solertissime examinantur. Nunc pri*

mum opera IOACHIMI CAMERARII *latina ciuitate donati.* Francof. 1576. 8.

m) MARCI ODDI *Meditationes in theriacam & mithridatium accuratisſime elaboratae, per quas veriſſima conficiendarum antidotorum methodus perhibetur, & multi medicorum & pharmacopoeorum errores confutantur, cum omnium ſimplicium haſce antidotos perficientium examine.* Venet. 1576. 4.

n) MART. PANSAE *Tractat von IV. weitberühmten Antidotis, als* I. *von dem köſtlichen theriaca Andromachi.* II. *von dem Mithridat.* III *vom gülденen Ey.* IV. *von einer neuen Eſſentia: wie ſie alleſamt recht zu bereiten: wozu ſie dienen, vnd wie ſie fruchtbarlich in den ſchwerſten Kranckheiten zu gebrauchen.* Halle 1619. 8.

o) IO. HENR. MEIBOMII *De Mithridatio & Theriaca diſcurſus.* Lubecae 1659. 4.

p) In *Additamentis ad Conringii introduct.* cap. XI. §. 8.

q) IAC. VON DOHREN *Theriaca coeleſtis* IOSEPH. QVERCETANI & FRID. GREIFFII. Caſſellis 1676. 12.

r) Huiusce *Theatrum theriacae coeleſtis Hoffſtadianae*, feorſim initio impreſſum, operibus deinceps eius medicis tom. I. cap. V. §. 33. a me in cenſum vocatis, fuit adſociatum.

s) MART. BLOCHWITII *Anatomia Sambuci, quae non ſolum Sambucum & huiusdem medicamenta ſingulatim delineat, verum quoque plurimorum affectuum, ex vna fere Sambuco, curationes breues, rationibus, exemplis, hiſtoriis, & medicamentis ſpecificis non paucis illuſtratas, ſimul exhibet.* Lipſ. 1631. 12. Hic ipſe liber a DAN. BECKHERO in germanicum translatus ſermonem, addito tractatu de Iunipero, titulum prae ſe ferens: DAN. BECKHERS *nützliche kleine Haus-Apotheke*, Regiomonte 1650. 8. excuſus, nec non, quibusdam opuſculis auctior, Gieſſae 1665. 8 & Lipſiae anno 1685. 8. fuit recuſus Id quod breuiter ſaltem hic ſimul adnotare non nolui.

t) Inſpiciatur *Eius introduct. in art. medic.* cap X. §. 42. vbi paruus quidem, ſed egregius & lectu dignus libellus, appellatur.

u) IOAN. LVDOV. BERTALDI *Tractatus confectionis de Hyacintho & confectionis Alchermes. Cum commentariis auctoris.* Taurini 1619. 4.

w) IO. STEPH STROBELBERGERI *Tractatus nouus, in quo de Cocco baphica & quae inde paratur, confectionis Alchermes recto vſu diſſeritur. Cui inſertus eſt* LAVR. CATELANI *genuinus eiusdem confectionis apparandae modus.* Ienae 1620. 4.

x) LAVR EICHSTADII *De confectione Alchermes, in Pomerania parari coepta, deque eius compoſitione, ſingulorum ingredientium examine, qualitate, virtute atque facultatibus per* XXI. *Sectiones ſuccincta diſſertatio & exercitatio medica.* Stetini 1634. 4. & 1635. 8. G. C. SCHELHAMMERVM & de EICHSTADII, & de STROBELBERGERI

GERI tractatu admodum honorifice sensisse, testatum faciunt eius ad *Conringianae* introductionis cap. XI, §. 8. pag. 390. obuia legentibus additamenta.

§. XX.

In elleborismos veterum inquisiuit IO. HENR. SCHVLZIVS y). RAYMVND. MINDERERI *Aloëdarium* z) *marocostinum* de inuentis ab ipso pilulis marocostinis ex instituto nos instruit. CLAVD. DEODATI a) *De vero & legitimo aquae cordialis concinnandi modo, & vtendi ratione libellus*, circa manifestatum ab HERCVLE SAXONIA medicamentum occupatur. GODOFREDVS SCHVLTZIVS non *Dissertationem* tantum *pharmaceutico-therapeuticam de natura tincturae bezoardicae* IO. MICHAELIS, *cum appendice de mistura simplici*, Halae 1678. 8. impressam, sed *Scrutinium* b) quoque *Cinnabarinum* nobis exhibuit. De medicamentis opiatis IO. c) FREITAGIVS, MATTHIAS d) TILINGIVS, & GEORG. WOLFFG. e) WEDELIVS; de medicamentis porro camphoratis GODOFREDVS f) MOEBIVS; de medicamentis rhabarbarinis deinde, modo nominatus MATTH. g) TILINGIVS; & de medicamentis denique tartareis, praeter ANGELVM SALAM, FRIDER. h) ZOBELIVS, peculiaribus egerunt commentationibus. Medicamenta vitriolata ANG. *) SALAE, RAYM. i) MINDERERO, & IO. GEORG. k) TRVMPHIO, curae fuerunt; medicamentorum contra antimonialium descriptionem laudatus toties ANG. SALA in *Anatomia antimonii*, Lugduni bat. 1617. 8. exposita luci, dedit. CASP. NEVMANNVS non tantum germanica conscriptas lingua *Lectiones chymicas de salibus alcalino-fixis, camphora, succino, opio, castoreo & caryophyllis aromaticis*, Berolini 1727. 4. in lucem exposuit publicam; sed & alias quatuor *Lectiones publicas, de nitro, sulphure, antimonio, & ferro*, euulgauit; nec non *Lectiones de quatuor subiectis pharmaceutico-chymicis, de sale videlicet ordinario seu communi, de tartaro, sale ammonia-*

co, & formica, Züllichouiae imprimendas curauit, anno 1737. 4. A perquam celebri illo chemico, IO. HENR. POTT, *Obseruationum & animaduersionum chymicarum, praecipue zincum, boracem, & pseudogalenam tractantium, collectionem*, Berolini 1741. 4. characteribus typotheticis signatam, accepimus. Ab aliis tandem diuersae materiae pharmaceuticae speciliores, quas hic reliquas studio facimus, peculiaribus sunt propositae exercitationibus.

y) In *Dissertatione de Elleborisinis veterum*, Halae 1717. 4. edita, quae autoris haud ita pridem ibidem anno 1743. 4. diuulgato *Fasciculo dissertationum academicarum primo*, & quidem auctior, est inserta.

z) Augustae Vindelic. 1616. 8. & auctius 1622. & 1626. 12.

a) Patauii 1603. 8. Hanou. 1652. 12.

b) *Seu, Trigam Cinnabriorum, quae sistit naturam Cinnabaris antimonii, natiuae & factitiae vulgaris nec non specifici cephalici* IOAN. MICHAELIS, *cum appendice de emplastro magnetico hernias scrotales curante*. Halae 1680. 8.

c) IOAN. FREITAGII *De opii natura & medicamentis opiatis, ad omnes totius corporis affectus probatissimis, & recta, rationali hactenusque inexplicata iis vtendi methodo liber singularis*, Groningae anno 1632. 8. & Lipsiae 1634. 8.

d) MATTHIAE TILINGII *Anchora salutis sacra, seu, de Laudano opiato, medicamine isto diuino ac coelitus demisso, liber singularis*. Francof. 1671. 8.

e) GEORG. WOLFFG. WEDELII *Opiologia*. Ienae 1674. 4. 1682. 4.

f) GODOFR. MOEBII *Anatomia camphorae, eius originem, qualitates, praeparationes chymicas ac vires succincte exhibens*. Ien. 1660. 4.

g) MATTH. TILINGII *Rhabarbarologia, seu, curiosa rhabarbari disquisitio, illius etymologiam, differentiam, locum natalem, formam, temperamentum, vires, item eius adulterationem, conseruationem, electionem, noxam & correctionem, dosin atque vsum pharmaceuticum chymico-medicum detegens*. Francof. 1679. 4.

h) FRIDER. ZOBELII *Tartarologia spagyrica, seu, medicamentorum ex tartaro in laboratorio Gottorpiensi paratorum fidelis descriptio, duabus sectionibus comprehensa*. Ex Bibliotheca GEO. WOLFFG. WEDELII. Ienae 1676. 12.

*) ANGELI SALAE *Anatomia vitrioli in duos tractatus diuisa, ex italica in latinam linguam translata* a I. P. C. R. Aureliae Allobrog. 1609. 12. 1613. 12. Lugdun. Batau. 1617. 8.

i) RAYMVNDI MINDERERI *De Chalcantho, seu, Vitriolo, eiusque qualitate, virtute ac viribus, nec non medicinis ex eo parandis, disqui-*

quisitio iatro-chymica, frigidis ac crudis quorundam de Vitriolo sinistre sentientium opinionibus opposita. Augustae Vindelicor. 1617. 4. Autor, ob hanc disquisitionem, AETIVM CLETVM, PETRVM CASTELLVM aliosque expertus est aduersarios; contra quos ipsos vero caussam eius dixit eumque defendit DAV. VERBEZIVS: id quod in transitu veluti breuiter adnotasse iuuit.

k) IO. GEORG. TRVMPHII *Scrutinium chymicum vitrioli, in quo huius salis mineralis nomen, definitio, differentia, delectus, temperamentum & vires methodice proponuntur, vsus in medicina, fusus demonstratur, & tutus asseritur, medicamentorum solidorum & liquidorum, parandi modus multis nouis singularibusque encheiresibus illustratur.* Ienae 1667. 4.

§. XXI.

Coronidem huic capiti prius quam imponam, illud scriptorum genus succincte, & leui, quod dicitur, penicillo, attingam, qui de sollerti miscendorum atque componendorum ratione medicamentorum, vel, vt vno verbo, eoque consueto dicam, de formulis praescribendis, peculiariter agendi in se suscepere sollicitudinem. Quandoquidem igitur ad remotiora adsurgere tempora in isthoc argumento integrum mihi non l) est: ex paullo saltim antiquioribus m), MARCO BANZERO, PETRO MORELLO, & CHRISTIANO MARGGRAVIO; e recentioribus autem, GEOR. WOLFFG. WEDELIO, IO. PHIL. EYSELIO, IOAN. IAC. FICKIO, & HIER. DAV. GAVBIO, prae reliquis, sedes aliqua in huius nostrae bibliothecae selectae scriniis adsignetur. MARC. BANZERI *Fabrica receptarum, id est, methodus breuis, perspicua ac facilis, in qua, quae sint remediorum compositorum formae, quae earundem differentiae, quae componendi & praescribendi ratio, quae denique vtilitas, & quis vtendi modus, planissime edocetur,* Augus. Vindel. 1622. 8. impressa, cum CONRINGII o) ipsius, tum SCHELHAMMERI p) laudem meruit. PET. MORELLI *Methodus praescribendi formulas remediorum*, crebrius excusa q), optime vero cum GERARD. BLASII additamentis Amstelodami 1659. 1665. & 1680. 12. diuulgata, multorum inuenit

suffragia. CHRISTIANI denique MARGGRAVII *Materiam medicam contractam*, Lugd. bat. 1674. 4. & Amstelod. 1682. 4. luci expositam, habemus, cuius pars secunda r) cum fructu legi hic poterit.

l) Vid. SCHELHAMMERI *Additam ad Conring. Introduct.* cap. XI. §. 15. Et vero non desunt nobis autores plurimi, qui hanc rem scriptis illustrarunt, *ex recentioribus saltem.* Veteres enim graeci & arabes priores, cum suis manibus componerent medicamenta, seorsim his instrui non habebant opus.

m) Breviati nisi studuissem, praeter alios plures, LAVR. ESTHII *Dilucidam, breuem & methodicam formularum tractationem*, Hanov. 1604. 8. luci expositam; IOANNIS porro VARANDAEI *Formulas remediorum internorum & externorum, publicatas per* PETRVM IAENICHIVM, Hanouiae 1617. 8. impressas & denique vel in primis, laudatum etiam G. C. SCHELHAMMERO in *additam. ad Conring. introduct.* cap. XI. § 15. *Syntagma componendi & praescribendi medicamenta* IOAN. THEOD. SCHENCKII, Ienae 1672. 4. typis exscriptum, excitare huc potuissem.

n) Hoc quoque loco poterat mentio fieri MICH. ETTMÜLLERI *Ideae praescribendarum formularum*, Lipsiae 1682. 4. CHRISTOPH. HELLWIGII *Regularum de formulis medicamentorum conscribendis*, Francof. 1707. 8. editarum, aliorumque praeterea.

o) Vid. *Eius introduct. in art. medic.* cap. XI. § 5.

p) In *Additament. ad Conring. introduct.* cap. XI. §. 15.

q) Vid. LINDEN. *renouat.* p. 900. vbi octo citantur editiones.

r) Vid. SCHELHAMMERI *Additam. ad Conring. introduct.* c. XI. §. 15. Laudanda CHRISTIANI MARGGRAVII Materia medica contracta, cuius altera pars hoc vnum praecipue docet, & quidem pereleganter, constructis tabulis in hanc rem vtilissimis.

§. XXII.

GEORG. WOLFFG. WEDELII *Tabulae synopticae* s) *de compositione medicamentorum extemporanea, ad praxin clinicam & vsum hodiernum accommodatae*, vna cum eiusdem *Libro* t) *de medicamentorum compositione extemporanea, tribus sectionibus distincto*, a modo nominato G. C. SCHELHAMMERO u), ceu optimae notae, sunt commendatae; immo reliquis huius generis scriptoribus praelatae. IO. PHIL. EYSELII *Compendium de for-*

formulis medicis praescribendis, quod Erfurti 1710. 8. altera prela reliquit, postea operibus eius medicis & chirurgicis, Moeno-Francofurti ac Lipsiae 1718. 8. iunctim impressis, fuit adsociatum. IO. IAC. FICKII *Manuductio ad formularum compositionem, Tabulis XXIII. cum scholiis, notarum schemate, atque exemplis idoneis, absoluta,* Ienae 1713. 4. lucem salutauit litterariam. Ea contra, HIER. DAV. GAVBII *Libellum de methodo concinnandi formulas medicamentorum*, Lugduni batau. anno 1740. 8. euulgatum, hactenus vlterius haud noui, quam quatenus eundem in tabulis publicis nouorum litterariorum, quae Lipsiae eduntur, & quidem dicti anni 1740. pag. 67. seq. non sine encomio, recensitum legi.

s) Ienae 1677. & 1701. fol.

t) Ibid. 1679. & 1693. 4.

u) Vid. *Eius additam. ad Conring. introduct.* cap. XI. §. 15. vbi haec scribit: MARGGRAVII docendi modum feliciter deinde imitatus est celeberrimus noster WEDELIVS, itidem editis tabulis, quas iusto deinde commentario illustrauit, & tam aperte rem omnem dixit, vt nihil eo in genere luculentius desiderari queat.

CAP. VIII.

DE SCRIPTORIBVS CHIRVRGICIS.

§. I.

Quem ad modum chirurgia, siue eius respicias antiquitatem, siue euidentem eiusdem probandi rationem, siue ineuitabilem atque minime dispensandam necessitatem illius, peculiari prae reliquis salutaris artis partibus praerogatiua gaudet: ita scriptorum quoque, qui de eadem bene mereri studuere, numerus in

in infinitum prope excreuit. Postquam vero, paullo quidem remotiore aetate, CONR. GESNERVS in *Enumeratione* a) *alphabetica chirurgorum illustrium;* recentissimis autem temporibus, LAVR. HEISTERVS in *Bibliotheca* b) *chirurgica*, indicem si non ex omni, maxima tamen ex parte plenum, eumque elementari c) ordine instructum, in quo plerosque, partim etiam praecipuos, chirurgos recensuere, nobis exhibuerunt; equidem hoc loco potissimorum solum iniecta mentione, iudicia doctorum de editis ab illis operibus hinc illinc adiiciam; de cetero breuitati, perspicuitati & ordinis rationi vbiuis studebo.

a) Vid. tom. I. cap. I. sect. IV. §. 13.

b) Praemissa haec est *Institutionibus* eius *chirurgicis*, Amstelod. 1739. 4. impressis, sex constans plagulis; sed minime omnium naeuorum immunis inuenitur. Vt enim taceam, diuersos autores, ex obliuione, iterum iterumque citatos esse: variae etiam praeterea recensiones plane erroneae vno alteroque loco sunt insertae. Ita, exempli caussa, Chirurgici scriptores optimi a GESNERO editi Tiguri 1555. fol. p. XI. falsa omnino, p. XIX. vero recta ratione suoque ordine censentur. Fundamento etiam omni caret, quod p. XII. de Commercio litterario Norimbergensi scriptum legitur: Dolendum vero, opus tam vtile non amplius continuari.

c) Hoc saltem discrimine, quod GESNERVS in recensendis scriptoribus ordinem Praenominum, HEISTERVS autem seriem Nominum gentilitiorum sit sequutus.

§. II.

Commode ergo praesens quoque caput in duo segmenta dispesci poterit: in quorum priori, de scriptoribus chirurgicis generalibus quae notatu maxime erunt necessaria, in medium allaturus; in posteriori vero, de illis sum loquuturus, qui de hac illaue in specie operatione, vel de aliis huc spectantibus argumentis specialioribus egerunt, eademque peculiaribus diatribis, seu commentationibus illustrare sunt conati.

CAP.

CAP. VIII. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS CHIRVRGICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores chirurgici graeci §. 1. *Latini, arabes & latino-barbari* §. 2. *Scriptores chirurgici celebriores saeculi XVI.* §. 3. 4. *Saeculi XVII.* §. 5-7. *Scriptores chirurgici recentissimi* §. 8. 9.

§. I.

In medicorum graecorum, quorum libri chirurgici ad nostram vsque sunt superstites a) aetatem, republica, illustrem sine controuersia triumuiratum constituere apti erunt HIPPOCRATES, CLAVD. GALENVS, & PAVL. AEGINETA. Horum primi huc pertinentia b) opera, maximam partem a VIDO c) VIDIO & STEPH. d) MANIALDO seorsim edita; alias autem, ex ANVT. FOESII partitione, sect. VI. operum *Hippocraticorum* inuenienda, tantum autori suo pepererunt existimationis e), vt singula f) ferme, praecipue g) autem liber de vulneribus capitis, cum veterum tum recentiorum commentariis fuerint illustrata. CLAVD. GALENI scripta chirurgica, partim disputationibus h) aduersus ERASISTRATVM eiusque adseclas, partim commentariis i) in aliquot chirurgicos HIPPOCRATIS libros, constantia, ex MARC. AVREL. SEVERINI k) sententia, eius sunt indolis, vt decremento masculae illius & *Hippocraticae* chirurgiae proximam praebuerint ansam. Ea contra, PAVL. AEGINETA sexto operis sui de re medica l) libro plus gloriae est adeptus; primus enim, si credimus modo nominato SEVERINO m), graecorum medicorum fuit, qui chirurgiam separatim tractauit, nec reliquis cum medicinae partibus eandem commiscuit.

a) Nam-

a) Namque ASCLEPIADIS, APOLLONII, ARCHIGENIS, ARETAEI, PHILOXENI, SOSTRATI, NYMPHODORI, aliorumque compluriuin libros chirurgicos dudum iam periisse, nemo ignorat. Excerpta contra ab ORIBASIO *Collectanea de fasciis ex* HERACLE, & *de machinamentis ex* HELIODORO, particularibus accensenda veniunt scriptoribus. Fragmentorum autem Chirurgorum graecorum, quae Florentiae in bibliotheca Medicea inueniuntur, quaeque ANTONIVS COCCHI e rarissimo dictae bibliothecae manu scripto codice iam dudum a se edenda promisit, nihil quidquam hactenus oculis vsurpare mihi contigit.

b) De v. gr. *medici officina lib. I. De fracturis lib. I. De articulis lib I. Vectiarius, seu, de luxatorum ossium repositione lib I De vlceribus lib I. De fistulis lib. I. De haemorrhoidibus lib I.; De capitis vulneribus lib I. & De foetus in vtero mortui exsectione lib. I.*

c) *Chirurgia e graeco in latinum* a VIDO VIDIO *conuersa, cum commentariis propriis &* GALENI. Lutetiae 1544. fol. Quaenam hic quaerenda sint, iam tom. I. cap. VII. sect. II. §. 17. indicaui.

d) HIPPOCRATIS *Coi Chirurgia, nunc primum graece restituta, latinitate donata, & commentariis illustrata a* STEPH. MANIALDO. Paris. 1619. 8.

e) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* c. XII. §. 2. Ex veteribus autem primo loco nominanda fuit *Hippocratica* scripta, quae sectione sexta operum editionis *Foesianae* continentur, quae omnia, vtpote HIPPOCRATE maxime digna, commentariis GALENVS explicauit.

f) Index autorum, qui in quemque chirurgicum Hippocratis librum fuerunt commentati, in GOELICKII *Historia medicinae vniuersal.* p. 735. seq euolui poterit.

g) In FABRICII quidem *Bibliothec. graec.* lib. II. c. XXIV. p. 851. seq. haec leguntur: GALENI commentarius in HIPPOCRATIS librum de capitis vulneribus periit, illustrarunt autem illum PETRVS PAAW, HIPPOL. PARMA, IVL. CAES. ARANTIVS. FRANC. VERTVNIANI Commentarius, & IOSEPHI SCALIGERI Castigationes lucem viderunt Parisiis 1578. 8. Varia autem additamenta locum hic inuenire possent, commodeque inter Commentatores in tractatum isthunc *Hippocraticum* locum aliquem tueri VIDVS VIDIVS, GABR. FALLOPPIVS, & IO. BAPT. CORTESIVS.

h) Inueniri hae possunt, ex IANI CORNARII Partitione, in classe sexta operum GALENI, pertinentque ad therapiam magis quam ad chirurgiam. Tituli earum sunt sequentes: *De hirudinibus, reuulsione, cucurbitula & scarificatione liber. De venae sectione aduersus* ERASISTRATVM *liber. De venae sectione aduersus Erasistrateos, qui romae degebant, Liber. De curandi ratione per sanguinis missionem liber.*

i) Hi

i) Hi reperiuntur tomo VI. seu Classe septima operum GALENI, suntque *Commentarii tres in* HIPPOCRATIS *Librum de officina medici*; *Commentarii tres in* HIPPOCRATIS *Librum de fracturis*; & *Commentarii quatuor in* HIPPOCRATIS *Librum de articulis*. *Tractatus* autem *de fasciis* non exstat in omnibus editionibus.

k) In *Medicina efficaci* lib. I. part. I. c. 20. & 21. quo posteriore loco inter HIPPOCRATEM atque GALENVM eiusmodi comparationem instituit, quae huic alteri parum est laudabilis.

l) Vid. tom. I. c. II. sect. I. §. 15.

m) Cit. lib. I. Part. I. c. 20.

§. II.

E medicis latinis adhuc superstitibus n), AVREL. CORNEL. CELSVS; ex Arabibus, in quantum nobis quidem innotuere, ALBVCASA; & ex ita dictis denique latino barbaris, prae reliquis, o) GVIDO DE CAVLIACO, & IOANNES DE VIGO, in censum hic venire poterunt. Primum horum quantum attinet, ex eius supra p) iam recensitis libris VIII. de medicina referendi huc liber septimus atque octauus, in quorum vtroque CELSVS adquisitam sibi in arte chirurgica sollertiam tali ratione demonstrauit, vt proximum ipsi ab HIPPOCRATE locum MARC. AVREL. SEVERINVS q) concesserit, IOANNES autem VAN HORNE r) lectionem librorum eius vehementer commendauerit. Singularia ALBVCASAE merita, quorum gratiam *Libris III. de chirurgia* apud posteros optimo iure sibi adquisiuit, iam superius s) indicaui. GVIDONIS DE CAVLIACO *Chirurgia*, & seorsim saepius t) impressa, & collectionibus chirurgorum latino-barbarorum, u) quae Venetiis 1499. & 1546. fol. prodierunt, inserta, septem constat libris, quos notatu digna w) praecedit praefatio de historia chirurgiae. De cetero sermone quidem barbare latino est consignata, nihilo tamen minus, propter contentas in ea res, a GABR. x) FALLOPPIO maximi aestimata, & a IO. TAGAVLTIO in *Institutionum* y) *chirurgicarum libris quinque*, puriore latinitate donata z), nec non passim aucta; a) a VERDVCIO *) autem in bre-

breuem synopsin contracta. De IO. DE VIGO *Practica* b) *in arte chirurgica copiosa*, CONRINGIVS *in Introduct. in art. medic.* cap. XII. §. 2. obseruauit, magnam olim autoris huius in Italia fuisse autoritatem.

n) Inter deperdita huius gentis scripta, prae reliquis forsan deplorandi sunt amissi COELII AVRELIANI *Libri de Chirurgia*. Minime ergo veritati consentaneum est, quod ANDR. OTTOM. GOELICKE in *Historia Chirurgiae* p. 63. scripsit: COEL. AVRELIANVS ipsemet quidem chirurgica non tractauit.

o) Reliquos quem nosse eorumque opera legere iuuat, iunctos illos maximam partem inueniet in Collectione Veneta, quam tom. I. c. VII. sect. II. §. 15. citaui. PETRI tamen de ARGILLATA *Libri sex de Chirurgia*, Venet. 1480. 1492. 1497. fol. impressi, hic sunt omissi. E nostrae, Germanorum, gentis vero medicis, hac temporis periodo florentibus, HIERON. BRAVNSCHWEIG liber chirurgicus, inscriptus: *Buch der Cirurgia, oder Hantwirckung der Wund-Artzney*, Augustae Vindel. 1497. fol. cum figuris, signatus typis, locum hic etiam aliquem tueri poterit.

p) Vid. tom. I. c. II. sect. II. §. 1.

q) In *Medicina efficaci* lib I. part. I. c. 20. Sunt igitur, apud quos proficere in re chirurgica possis omnium maxime, primus HIPPOCRATES, secundus CORNELIVS CELSVS, illius eiusdem inter omnes summus & fidissimus aemulator. Deinde ORIBASIVS, & vel maxime PAVL. AEGINETA.

r) In Microtechnes Epilogo, vbi haec: Graeco HIPPOCRATI mox subiungam latinum, CELSVM, inquam, in arte hac fere excelsum, quique simul cum doctrina medica purae latinitatis succum instillat. Dignus certe, qui nunquam de manibus deponatur.

s) Vid. tom. I. c. II. sect. III. §. 9.

t) Venet. 1490. fol. Lugd. 1518. 4. 1559. 8. 1569. 8. 1572. 8. & 1585. 4. c. not. LAVR. IOVBERTI.

u) Vid. tom. I. c. VII. sect. II. §. 15.

w) Ex ea, quae momentum trahunt, in *Stolliana* medicinae historia p. 816. seq. adduxi; id tantum praesenti loco est, quod praeterea moneam, mirari me subiisse, quum viderem, AVR. CORN. CELSI ne verbulo quidem vllam in hac historia factam esse mentionem, sed omnimodo hunc autorem silentio a GVIDONE de CAVLIACO fuisse inuolutum ac praeteritum.

x) Vid. HORNII *Microtechnen* p. 524. De GVIDONE testatur ingenuus FALLOPPIVS, eum non solum, post HIPPOCRATEM & GALENVM, omnes graecos, latinos & barbaros superasse, praesertim eo tempore, quo medica facultas velut in obscurissimo carcere commorabatur; sed etiam multa vtilia & doctissima de suo addi-

addidisse. Condonandum autem est huic saeculo & scriptori, quod, dum propria sibique singulari methodo chirurgiam tradere sibi proposuerit, non potuerit euitare, quin medicamentariam cum manuaria chirurgia confuderit.

y) Paris. 1543. fol. Lugd. 1547. 8. Venet. 1549. 8. Sociatae sunt eaedem quoque collectionibus illis chirurgicis, quarum tom. I. cap. VII. sect. II. §. 16. & 18. mentionem me facere memini.

z) Vid. HORNII *Microtechnen* c. l. GVIDONEM elegantiori lingua loquentem fecit IO. TAGAVLTIVS. Ne quis vero credat, aliam doctrinam ibidem reperiri, sciendum, res esse GVIDONIS, verba IOANNIS. Idem confirmat CONR. GESNERVS in enumeratione alphabetica Chirurgorum illustrium p. 405. verbis quae hic sequuntur: In IO. TAGAVLTII libris V. de chirurgica institutione totum GVIDONIS CAVLIACI chirurgicum volumen continetur: sed multo copiosius, & pro barbaro obscuroque iam latinum, elegans & expeditum.

a) De eo ipse TAGAVLTIVS in praefatione ad lectorem sequentem in modum scribit: GVIDONIS commentarios de Chirurgia conscriptos ita locupletauimus & illustrauimus, a mendisque sordidioribus ac portentosis erroribus expurgauimus, vt non iam amplius CAVLIACI illius opus, sed nostrum merito ab omnibus dici & aestimari possit. Nescio autem, qua de caussa TAGAVLTIVS, quum tot sua augmenta iactet atque ebuccinet, praefationem GVIDONIS & contentam in eadem historiam chirurgiae omittere omnino maluerit, quam, quod factu illi promtum fuisset, nec difficile, puriore sermone romano eandem reddere & ad suam vsque aetatem continuare.

*) Titulus huius synopseos, gallice scriptae, talis est: *Abregé de Chirurgie de* GVY de CAVLIAC *par* VERDVC à Paris 1704. & 1716. 8. Pariter & FRANCISCI RANCHINI *Questions sur toute la chirurgie de* GVY de CAVLIAC, Lugduni 1627. 8. fuerunt typis exscriptae, quas vero non magis, quam versionem belgicam GVIDONIS, Amstelod. 1646. 4. euulgatam, videre mihi contigit.

b) Lugd. 1516. 4. & 1582. 8. De reliquis editionibus confer. HEISTERI *Biblioth. chirurg.* p. 45. vbi & annotatum legimus, hanc ipsam chirurgiam Lugduni 1537. 8. gallicana, Norimb. anno 1677. 4. germanica, Venetiis denique 1560. 1568. & (quod de meo addo) anno 1610. 4. hetrusca lingua fuisse diuulgatam.

§. III.

Saeculo decimo sexto voluente, PARACELSVS, partim edita ab ipso & in lucem exposita litterariam *Chirurgia* c), quam vocat, *magna*, partim aliis

 non

non nullis, quae manu exarata reliquerat, quaeque sectatores deinceps eius euulganda curauerunt, operibus, meditabatur quidem aeque magnam in chirurgia d) quoque reformationem, ac in pharmacia tentauerat; verum enim vero suffragia, quae sperabat, doctorum nequaquam impetrauit e) in hoc ipso negotio; etiamsi circa chirurgiam medicamentariam excolendam cum laude fuerit occupatus, adeo, vt, de ea ipsum bene meritum esse, nec infensissimi eius hostes f) inficias ire vnquam voluerint. Postquam igitur constitui mecum, in recensendis scriptoribus generalibus huc spectantibus, non tam illos in medium producere, qui chirurgiam pharmaceuticam commentationibus suis illustrarunt, quam, qui de operationibus chirurgicis sollicitos sese probauerunt; ex hoc adeo saeculo, Gallos *) quod attinet, STEPH. GOVRMELENO & AMBROSIO PARAEO; quantum porro ad Italos, GABR. FALLOPPIO, ANDR. a CRVCE, HIERONYMO FABRICIO AB AQVAPENDENTE, & VIDO VIDIO iuniori; quoad Germanos g) denique, ANDR. VESALIO, prae ceteris h) locum in hocce scrinio suum adsignabo.

c) Vid. tom. I. c. III. sect. I. §. 3.

d) Spreta enim fere penitus atque in totum Chirurgia incisoria & vstoria, chirurgiam e contrario sympatheticam euehere cogitabat; medicamentariam vero chirurgiam variis remediis mineralibus locupletare studebat.

e) Quam aegre tulerit eius conamina M. A. SEVERINVS, ex medicina ipsius efficaci, lib. I. part. I. c. 8. & 9. abunde apparet; quo loco manifesto demonstrare cunctis allaborauit, quam lubrico minusque solido fundamento *Paracelsica* innitatur Chirurgia.

f) Vid. CONRING, de *Medicina Hermetica* lib. II. c. XIII. p. 397. vbi ita scribit: In vlceribus malignis curandis valuisse PARACELSVM, videtur manifestum esse. Simili ratione iudicat G. C. SCHELHAMMERVS in *Additament. ad* CONRINGII *introduct.* c. IX. §. 3. Interim, inquiens, hoc laudis iure manet PARACELSO, quod vsum metallicorum externum, ab arabibus interceptum, nobis reduxerit, eique rei potissimum adscribendum arbitror, quod in curandis externis malis reliquis sui aeui praestiterit.

*) Bre-

*) Breuitatis caussa, ANTONII CHALMETEI *Enchiridion chirurgicum*, quanquam saepius prela illud fatigauerit, IO. porro RIOLANI, senioris, *Chirurgiam*, praetereaque diuersos alios autores, sciens volensque praeterii.

g) Hoc quoque loco, de GVALTH. HERM. RYFFII *Chirurgia magna*, Francof. 1545. fol. exscripta, FEL. WÜRZII *Chirurgia*, IO. *von* GERSDORF *Chirurgia*, Argent. 1542. fol edita, aliorumque scriptis addere quidquam nolui. Quanquam enim primi horum labor SCHELHAMMERO in *Additament. ad Conring. introduct.* c. XII. § 4. fuit laudatus; aliunde tamen satis notum est, manifestissimis plagiariis RYFFIVM esse accensendum. De WÜRZIO autem GVIL. FABRICIVS HILDANVS contemtim admodum pronunciauit.

h) Hosce eo iustius vel hac de caussa omittere potui, quod vel ipsi illi in paragrapho isthoc excitati, suoque aeuo minime incelebres viri, nostro saeculo, quo tam luculenter emendata in meliusque efformata comparet chirurgia, in multis huiusce partibus, variisque operationibus instituendis, quasi obsoleuisse videri queunt. Sic LAVR. HEISTERVS in praefatione institutionum chirurgicarum scribere non dubitauit: GVIDO CAVLIACVS, FABRICIVS ab AQVAPENDENTE, PARAEVS, SCVLTETVS, SOLINGENIVS aliique ex scriptoribus superiorum vltimorum saeculorum ampliores quidem & perfectiores chirurgias nobis reliquerunt, in quibus quidem de plerisque, si non de omnibus, morbis chirurgicis egerunt; verum quia in eis tam multa desunt recentiorum inuenta & emendationes, eorumque curandi artificia hodie haud raro, si cum recentissimis comparaueris, obsoleta aut prorsus inepta sunt; facile inde patet, antiquiora illa chirurgica scripta pro chirurgia docenda & discenda hodie haud idonea esse.

§. IV.

STEPH. GOVRMELENI *Synopsis chirurgiae*, Lutet. 1566. 8 & *Chirurgicae artis*, ex HIPPOCRATIS *&* *aliorum veterum medicorum decretis, ad rationis normam redactae, Libri tres*, Paris. 1580. 8. excusi, a IOANNE VAN HORNE i) & MARC. AVR. k) SEVERINO ideo laudantur, quoniam autor e gallis primus fuit, qui chirurgiam a reliquis medicinae partibus seiunctam ad melioris *) methodi regulas tradere aggressus fuit. AMBR. PARAEI *Opera chirurgica*, ab ipso quidem gallicano sermone l) conscripta, cura & studio autem IAC. GVILLEMEAV ciuitate latina m) donata, alie-

nisque additamentis adaucta, postmodum denique in germanicam n) aeque ac belgicam o) transfusa linguam, multum existimationis p) sunt consequuta; etiamsi IO. VAN HORNE q) supplementa hic occurrentia Parisinorum quorundam medicorum non adeo fuerint probata. GABR. FALLOPPII Tractatus ad chirurgiam spectantes, tomis II. & III. operum ipsius iunctim editorum r) inueniendi, bono cum fructu legi poterunt; minime tamen dubitandum, quin meliori habitu iidem in publico fuissent comparituri, si autori, supremam iis manum s) imponere, concessum fuisset. ANDR. A CRVCE *Chirurgia* t) *vniuersalis*, italica quoque u) pariter ac germanica w) lingua luci exposita, maximae HERM. x) BOERHAAVIO autoritatis opus habetur. HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE *Opera* y) *chirurgica*, ab HERM. z) CONRINGIO, IO. VAN a) HORNE, & M. A SEVERINO b) laudibus minime vulgaribus sunt euecta; etsi horum vltimus quosdam, quos carperet c), in pulcro hoc corpore inuenerit etiam naeuos. De VIDI contra VIDII libris chirurgicis IO. VAN HORNE & M. A. SEVERINVS honorifice d) admodum pronunciauerunt. ANDR. VESALII *Chirurgiam magnam in VII. libros distributam*, & *a* PROSPERO BORGARVTIO *editam* Venetiis 1569. 8. pro genuino partu agnoscere dubitauit CONRINGIVS e).

i) In *Microtechne* p. 527. STEPH. GOVRMELENVS & VIDVS VIDIVS Iunior, ambo occupati fuerunt in excogitanda methodo qua tradi posset chirurgia seorsim & distincta ab aliis medicinae partibus, quorum conatus laude sunt dignissimi, quod tritam viam ausi fuerint relinquere spinis & vepribus obsitam, nouamque monstrare & planam reddere.

k) In *Medicina efficaci* lib. I. part. I. c. 19. A VIDII placito non longe recessit STEPH. GOVRMELENVS in Syntaxi sua chirurgica, quae diligenti methodo subtiliter est ordinata, singula ad sua genera reuocans. Magis tamen effecisset, vt arbitror, GOVRMELENVS, nisi crebro graecismo se reddidisset obscurum, sique non generales tantum affectus sed minutiores addidisset, qua vtraque conditione opus HIERON. FABRICII meliuscule placuit.

*) E

*) E Tabula libris III. chirurgicae artis praepoſita apparet, GOVRMELENVM omnes operationes chirurgicas ad tres claſſes generales reuocare, & libro I. Syntheſin, libro II. Diaereſin, libro III. Exaereſin fundamenti loco ſubſternere fuiſſe conatum.

l) Vid. STOLLII *Hiſtoriam medicinae litterar.* p. 821. ſeq. vbi de PARAEO eiusque ſcriptis plura dixi.

m) AMBROSII PARAEI *Opera, a IACOBO GVILLEMEAV elimata nouis iconibus elegantisſimis illuſtrata, & latinitate donata.* Pariſ. 1582. fol. Francof. 1594. 1610. 1612. fol. Index tractatuum ſingulorum hic comprehenſorum, vel in SCHENCKII *Bibliotheca medica* p. 34. ſeq. vel in LINDENIO *renouato* p. 36. ſeq. legi poteſt.

n) AMBR. PARAEI *Wund-Artzeney Spiegel, cur.* PET. VFFENBACH. Francof. 1601. & 1635. fol.

o) Prod. Amſtelod. 1615. & 1636. fol.

p) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* c. XII. §. 3. Reliquis omnibus facile palmam praeripuit AMBROSIVS PARAEVS, cuius grande opus dignum eſt, vt ab omnibus cognoſcatur. Simili ratione G. C. SCHELHAMMERVS in *Additament. ad Conring. introduct.* c. III. §. 37. ſcribit: Eodem tempore AMBR. PARAEVS chirurgiae laude ſuper omnes ſui temporis ibidem excelluit.

q) In *Microtechne* p. 525. vbi haec leguntur: GABR. FALLOPPIO ſubiungo AMBR. PARAEVM, ſed qualem virum? regium Galliarum chirurgum peritisſimum, qui, ipſo rerum vſu, grauisſimorumque caſuum occurſu edoctus, artem valde locupletauit. Interim ſcire oportet, ingens illud volumen, quod ipſius nomen in fronte gerit, ab aliis medicinae Doctoribus Pariſienſibus concinnatum fuiſſe, quibus amplam ſegetem exemplorum chirurgicorum PARAEVS ſuppeditauit, quibus alii formam induxerunt; imo, vt in maiorem molem opus excreſceret, multa ſuperflua, & a chirurgico inſtituto aliena adiunxerunt. Profecto melius expertus ille vir ſuae famae conſuluiſſet, ſi ſingulares curationes & rariorum affectuum obſeruationes atque remedia, infallibili vſu & tot annorum experientia ipſi comprobata, paruo volumine comprehenſa edidiſſet in lucem.

r) Vid. tom. I. c. V. §. 13.

s) Confer. HORNVI *Microtechne* p. 525. Vtinam FALLOPPII opera, quae ipſius nomine prodierunt Venetiis 1606. vltimam eius manum eſſent experta. Certe nihil fere in ipſo deſiderari poſſet, tam candide, iudicioſe & adcurate ſingula proſecutus eſt, vt facile pateat, inſignem fuiſſe chirurgum, non minus, quam anatomicum praeſtantisſimum.

t) Venet. 1573. & 1596. fol.

u) Venet. 1583. fol. vid. *Biblioth. Meibomian.* part. III. p. 239.

w) Francof 1607. fol. Vid. HEISTERI *Bibliothec. chirurgic.* p. 13.
x) In *Methodo discendi medicinam* p. 416. seq.
y) Singula haec initio & seorsim, insequuto autem tempore, praeferentia hunc titulum: HIERON. FABRICII *ab* AQVAPENDENTE *Opera chirurgica in duas partes diuisa*, Patauii 1617. fol. iunctim sunt impressa atque excusa, ibidemque loci anno 1647. & 1666. fol. nec non Venetiis 1619. fol. Francof. 1620. 8. & Lugd. Batau. 1723. fol. recusa; germanice denique versa Norimb. 1716. 4. etiam prodiere.
z) In *Introduct. in art. medic.* c. XII §. 2. Ceteris longe anteferendus est HIERON. FABRICIVS *ab* AQVAPENDENTE, cuius duo praeclara chirurgica scripta in manibus sunt, in quibus magno ingenio iudicioque conscriptis multa circa curandi rationem traduntur, quae alibi frustra quaesiueris.
a) In *Microtechne* p. 527. Inter scriptores chirurgicos, qui cum fructu legi possunt, & debent, recenseri meretur & ceteris palmam praeripit HIERONYMVS FABRICIVS *ab* AQVAPENDENTE.
b) In *Medicina efficaci* lib. I. part I. c. 19.
c) Lib. cit. c. 14. vbi vitio illi vertit, quod chirurgiam inciforiam & vstoriam, quantum potuit, declinauit, & eiusmodi operationes crudeles, barbaras & humanis medicis indignas appellauit.
d) Libris citatis. Confer de cetero tom. I. cap. V. §. 14.
e) In *Introduct. in art. medic.* c. XII. §. 2. Exstat Chirurgia magna VESALII in VII. libros distributa, verum, quantum liquet, ipso incomparabili viro minus digna.

§. V.

E septimi post decimum saeculi medicis atque chirurgis, apud Italos HIPPOLYTVS PARMA, FRANC. PECCETIVS, IO. BAPT. CORTESIVS, in primis autem MARC. AVR. SEVERINVS, & PETR. DE MARCHETTIS, hoc de argumento bene mereri studuerunt. HIPPOL. PARMAE *Introductionis ad chirurgiam libri duo, in quibus tum officia, tum morbi ad chirurgum pertinentes, tum congrua praesidiorum chirurgicorum administratio diligenter explicantur*, Patauii 1612. 4. impressi, bonae notae IO. HORNIO f) habentur. FRANC. PECCETII g) *Chirurgia*, & IO. BAPT. CORTESII h) *In vniuersam chirurgiam absoluta institutio*, ad normam illius methodi vtraque est ado nata, ad quam dictus modo HIERONYMVS FABRICIVS AB AQVAPENDENTE *Pentateuchum* i) suum, quem

quem vocat, *chirurgicum* concepit. MARCI e contrario AVR. SEVERINI h) *Libri tres de medicina efficaci*, quos tantiuis pretii CONRINGIVS l) aestimauit, eo tendunt, vt chirurgia mascula, seu, incisoria est vstoria, pristino flori restituatur, ita saltem, vt siue excessus siue defectus hanc circa operandi rationem grassati olim, si non tollantur penitus, ad minimum mitigentur ac emendentur. De PETRI DE MARCHETTIS *Sylloge* m) *obseruationum medico-chirurgicarum, cum tractatibus tribus, de vlceribus & fistulis ani, de vlceribus & fistulis vretbrae, & de spina ventosa*, vnum hoc adnotare iuuat, autorem huiusce operis optimis n) obseruationum chirurgicarum scriptoribus accensendum venire.

f) In *Microtechne* pag. 521. Praeter eos, qui iam mihi laudati sunt, quosque semper consulo prae oculis habendos, occurrunt primo ii, qui methodum chirurgicam tradere conati sunt, quos inter principem locum do HIPPOLYTO PARMAE, qui vir equidem videtur, mihi afflatus fuisse altiore spiritu, quam vulgus chirurgiae scriptorum, qui, non intellecta chirurgiae essentia, eam putarunt consistere in sola medicamentorum applicatione.

g) Florent. 1616. fol. Francof. 1619. 8. Ticini 1697. fol.

h) Messanae 1633. 4.

i) Imposuit hoc nominis isti libro autor, ea de caussa, quod omnes ad chirurgiam spectantes res, pro sua opinione, quinque libris includere, & sub vulnerum, fracturarum, luxationum, tumorum atque vlcerum summis capitibus complecti voluit.

k) Francofurt. 1646. 1671. 1682. fol. & Paris. 1669. in 4. Editionum tamen Francofurtanarum postrema minus est correcta atque emendata.

l) Vid. *Introduct. eius in art. medic.* cap. XII. §. 2. Omnium industriam superauit MARCVS AVRELIVS SEVERINVS, cuius praeter alia varia & docta scripta cum primis laudem merentur libri tres de medicina efficaci.

m) Patauii 1664. & 1675. 8. Amstelod. 1665. 12. in germanicam quoque translatae linguam hae obseruationes Norimbergae 1676. 12. sunt euulgatae.

n) Vid. LAVR. HEISTERI *Introductionem in chirurgiam*, pag. 14. quae parti primae institutionum eius chirurgicarum, Amstelodami 1739. impressarum est praemissa.

§. VI.

Germanos inter, numerus pertinentium huc scriptorum est perquam magnus; ego tamen sequentium tantum faciam mentionem. IO. IESSENII o) A IESSEN *Institutiones chirurgicae, quibus vniuersa manu medendi ratio ostenditur*, Witteberg. 1601. 8. euulgatae, in quibus autor omnes operationes ad chirurgiam referri solitas, in quatuor p) classes redigere voluit, IO. HORNII iudicio q) optimae sunt notae. THOM. FIENI *Libri chirurgici XII.* r) *de praecipuis artis chirurgicae controuersiis*, sunt quidem e censu operum posthumorum, ad commendandos tamen eosdem sufficere potest, quod HERM. CONRINGIUS codicem eorundem manuscriptum, praefatione sua stipatum, prelo s) Francofurtano anno 1649. 4. imprimendum tradere non sit dedignatus. GVIL. FABRICII, HILDANI, *Opera chirurgica* iam supra t) fuerunt recensita, simulque & magna, quam hinc consequutus est, fama breuiter est commemorata. Pariter etiam de IO. SCVLTETI u) *Armamentario chirurgico* iam alibi w) me obseruare memini, opus isthoc non solum ab eius ex fratre nepote, IO. x) SCVLTETO, iuniore, nouis figuris aeneis auctum, sed a IO. quoque BAPT. A LAMZWEERDE y) & a IO. z) TILINGIO pluribus additamentis locupletatum, a G. C. SCHELHAMMERO laudatum a), & ob sui denique praestantiam, in linguas belgicam b), germanicam c) & gallicanam d) fuisse transfusum.

o) Medicum isthunc a LINDENIO, MERCKLINO, LANGIO, GOELICKIO, DOVGLASIO multisque aliis plane erronee pro *Hungaro* natione fuisse venditatum, id ex IO. HENR. CVNRADI *Silesia togata* pag. 140. iam alio loco demonstraui.

p) Ad Diaeresin videlicet, Synthesin, Aphaeresin atque Prosthesin.

q) In *Microtechne* pag. 527 HIERON. FABRICIO AB AQVAPENDENTE summo suo merito iungendus venit IOAN. IESSENIVS A IESSEN, meliori sane fato dignus, qui supra, quam dici potest, perspicue & elegantissime in institutionibus chirurgicis obuias inter curandum manuarias operationes recensuit, continuo a recensendis medi-

medicamentis abstinuit, nisi cum necessarius eorundem vsus ipsum cogeret.

r) Nempe I. *De trepano, siue, apertione cranii.* II. *De depositione cataractae.* III. *De depositione vngulae.* IV. *De Laryngotomia, siue, sectione asperae arteriae.* V. *De Paracentesi thoracis.* VI. *De Paracentesi abdominis.* VII. *De arteriotomia* VIII. *De Hysterotomotocia, siue sectione foetus ex vtero viuentis matris.* IX. *De sectione calculi.* X. *De sectione herniae.* XI. *De amputatione membrorum externorum.* XII. *De nasi amputati ex brachio restitutione.*

s) Hanc ipsam vero editionem Francofurtensem multis erratis typothecis esse deformatam, id in *Stolliana* medicinae historia p. 829. iam a me fuit indicatum. Num recusa Londini anno 1733. 4. editio sit correctior atque emendatior, scire equidem ac dicere non possum, cui eam, haud magis, quam diuulgatam Norimbergae 1675. 8. versionem huius operis germanicam, oculis vsurpare contigit nunquam.

t) Vid. Tom. I. cap. V. §. 26. Praeter dicta tamen ibi, annotandum mihi praesenti in loco venit, GVIL. FABRICII, HILDANI, *Obseruationum chirurgico-medicarum centurias, in certum ordinem digestas, & recisis prolixioribus formulis epistolicis & aliis ad rem non pertinentibus,* a IOAN. SIGISM. HENNINGERO Argentor 1717. 4. seorsim fuisse editas, adeoque remedium adhibitum esse illis, quae olim IOANNES VAN HORNE in hoc opere vituperauerat.

u) Vlmae 1653. fol. qua in editione Tabulae aëri incisae XLIII. numero inueniuntur.

w) In *Historia* nimirum *medicinae litteraria* sub *Stolliano* edita nomine, pag 831. seq.

x) Vulgo isthunc cum IO. SCVLTETO, seniore, confundi atque permutari, testatur IAC. FRID. REIMMANNVS *In histor. litterar. germanorum* tom. vltim. pag. 809. In lucem autem auctior haecce editio prodiit Francofurti anno 1666. 4. cum LVI. Tabulis aeneis.

y) Amstelodami anno 1672. 8.

z) Lugdun. Batau. 1693. 8.

a) In *Additament. ad* CONRING. *Introduct.* cap. XII. §. 4. Nec minus honorifice de SCVLTETO atque LAMZWEERDIO HORNIVS aeque in *Microtechne* pag. 528. ac HEISTERVS in *Introduct. in chirurg.* p. 14. pronunciauerunt.

b) Amstelodami 1657. & 1670. 8.

c) Francofurti 1679. 4. titulo instructum sequenti: IO. SCVLTETI *Wundartzeneyisches Zeughauß, von seines Bruders Sohne* D. IO. SCVLTETO, *Physico Vlmensi, mit LVI. Kupffern vermehret, vnd ins teutsche vbersetzt durch* D. AMADEVS MEGERLIN.

d) *L'Arsenal de chirurgie, enrichi de 56. figures.* à Lion 1675. 4.

§. VII.

IO. VAN HORNE *Microtechne, seu, methodica ad chirurgiam introductio*, multoties e) excusa & recusa, in germanicum f) quoque pariter ac in belgicum g) translata idioma, optima vero forma, vna cum reliquis h) eius operibus, Lipsiae 1707. 8. adiectis lectu dignis IO. GVIL. PAVLI additamentis, euulgata, multis in academiis, ceu compendium maxime commodum i), loco fundamenti praelectionum chirurgicarum adhiberi solita, a LAVR. k) HEISTERO nihilo minus pro admodum imperfecto opere est habita, & vna cum ANT. l) NVCKII *Experimentis & operationibus chirurgicis*, quamplurimorum naeuorum, defectuum atque errorum fuit insimulata. CORN. SOLINGEN *Chirurgia*, quae lingua belgica conscripta Amstelodami 1684. & 1698. 4. prela reliquit, nec non ex germanica quadam versione m) Wittebergae 1712. 4. prodiit, longe plenior est atque perfectior; neque tamen circa hanc quoque, quod moneret, defuit LAVR. n) HEISTERO. E contrario HENR. ROONHVYSENII *Curationes* o) *chirurgicae*, & IOBI VAN MEEKREN *Obseruationes* p) *medico-chirurgicae* ab eodem HEISTERO q) praestantissimis obseruationum chirurgicarum scriptoribus sunt adnumeratae, nec non a GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERO r) laudatae. Reliquos scriptores generales septimi & decimi saeculi, siue germanicae siue alterius cuiusdam sint nationis, quod attinet, quorum multi s), ad illustrandam chirurgiam, *Cartesianae* philosophiae hypotheses adhibuerunt, non consultum mihi videtur illis immorari, maxime, quum modo dictus HEISTERVS de horum plerisque t) parum honorifice iudicauerit.

e) Lugduni Batau. 1663. 12. & 1668. 12. Lipsiae 1675. 12.

f) Titulus est: *Kleine Kunst, oder, kurtze Anleitung zur Wund-Artzeney*. Halberstadt 1679. 8.

g) Amstelodami 1684 8.

h) IOANNIS VAN HORNE *Opuscula anatomico-chirurgica, in vnum volu-*

volumen congesta, atque annotationibus IO. GVIL. PAVLI adaucta. Lipsiae 1707 8.

i) Vid. GOELICKII *Histor. chirurg.* p. 303. SCHELHAMMERVS quoque, tum in *Additamentis ad Conringianae introductionis* cap. 12. §. 2. tum in *Via regia ad artem* p. 123. de hac Microtechne beneuole iudicauit.

k) Vid Praefat. institut. chirurgic. vbi scribit: Quando eos libros consideramus, quibus eo tempore vtebantur nostri, non solum chirurgi, verum etiam professores in academiis, ad chirurgiam tam docendam quam addiscendam, nimirum HORNII microtechne, aut NVCKII experimentis chirurgicis, aliisque similibus, facile patebit, quam imperfecti, imo & quam inepti sint ad perfectam de rebus omnibus ad chirurgiam pertinentibus ideam, multo minus scientiam plenam, comparandam: dum non nisi actiones, siue operationes non nullas chirurgicas, easque admodum saepe mancas siue imperfectas, tradiderunt, toti vulnerum, vlcerum, aut tumorum doctrinae vix foliolum quoddam consecrarunt, de fractis atque luxatis ossibus, quae tamen tam multa, vt rite curentur, requirunt tam breuiter & ieiune proposuerunt, vel silentio prorsus praetermiserunt, vt tirones inde nullo modo debita nobilissimae huius artis fundamenta, multo minus integram aut perfectam chirurgiam addiscere valuerint.

l) Cura IO. TILINGII editae sunt hae atque Lugd. Batau. 1692. 8. excusae, Ienae vero anno 1698. 8. recusae, in germanicam deinceps linguam conuersae, Lubecae 1709. 8. sunt impressae; recentissime denique, cum HENRICI BASSII adnotationibus Halae Saxon. 1728. 8. denuo prelo subiectae, & isthanc praeferentes inscriptionem: ANTONII NVCKII *Chirurgische Handgriffe* &c. longe auctiores sunt euulgatae.

m) CORNEL. SOLINGEN *Handgriffe der Wund-Artzeney, nebst dem Amt und Pflicht der Wehemütter, wie auch sonderbare Anmerckungen von Frauen vnd Kindern, denen des Autoris Embryulcia beygefüget ist; aus dem Holländischen ins Teutsche vbersetzt von einem Liebhaber der Chirurgie.*

n) Vide eius verba ad §. 3. not. h) iam allegata.

o) Impressae sunt hae, bataua quidem lingua, Amstelodami 1663. & 1672. 8. ex versione autem germanica, rubrica notatae isthac: *Chirurgische Heil-Curen*, Norimbergae 1674. 8.

p) Istae quoque primum belgice Amstelodami anno 1668. 8. luci fuerunt expositae litterariae; germanice deinde Norimbergae 1675. 8. Latine tandem Amstelodami 1682. 8. fuerunt diuulgatae.

q) In *Introduct. in chirurg.* pag. 14. quae Institutionibus ipsius chirurgicis praemissa inuenitur:

r) In *Additamentis ad Conring. introduct.* cap. XII. § 4.

s) Ad hanc classem referendi e. c. CORNELIVS BONTEKOE, IOANNES MVYS, STEPHANVS BLANCARDVS, HEIDENREICH

REICH OVERKAMP, IOANNES DOLAEVS, IOANNES IACOBVS WALDSCHMIDT &c.

t) Vid. Praefationem eius institutionibus suis chirurgicis praemissam, vbi ita infit: Circa recentiores libros chirurgicos hoc mihi displicebat, primo, quod vel a medicis scripti essent, qui ipsi ferrum aut scalpellum in corporibus viuis nunquam tractauerant, adeoque sua experientia nihil hac de re scribere aut emendare poterant; sed vel antiquum vna cum erroribus antecessorum recoxerunt, vel, si ex ingenio suo aliquid superaddere voluerunt, talia saepe tradiderunt, quae in curationibus ipsis non succedebant; quales sunt e. g. chirurgiae BARBETTI, BONTEKOEI, DOLAEI, BLANCARDI, VERDVCCII, CHARRIERII, VAVGVIONII, CLERICI, IVNGKENII, aliorumque multorum; Deinde, quod alii a chirurgis scripti essent, qui nullis aliis scientiis aut elegantioribus studiis imbuti fuerunt, & quandoque in anatome simul valde rudes.

§. VIII.

Ad recentissima itaque me conuerto tempora: vbi e gallorum gente PETR. DIONIS, GVIL. MAVQVESTVS DE LA MOTTE, IAC. CROISSANT GARENGEOT, HENRY-FRANÇOIS LE DRAN, SAVIARDVS, & CHABERTVS, in censu spectatissimorum scriptorum chirurgicorum, prae reliquis, locum suum tueri posse videntur. PET. DIONIS liber gallice scriptus: *Cours d'operations de chirurgie*, Lutetiae Parisior. 1707. 8. in lucem expositus, tam vnanimia peritorum artis tulit suffragia, vt non in lingua tantum sua, qua primum conscriptus erat, saepius fuerit recudendus, sed, ob sui praestantiam, in exteras etiam linguas, etruscam nimirum, anglicanam, belgicam atque germanicam u) sit translatus. Alter liber gallicus, titulo innotescens isthoc: *Traité complet de la chirurgie par* GVIL. MAVQVEST DE LA MOTTE, à Paris 1722. 12. perspicuo scribendi genere est consignatus, nec minori cum fructu *) legi potest. IAC. CROISSANT GARENGEOTVS duplici quidem tractatu patrio sermone edito, vno nempe ita inscripto: *Traité des operations* w) *de chirurgie;* altero autem, cui haec rubrica: *Traité des instrumens* x) *de chirurgie*, quorundam attentionem excitauit, quem ad modum etiam

iam vterque libellus in germanicum y) transfusus idioma habetur: verum nec defuerunt, qui in variis illum carperent; quorum non nulli plagiariis omnino accensum autorem voluere. Longe maiori approbatione exceptus est liber, qui sub titulo: *Traité des operations de chirurgie* par HENRY - FRANÇOIS LE DRAN à Paris 1743. 8. lucem salutauit publicam. SAVIARDI vero opus, cui titulus: *Nouueau recueil d'obseruations chirurgicales par Monsf.* SAVIARD, à Paris 1702. 8. aeque ac alterum CHABERTI inscriptum: *Obseruations de chirurgie pratique par M.* CHABERT, à Paris 1724. 12. a LAVR. HEISTERO z) ei scriptorum generi fuerunt adsociata, qui praestantissimas obseruationes chirurgicas dederunt.

u) PETRI DIONIS *Chirurgie, oder chirurgische Operationes, in dieser andern Auflage an vielen Orten vermehret vnd verbessert von* D. LAVRENZ HEISTER. Augspurg 1722. 8.

*) Cum primis adnexae obseruationes chirurgicae, quarum numerus ad 362. exsurgit, vel maxime commendari merentur.

w) à Paris 1720. 8. & auctior 1731. 8.

x) Ibid. 1723. & 1727. 8.

y) Et quidem impressus cum Lipsiae, tum Berolini & posteriori quidem in loco, anno 1733. 8.

z) In *Introduct. in Chirurg.* p. 14.

§. IX.

Agmen scriptorum chirurgicorum, generalium quidem, claudant, ex Italis, PHIL. MASIERIVS, & SEBAST. MELLI; e Germanis vero, MATTHAEVS GOTTFR. PVRMANNVS, IOAN. PALFYN, IO. DE GORTER, tandemque callentissimus huius artis in eaque exercitatissimus LAVR. HEISTERVS & IO. ZACH. PLATNERVS. Horum primi scripta, singula primum euulgata, tandem Pataui 1724. 4. iunctim sunt impressa, titulum praeferentia isthunc: *Opere chirurgiche di* FILIPPO MASIERO. SEBAST. porro MELLI *Prattica chirurgica* Venetiis 1724. 8. denuo fuit typis exscripta. MATTH. GOTTFR. PVRMANNVS non solum in opere gemino germanice conscripto,

pto, *Grosse Wund-Artzeney* a), &, *Der rechte* b) *Feldscherer vnd Pest-Barbier*, sed in reliquis etiam huc spectantibus tractatibus suis, sollertem sese chirurgum publico probauit. IO. PALFYN *Chirurgia*, lingua belgica consignata atque Lugduni batauor. 1710. 4. impressa, cum plausu fuit excepta: eiusdem quoque viri *Operationes chirurgicae* Norimbergae 1717. 8. & quidem germanico sermone expressae, prodierunt in publicam lucem. IO. DE GORTER *Chirurgia repurgata*, anno 1731. in lingua belgica luci exposita, ab ipso autore celeberrimo insequuto tempore, aucta & emendata, tituloque modo dicto insignita, romano sermone loquens, Lugduni bat. 1742. 4. carens tamen ectypis aeneis, prelo iterum fuit supposita. De LAVRENTII autem HEISTERI *Chirurgia* germanice aliquoties c) in conspectum orbis litterati producta; haud ita pridem vero ab autore ipso latio d) donata atque denuo edita, superfluum duco quidquam, quod laudes eius celebret, addere; quum dudum factum sit, vt opus isthoc vnanimia omnium suffragia ferens ad praesens vsque tempus pro perfectissimo in hoc genere libro habeatur, cui dudum expectatae, nouissimeque tandem prelo expeditae, IO. ZACH. PLATNERI *Institutiones chirurgiae rationalis, tum medicae, tum manualis*, Lips. 1745. 8. omni iure ac merito annumerari debent.

a) Francofurti 1692 & 1705. 4.

b) Prodibat hic liber prima vice anno 1680. Halberstadii; sexta vero excudebatur Francofurti & Lipsiae 1708. 8. vbi & anno 1715. eadem forma recudebatur;

c) Norimbergae 1719. 1724. 1731. 4.

d) Hac inscriptione innotescens: LAVR. HEISTERI *Institutiones chirurgicae, in quibus, quicquid ad rem chirurgicam pertinet, optima & nouissima ratione pertractatur, atque in tabulis multis aeneis praestantissima ac maxime necessaria instrumenta, itemque artificia, siue encheireses praecipuae & vincturae chirurgicae repraesentantur. Opus triginta annorum, nunc demum, post aliquot editiones germanica lingua euulgatas, in exterorum gratiam, latine publicatum*, Amstelodam. 1739. 4.

CAP.

CAP. VIII. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS CHIRVRGICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Instituti ratio §. *1.* *Scriptores de operationibus chirurgicis generalioribus* §. *2-5.* *Scriptores de operationibus chirurgicis specialibus* §. *6-10.* *Scriptores de fracturis, tumoribus & vlceribus* §. *11.* *Scriptores de vulneribus.* §. *12.*

§. I.

Indicem plerorumque ad chirurgiam spectantium scriptorum, eorumque specialium, iam quidem dedit LAVR. HEISTERVS, in praemissa institutionibus suis chirurgicis introductione in chirurgiam inde a pagina 10. vsque ad paginam 14. quoniam vero is sola autorum nomina ibi indicauit, in bibliotheca porro chirurgica solos scriptorum ab iisdem editorum titulos descripsit, neutro denique loco, quam magni quamue parui quisque liber sit pretii, docere ipsi placuit: laborem neque inanem neque infructuosum suscepturus mihi videor, si scriptores particulares, eosque potissimi momenti, ea ratione enarrare instituam, vt iudicia de iisdem eruditorum virorum, quanta fieri poterit breuitate, simul annectam.

§. II.

Initium itaque faciam ab illis operationibus, quae in diuersis humani corporis partibus suscipi atque institui sunt solitae. De inuenta haud ita pridem a), verum summe laboriosa, eaque ipsa de caussa raro b) admodum tentata chirurgia, quam dicunt, curtorum, primus c) scripsit CASP. TALIACOTIVS. *Libri* eius *duo de curtorum chirurgia per insitionem, in quibus ea omnia,*

omnia, quae ad huius chirurgiae, narium scilicet, aurium, ac labiorum, per insitionem restaurandorum, cum theoricen tum practicen pertinere videbantur, clarissima methodo cumulatissime declarantur; qui nostra aetate libris rarioribus adnumerari debent, Venetiis anno 1597. fol. obstetricia prelorum ope lucem salutabant litterariam, mox etiam sequenti anno 1598. Francofurti in 8. quanquam non adeo emendate, recudendi: paucorum tamen merebantur suffragia; immo multi inueniebantur, quibus & autor horum veterator, & ars ab ipso venditata talis esse videbatur, quam ipso facto exercere nemo e) posset homo. Verum enim vero probatum equidem iam alio loco f) dedi, idque ex irrefragabilis & autoritatis & fidei testimoniis THOM. FIENI g) atque GVIL. FABRICII, HILDANI h), eius modi sententiam, nisi quis omnem omnino fidem historicam plane reiecisse videri velit, nequaquam esse adiecto calculo admittendam ac firmandam.

a) Verus huiusce operationis atque primus inuentor quisnam fuerit, de eo variant doctorum sententiae. In CORTESII quippe *Miscellaneorum medicorum* Decade III. pagina 83. honor ille PETRO BOIANO; in IESSENII contra *Institutionibus chirurgicis* pag. 101. Siculo cuidam, cui nomen fuerit BRANCA, habetur.

b) Praeter enim IO. BAPT. CORTESIVM, IO. GRIFFONIVM, MOLINETTVM atque PVRMANNVM, perquam pauci fortasse tale quid tentare ausi videntur fuisse. Horum primus de se ipse eiusmodi aliquid refert in Decade III. Miscellaneorum medicinalium eorumque praefatione; de GRIFFONIO GVIL. FABRICIVS, HILDANVS, Centur. III. Obseru. 31. & Epist. 64. est consulendus. De duobus vero posterioribus IO. GVIL. PAVLI notae ad HORNII Microtechnen pag. 389. conferantur. Lego tamen praeterea in HALLERI *notis* ad BOERHAAVII *Praelect. academ. in institut.* Volum III. pag. 625. sequentem relationem: Recens BOIANORVM, qui sanguine TALIACOTIVM contingunt, & felix in chirurgia curtorum exercenda industria laudatur a REAVMVR *Hist. de l'Academie des sciences,* anno 1719. pag. 37.

c) Vid. *Seollianam medicinae historiam* pag. 837. seqq.

d) Vid Das Verzeichniss einiger raren Bücher, part. III. pag. 337. & 344. Refert quidem LAVR. HEISTERVS in praemissa chirurgiae suae

suae germanicae introductione, §. 8. *Taliacotianum* isthoc opus in germanicum etiam idioma fuisse translatum; quum vero nec annum, nec locum, nec formam impressionis docuerit nos, nec in *Bibliotheca Chirurgica* pag. 42. eiusmodi versionis vel verbulo mentionem iniiciat, minus fundata hinc apparet eius esse relatio.

e) Vid. GOELICKII *Histor. Chirurg.* pag. 119. LAVRENTIVS quoque HEISTERVS in chirurgia sua germanica quondam non adeo honorifice de TALIACOTIO eiusque methodo iudicauit; in institutionibus tamen chirurgicis longe mitius, simul & cautius de vtroque tulit iudicium.

f) In *Stolliana medicinae historia* c. l.

g) Libr. Chirurg XII. p. 100. Ego etiam testari possum, CASP. TALIACOTIVM plurimos hac arte nasos restituisse, quorum ego aliquos restauratos in aliquibus vidi, alios actu fabricari. Itaque certum est, hanc restaurationem esse possibilem, & saepissime factam.

h) Centur. III. obseru. 31. & epistol. 64.

§. III.

De chirurgia infusoria IO. DAN. MAIOR, & IO. SIGISM. ELSHOLZIVS, qui ambo inuicem de palma huius inuenti decertarunt, vtrius illa foret, ex instituto vterque egerunt. Horum prior non solum i) sequentem commentatiunculam, cui titulus: IO. DAN. MAIORIS *Prodromus inuentae a se chirurgiae infusoriae, siue, quo pacto agonizantes quidam, pro deploratis habiti, seruari aliquandiu possint, infuso in venam sectam liquore peculiari*, Lipsiae 1664. 8. excusam in lucem exposuit publicam; sed suam etiam *Chirurgiam infusoriam, placidis clarissimorum virorum dubiis impugnatam, cum modesta ad eadem responsione*, Kilonii 1667. 4. publicauit. A posteriore contra librum accepimus sequentem: IO. SIGISM. ELSHOLZII *Clysmatica noua, siue, Ratio, qua in venam sectam medicamenta immitti possint, vt eodem modo ac si per os assumta fuissent, operentur*, Colon. Brandenburg. 1667. 8. Vterque contradictionis plus, quam approbationis k) inuenerunt. De chirurgia transfusoria, cuius inuentae laudem RICH. LOWERVS in *Tract. de corde* l) sibi ipsi tribuere voluit, paucis tantum notatum velim, operationem modo dictam a PAVLLO MAN-

FREDO m) peculiari libro descriptam; e contrario a BARTHOLOM. n) SANTINELLO, & a GEORG. ABRAAMO o) MERCKLINO, in commentationibus huic argumento proprie dicatis, impugnatam fuisse.

i) In HEISTERI quidem *Bibliotheca chirurgica*, p. 12. scribitur: Clysmatica noua, germanice, 4. Kil. 1662. Eius autor fuit IO. DAN. MAIOR. Falsam vero planeque erroneam esse recensionem isthanc e prodromo, anno 1664. in lucem prolato, facillima probari potest opera. Ibi enim, & quidem pag. 10. claris & expressis verbis scribit: Detestatus sum timiditatem meam, qua factum est, vt illud eruberim perpendendum sistere orbi litterato experimentum &c. Ergo nihil potuit anno 1662. de hoc argumento edidisse; quia in prodromo ipso p. 11. & 12. diffuse narrat, se doctos, in hoc prodromo, de nouo suo inuento, iam primum facere certiores.

k) Probe tamen LAVR. HEISTERVS in institution. chirurgicis pag. 448. monuit, chirurgiam infusoriam certis in morborum generibus, non temere nec omnino esse contemnendam.

l) Amstelodami 1669. 8.

m) *De noua & inaudita medico-chirurgica obseruatione, sanguinem transfundente de indiuiduo in indiuiduum, prius in brutis, & deinde in homine experta.* ROMAE 1668. 4.

n) BARTHOL. SANTINELLI *Confusio transfusionis sanguinis.* Romae 1668. 8.

o) GEORG. ABR. MERCKLINI *Tractatio medico-curiosa, de ortu & occasu transfusionis sanguinis.* Norimb. 1679. 8.

§. IV.

Quem ad modum enumeratae modo operationes nostra aetate parum p) sunt vsitatae; ita, quae mox sequentur, eo sunt vsitatiores. De venae sectione, quae est vna earum, eaque vt antiquissima sic & vtilissima, licet a non nullis q) contemta, immo plane reiecta fuerit, complures r) scripserunt. Quum tamen eorum plerique non tam de modo atque ratione, qua a chirurgo eadem administrari debeat, quam de eo potius fuerint solliciti, vt docerent scilicet, quibus ac qualibus in morbis operatio isthaec vel noxia vel vtilis fieri queat: ex antiquioribus adeo, LEONH. BOTALLO s), ex recentioribus autem, HENR. EMA-

NVEL.

NVEL. t) MEVRISSE, PHILIBERTO u) IONDOT, LVDOV. w) CRONIO, & IO. PETRO x) WAHRENDORFFERO, prae reliquis locum hic aliquem fum conceffurus. De fcarificatione y), feu rectius z) fcarifatione, & vfu cucurbitularum, praeter ea, quae GALENVS hac de re confignauit, modo dictus LEONH. BOTALLVS, in libro iam allegato, IO. IAC. MANNVS in *Tr. de malleolorum fcarificatione, ex veterum fententia*, Pataui 1583. 4. euulgato, quem IO. RHODIVS in *Bibliotheca medica* pag. 155. valde laudauit; optime vero SEBASTIANVS a) MELLI, egerunt. De fonticulis atque fetaceis DOMIN. GALVANVS, MATTHIAS GLANDORPIVS & CHRISTOPH. SCHORERVS tali pacto folliciti fuere, vt horum primus etrufca b), medius latina c), vltimusque germanica d) lingua peculiaria hoc de argumento in lucem protulerint fcripta.

p) Indicem operationum veteribus graecorum medicis vfitatarum, fucceffu vero temporum fpretarum tandemque abolitarum penitus, quem noffe iuuat, is adeat TALIACOTII *Chirurgiam curtorum* lib. I. c. XX. p. 64. feq. TALIACOTIVM tamen partim in exceffu, partim in defectu hic peccaffe, id eft, quod iam in *Hiftoria medicinae Stolliana* p. 836. monere me, rememini.

q) Ex horum numero funt, inter veteres quidem, CHRYSIPPVS atque ERASISTRATVS; inter recentiores autem, HELMONTIVS, BONTEKOË, A GEHEMA, CAROLVS MVSITANVS & alii praeterea.

r) Vid. MERCKLINI LINDENIVM *renouat.* lib. II. p. 148.

s) LEONHARDI BOTALLI *De curatione per fanguinis miffionem Liber. De incidendae venae, cutis fcarificandae, & hirudinum affigendarum modo.* Lugd. 1580. 8. Antwerp. 1583. 8. Sociatus quoque inuenitur ifte Tractatus Operibus eius medicis & chirurgicis fupra iam memoratis. De cetero, BOTALLI huius confilio atque autoritate, frequentiorem illam hodiernum durantem venae fectionem in Gallia fuiffe introductam, SCHELHAMMERVS in *Additamentis ad Conring. introduct.* c. XII. §. 3. vt & IAC. DOVGLASIVS in *Bibliographia anatomica* p. 127. annotauerunt.

t) Liber eius, fub titulo: *L'art de faigner, accommodé aux principes de la circulation du fang*, Lutetiae 1686. 12. impreffus, deinceps a IO. DEVAVXIO ibidem loci anno 1689. 12. aliquatenus auctior atque emendatior denuo editus, atque Parifiis tandem anno 1728.

 12.

12. recusus beneuoleque exceptus fuit. vid. NICERON. *Memoires* tom. XII. p. 223. seq.

u) PHILIBERT. IONDOT *Nachricht vom Aderlassen* Regensburg 1710. 8.

w) LVDOV. CRON. *Tractat vom Aderlassen und Zahnausziehen.* Leipz. 1717. 8. c. fig.

x) IO. PET. WAHRENDORFFER *Unterricht vom Aderlassen.* Bauzen 1719. 8.

y) Eodem & Acupunctura Sinensium & Iaponensium referri potest: de qua conferri possunt GVIL. TEN RHYNE & ENGELB. KAEMPFERVS in commentationibus de hoc argumento editis, iamque supra Tomo priore citatis.

z) Pro, *Scarifico*, enim, &, *Scarificatio*, legendum potius esse ac scribendum, *Scarifo*, &, *scarifatio*, docuit nos ac probatum dedit CLAVD. SALMASIVS in *Plinianis exercitationibus in* SOLINVM, tom. I. p. 416.

a) Tractatus eius huc pertinens inuenitur in libro italice ita inscripto: SEBAST. MELLI *Lancetta in prattica.* Venet. 1717. 8.

b) DOMIN. GALVANI *Delle Fontanele, Sedagni &c.* Patau. 1520. 4. V. *Biblioth. Meibom.* P. III. p. 248.

c) MATTH. GLANDORPII *Gazophylacium polyplusium fonticulorum & setonum reseratum. E quo variae illorum dotes, loca, instrumenta, modi infigendi diuersi conseruandique depromuntur, simulque tabulis aeri insculptis explicantur.* Bremae 1633. 4. Idem liber insertus quoque inuenitur Operibus autoris omnibus, Lond. 1729. 4. iunctim exscriptis, de quibus HERM. CONRING. *In introd. in art. medic.* c. XII. §. 4. sequentem indicauit in modum: Commendari denique meretur MATTH. LVDOV. GLANDORPIVS Coloniensis, Reipublicae Bremensis medicus, cuius varia perdocta que opuscula chirurgica lucem iam viderunt. Plane vero erronee GLANDORPIVM huncce a CONRINGIO, LINDENIO, MERCKLINO, DOVGLASSIO, GOELICKIO, aliisque, appellatum esse MATTH LVDOVICVM adeoque patrem ac filium inuicem confusos ab his fuisse, id in *Stolliana medicinae historia* p. 846. iam a me fuit animaduersum.

d) CHRISTOPH. SCHORERI *Abhandlung vom Nutzen und Gebrauch der Fontanellen.* Vlm. 1664. 8. August. Vindel. 1686. 12. Saalfeld. 1706. 8.

§. V.

Cauteria, vulgo in actualia & potentialia diuidi solita, e) in genere diuersorum f) considerationem meruerunt; maximum tamen facile trahent IO. COSTAEI *Libri duo de igneis medicinae praesidiis,* Venet. 1595.

1595. 4. & THOM. FIENI *De cauteriis, libri quinque* g), Louanii 1598. 8. impressi momentum h). De adustionibus per moxam, quas HERM. BVSCHOOFIVS, in peculiari belgica lingua conscripto i) tractatu, Europaeos primus k) docuit, praeter alios, l) MICH. BERNH. VALENTINI *Historia moxae*, Lugdun. Batau. 1686. 12. excusa, legi meretur: quanquam iste modus operandi hodie pene sit obsoletus. De amputatione artuum non solum modo nominatus THOM. m) FIENVS, GVIL. n) FABRICIVS, HILDANVS, & SIM. PAVL. HILSCHERVS o) fuerunt solliciti; sed varias etiam circa hanc operandi rationem emendationes atque correctiones indicare IAC. p) IONGE, PET. ADR. VERDVIN in *Dissert. epistolari de noua artuum decurtandorum ratione*, Amstelodami 1696. 8. excusa, vt & ADR. q) KOENERDINGIVS, IO. r) SALZMANNVS, & ELIAS FRIDERICVS s) HEISTERVS, tentauerunt. De insitione denique variolarum, quam EMAN. TIMON atque IAC. t) PILARINVS primi in Europa per scripta sua commendauerunt, ABRAH. u) VATERVS, MAITLANDIVS w), I. E. WREDENVS x), & non nulli y) alii peculiariter egerunt.

e) Ad genus posterius referenda sunt etiam Vesicatoria, de quibus HERCVLIS SAXONIAE *Libri tres de Phoenigmis, in quibus agitur de vniuersa rubificantium natura, differentiis, & vsu, de psilothris, smegmatibus, dropacibus, sinapismis & vesicantibus*, Patauii 1593. 4. separatim excusi conferri merentur.

f) Sic V. C. GABRIEL FALLOPPIVS, MICH. GAVASSETIVS, & HIERON. CAPIVACCIVS, de iisdem scripserunt: HIERON. quoque CRASSI *Liber de Cauteriis*, Vtini 1594. 8. impressus, in conspectum litterati orbis prodiit.

g) *In quibus vires, materia, modus, locus, numerus, tempus ponendorum cauteriorum, ex veterum graecorum, arabum, latinorum, nec non neotericorum sententia quam dilucide explicantur.*

h) Horum enim priorem IO. RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 154. illis adnumerauit autoribus, qui in certis materiis excellunt. De posteriore vero in CONRINGII *Introd. in art. medic.* c. XII. §. 4. sequentia leguntur: His annumerandus est THOM. FIENVS,

 Phi-

Philosophus & Medicus longe doctissimus, cuius de Cauteriis elegantissimi libri iam pridem publicati sunt.

i) Latine etiam est editus atque ita inscriptus: HERM. BVSCHOOFII *Podagra propius, quam antehac, inuestigata & inuenta, vna cum eiusdem certa cura & medicina.* Francof. 1678. 8.

k) Vid. VALENTINI Museum museorum p. 229. Edit. prim.

l) Ex. gr. GVIL. TEN RHYNE, ANDR. CLEYER & LE TEMPLE, cuius postremi liber gallice scriptus, *Essay du Moxa contre la Goutte*, Tomo primo Operum huius autoris, *Oeuvres melées de Monf. le Chevalier* TEMPLE, insertus inuenitur.

m) Vid. *Eius Libros chirurgicos XII.*

n) In Tr. *de Gangraena & sphacelo.* Oppenheim. 1617. 4.

o) In *Diss. de amputatione artuum rite administranda.* Ien. 1718. 4.

p) IAMES IONGE *Relatio de variis mirabilibus virtutibus olei terebinthinae, praesertim in vulneribus & sanguinis profusionibus; vt & noua via amputandi artus, cum celeriori mutilatae partis glutinatione*, quod schediasma anglicano conscriptum idiomate Londini 1679. 8. in lucem exiit. In PASCHII tamen *Inuentis nou-antiquis* p. 308. lego, Anglum quendam, nomine LOWDHAM, nouae huius a IAC. IONGE descriptae methodi fuisse inuentorem.

q) Edidit iste, idque belgico sermone, *Tractatum de gangraena & sphacelo* Amst 1698. 8

r) In *Diss. de noua amputandi membra methodo.* Argent. 1722. 4.

s) In *Diss de noua methodo amputandi brachium.* Helmst. 1738. 4.

t) Vid. Eius *Nouam & tutam variolas excitandi per transplantationem methodum.* Venet. 1715. 12.

u) Emisit isthic non solum *Dissertationem de variolarum per insitionem transplantatione*, Wittebergae 1720. 4. impressam & postea germanice versam; sed praeterea etiam *Commentatiunculam de inoculationis variolarum in noua Anglia successu*, ibidem loci anno 1723. 4. excusam, euulgauit.

w) Tractatus eius, anglice conscriptus, & Lond. 1722. 8. impressus a F. C. WEBERO in nostrum, germanicum inquam, sermonem transfusus, sequenti ornatus titulo: *Herrn* MAITLANDS *bewährte Einpfropffung der Blattern, zu Widerlegung der von D. Wagstaff und Herrn Massey wider diese Cur verfertigten Schrifft und Predigt, heraus gegeben: Nebst Herrn* MAITLANDS *ersterm Bericht von dieser Cur.* Bremae 1725. 8. prodiit.

x) I. E. WREDEN *von Inoculirung der Pocken.* Hannov. 1726. 8.

y) FÜRSTENAV *Desiderata medica* p. 253. seq. vbi simul sequens tulit iudicium: Ea igitur Operatio, dum factis cum tempore pluribus & certioribus experimentis magis confirmetur & magis, inter remedia dubia, paradoxa atque incerta locum tuebitur, de quibus τὸ Ἐπέχειν amplecti tutissimum erit. Gemina huic est sententia, quam

quam fouent Acta medicorum Berolinensium Decad. II. Volum. II. p. 5. ad 41. quo loco de omni hoc argumento, citra omne partium studium, pronunciatum legimus. De cetero breuiter & in transitu veluti hic annotare lubuit, IAC. a CASTRO, GVALTERI HARRIS, & ANT. LE DVC spectantes huc commentationes, titulum praeferentes huncce: *Dissertationes in nouam, tutam ac vtilem methodum inoculationis, seu, transplantationis variolarum*, Lugd. Bat. 1722. 8. sociatas sibi vno volumine prodiisse.

§. VI.

Enarrati hactenus scriptores circa eiusmodi occupati fuerunt operationes, quae in pluribus, quam vna, humani corporis partibus administrari solent. Ea contra alii iis tantum intenti fuere operationibus, quae certo quodam, hoc illoue, loco institui consueuerunt. De hydrocephalo IO. BAPT. z) CORTESIVS; de trepanatione crani THOM. FIENVS in libris chirurgicis XII. & IO. BOHNIVS in *Dissert.* a) *de trepanationis difficultatibus*, multa notatu digniora in medium adtulere. De polypo narium, MATTH. GLANDORPIVS *Tractatum de polypo narium, affectu grauissimo, obseruationibus illustratum* Bremae anno 1628. 4. excusum euulgauit. Quid ratione dentium obseruare iuuet, PET. FAVCHARDVS in tractatu gallico, *Traité des dents* b) inscripto, optime c) docuit. Quoad morbos oculares in genere consideratos, & quatenus chirurgi ope indigent, ex antiquioribus GEORG. BARTISCH edita Dresdae 1583. fol. idque germanico idiomate *), ὀφθαλμοδουλεία; e recentioribus autem, GVIL. d) COWARD, ANTOINE e) MAITRE-IEAN, CHARLES f) DE SAINT YVES & IO. g) TAYLOR, peculiari quisque scripto hoc argumentum exhaurire studuerunt; ita tamen, vt princeps gloria cesserit CAROLO DE SAINT YVES. De cataracta LAVR. HEISTERVS h) & TH. WOOLHOVSIVS i) disputationis serram reciprocarunt, multis inuicem emisis scriptis eristicis: priore, cum BRISSEAV, MAITRE-IEAN, PETITO aliisque, cataractas membranosas negante; quas e contrario,

cum SAINT YVES, HOVIO atque DEIDIERIO &c. posterior affirmabat. Multiplices modos curandi fistulam lachrymalem modo nominatus LAVR. k) HEISTERVS enumerauit; nouam vero eidem malo medendi methodum DOMIN. l) ANEL excogitauit & propalauit; cui tamen a pluribus contradictum fuit. Pariter & oculorum scarificatio, HIPPOCRATI iam cognita, & a WOOLHOVSIO restaurata, a IO. DAV. MAVCHARTO in *Dissert. de Ophthalmoxysi*, Tubing. 1726. 4. nec non a IO. ZACH. PLATNERO in *Dissert. de scarifatione oculorum*, Lipsiae 1728. 4. impressa, peculiari digna fuit habita consideratione.

z) *Commentarius* eius *De hydrocephalo infantum* tractatui ipsius de vulneribus capitis, Messanae 1632. 4. euulgato, est subnexus.

a) Lips. 1694. 4. Addita eadem postea fuit etiam autoris Circulo anatomico-physiologico.

b) Integer libri titulus hic est: *Le Chirurgien Dentiste, ou, Traité des Dents, ou l'on enseigne les moyens de les entretenir propres & saines, de les embellir, d'en reparer la perte, & de remédier à leurs maladies, à celles des Gencives & aux accidens, qui peuvent survenir aux autres parties voisines des dents. Avec des observations & reflexions sur plusieurs cas singulieres. Ouvrage enrichi de quarante planches en taille-douce. Par* PIERRE FAVCHARD, *Chirurgien Dentiste*, à Paris 1728. 12. Volum. II. Germanica quoque huius Libri versio Berolini 1733. 8. impressa in lucem prodiit.

c) Vid. Noua litteraria anni 1729. p. 715. seq. vbi ex Ephemeridibus gallicis, *Journal des Savans*, sequens recensio exhibita inuenitur: Quoniam scripta de dentibus, a BARTHOL. EVSTACHIO HIER. CARDANO. MELCH. SEBITZIO, IO. STEPH. STROBELBERGERO, VRBANO HOMARDO, & B. MARTINO, edita quondam, non sufficiunt; autor obseruationes suas, triginta annorum spatio de hac re collectas, luci exposuit publicae. Dignus est, qui bonam a nobis consequatur gratiam, ob probatum hic sine inuidia sincerum proximo inseruiendi studium; quo quippe motus omnia illa cum aliis communicauit fideliter, quaecunque de ratione dentibus medendi, de sollertia eosdem apte eximendi seu euellendi, de instrumentis huic ipsi fini inseruientibus conficiendis, quae alii ceu arcana celare solent, cognita habebat.

*) Inscriptio huius operis, cuius autor LAVR. HEISTERO in *Institutionibus chirurgicis* p. 539. famigeratissimus olim inter germanos chirurgus ocularius audit, est talis: *Ὀφθαλμοδουλεία, das ist, Augendienst, neuer vnd gegründeter Bericht von Vrsachen vnd Erkänt-*

käntniß aller Gebrechen, Schaden vnd Mängel der Augen vnd des Gesichts, wie man solchen anfänglich mit gebührenden Mitteln begegnen, vorkommen vnd wehren, auch wie man alle solche Gebrechen künstlich durch Artzeney, Instrumente vnd Handgriffe curiren, wircken vnd vertreiben soll, mit schönen hierzu nöthigen figuren beschrieben durch GEORG BARTISCH *von Königsbrück, Burger, Oculist, Schnitt- vnd Wund-Artzt in der Churfürstlichen alten Stadt Dresden.*

d) GVIL. COWARDI *Ophthalmomiatria, siue, oculorum medela.* Londin. 1706. 8.

e) ANTOINE, MAITRE-IEAN *Traité des maladies de l'oeil.* à Troyes 1707. 4. Versio belgica, cura IO. PALFYNI confecta, qui & additamentis suis librum hunc locupletauit, Lugd. Batau. anno 1714. 4. fuit impressa, & deinceps, ob bonam libri frugem, Norimb 1725. 4. diuulgata.

f) CHARLES DE SAINT YVES *Traité des maladies des yeux, les remedes, qui y conviennent, & les operations de chirurgie, que leurs guerisons exigent, avec de nouvelles decouvertes sur la structure de l'oeil, qui prouvent l'organe immediat de la vue.* a Paris 1722. 8. Hic quoque liber, ob sui praestantiam, in germanicam translatus linguam, Berolini 1730. 8. prodiit.

g) *Le mechanisme, ou, le nouveau traité de l'anatomie du globe de l'oeil, avec l'vsage de ses differentes parties, & de celles, qui luy sont contigues. Par* IEAN TAYLOR. à Paris 1738. 8.

h) LAVR. HEISTERI *De cataracta, glaucomate & amaurosi tractatio.* Altorf. 1713 8. Eiusd. *Apologia contra* WOOLHOVSIVM. ib. 1717. 8. Ei *Vindiciae.* ib. 1719. 8.

i) THOM. WOOLHOVSE *Dissertations savantes & critiques sur la cataracte & glaucome.* Offenbaci 8. sine mentione anni. Exstat vero praeterea aliud quoque huc spectans viri huius sollertissimi aeque ac expertissimi opus, ita inscriptum: *Experiences des differentes operations manuelles & des guerisons specifiques, que le Seigneur de* WOOLHOVSE *a toujours pratiquées aux yeux.* à Paris 1712. 8.

k) In *Dissertat. de fistula lachrymali.* Altorf. 1716. 4.

l) *La nouvelle methode de guerir les fistules lachrymales, par* DOMINIQVE ANEL. à Turin 1713. 4. Eiusd. *Discours apologetiques pour la nouvelle methode de guerir les fistules lachrymales.* à Turin 1714. 4.

§. VII.

De laryngotomia, quae alio nomine etiam bronchotomia, vel multo rectius, *) tracheotomia appellatur, FRIDERICVS m) quidem MONAVIVS pecu-

culiarem, sed minus feliciter n) elaboratam, commentationem edidit; quapropter ea, quae hoc de argumento a IVL. o) CASSERIO, THOM. p) FIENO, & RENATO q) MOREAV conscripta fuerunt, longe pluris sunt aestimanda. ANDR. LAVRENTII *Tractatum de strumis & scrophulis*, Parisiis 1609. 8. luci expositum, deinde vero operibus eius iunctim impressis sociatum, IO. RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 154. illis accenset autoribus, qui in certis materiis excellunt. Quantum ad cancrosos tumores in genere, & cancrum mammarum in specie adtinet; indagatum fuit hoc argumentum peculiaribus scriptis a I. B. ALLIOTO r), GENDRONIO s) atque HELVETIO t); admodum vero discordes horum virorum sententias breuiter & recensuit & ad lydium reuocauit lapidem PET. u) DIONIS. De Paracentesi thoracis & abdominis w) iam iam nominatus THOM. FIENVS librorum chirurgicorum quinto sextoque sollicitum sese exhibuit. Herniotomia, inter antiquiores quidem, PET. x) FRANCVM, & MALACH. y) GEIGERVM; e recentioribus autem LEQVINVM z), N. BERENGERVM, a) & FRANC. b) WIDEMANNVM occupatos tenuit, ad quos IVST. GODOFR. GÜNZII *Libellus de herniis* Lips. 1745. 4. nouissime accessit. De sectione porro caesarea, a multis quidem reiecta penitus, ab aliis vero, in certis casibus probata, FRANC. c) ROVSSETVS primus egit; cui ex recentiori aeuo ABRAH. CYPRIANI *Historia foetus post XXI. menses ex vteri tuba, matre salua, excisi*, Lugd. Bat. 1700. 8. diuulgata, & IO. RVLEAV *Tractatus germanicus vom käyserlichen Schnitt*, Norimbergae 1716. 8. excusus, merito addentur.

*) Vid. HEISTERI *Institutiones chirurgicas* p. 723.

m) FRID. MONAVII *Bronchotomia, quae est gutturis aperiendi ratio. Cum appendice de affectibus oculorum.* Regiomont. 1644. 4. Gryphisw. anno 1652. 8. Ien. 1711. 8.

n) Vid. GOELICKII *Historiam chirurg* p. 238. FRID. MONAVIVS edidit compendiosum tractatum de bronchotomia, qui tamen pau-

ca

ca ad rem pertinentia continet, nisi, quod operationem, quam alias laryngotomiam vocabant, conuenientiori vocabulo, quo RENATVS MOREAV primus vsus esse dicitur, expresserit, bronchotomiam illam vocando. Et hanc vero denominationem ab HEISTERO improbatam esse, iam iam monui.

o) Vid. HEISTERI *Institut. chirurgic.* p. 723. IVL. CASSERIVS libro de vocis auditusque organis Ferrarae 1600. fol. edito egregie de laryngotomia agit, eamque operationem variis iisque elegantibus imaginibus illustrat.

p) Librorum chirurgicorum Quarto.

q) Pulcherrima huius lectuque dignissima epistola, de hac materia ad THOM. BARTHOLINVM perscripta, in Centur. I. Epistolarum medicinalium BARTHOLINI inde a pagina 336. ad paginam 349. legatur.

r) I. B. ALLIOT *Traité du Cancre.* à Paris 1698. 12.

s) D. GENDRON *Recherches sur la nature & la guerison des cancres.* à Paris. 1701. 8.

t) *Traité de pertes de sang & du cancre, par Monsr.* HELVETIVS à Paris 1706. 8.

u) Vid. eius Chirurgiam, demonstrat. V. p. 490. seq.

w) SANCTORIVM SANCTORIVM plane singularem calluisse rationem administrandae, tam in viris quam in feminis, paracenteseos abdominis, ex IO. MICH. FEHRII *Analectis de Absynthio* p. 120. seq. iam annotaui in *Historia medicinae Stolliana* p. 850. De raro autem illo casu, quo paracentesis ad quadragesimam vsque vicem in vno aegroto fuit adhibita, sequens schediasmation nos instruit: *Historia medica hydropici, subsidiis internis & paracentesi, plus quam quadragies instituta, curati, obseruata a* PAVLLO GVIL. SCHMIDT. Gedani 1743. 4.

x) PIERRE FRANCO *Traité des Hernies, de la pierre, cataractes, & autres excellentes parties de la chirurgie.* a Lyon 1561. 8.

y) MALACH. GEIGERI *Kelegraphia, siue, Descriptio herniarum cum earundem curationibus, tam medicis, quam chirurgicis.* Monachii 1631. 8. Prodiit iste liber, cuius autorem RHODIVS in *Bibliotheca medica* p. 154. illis scriptoribus, qui in certis materiis excellunt, adnumerauit, etiam e versione quadam germanica Stutgard. anno 1661. 12. & Vlmae 1696. 12.

z) LEQVIN *Traité des hernies ou decentes.* à Paris 1684. & 1690. 8.

a) N. BERENGER *Traité des descentes & des maux de ventre,* à Paris 1701. 8.

b) FRANC. WIDEMANNI *Tractat vom Stein- vnd Bruch-Schneiden, wie auch vom Staar-Stechen.* Augustae Vindel. 1719. 8. Locum quoque hic tueri poterit ZACH. VOGELII *Abhandlung von allen Arten der Brüche*, Lips. 1738. 8.

c) *Trai-*

c) *Traité nouveau de l'histerotomotokie, ou, Enfentement Cesarien,* par FRANÇOIS ROVSSET. à Paris 1581. 8. Tractatum isthunc a CASP. BAVHINO in romanum sermonem transfusum, & additamentis quibusdam auctum Basileae 1582. 1588. 1591. 8. Lutetiae porro anno 1590. 8. denique & Francof. 1601. 8. separatim excusum fuisse, nihilo tamen minus perquam rarum inuentu esse, id iam in *Stolliana medicinae Historia* p. 854. a me fuit adnotatum.

§. VIII.

Lithotomia multos exercuit. Methodos secandi calculi multiplices optime enarrauit HENRICVS FRANCISCVS LE DRAN in libro gallico, quem inscripsit: *Parallele des differentes manieres de tirer la pierre hors de la vessie*, Parisiis 1730. 8. edito. Reprobatam plerisque lithotomiam cum apparatu paruo, certis in casibus defendere tentauit GIROLAMVS d) MARINI. De lithotomia cum apparatu magno, quam primus descripsit MARIANVS e) SANCTVS, legi GVIL. f) FABRICIVS, HILDANVS, FRANC. g) TOLETVS, & THOM. h) ALGHISIVS merebuntur. Reperta a PET. FRANCO *) lithotomia cum alto apparatu, recentissimis temporibus apud anglos complures, qui ipsi suffragarentur, inuenit, cui etiam explorandae peculiarem IO. i) DOVGLASIVS & GVIL. k) CHESELDENVS impenderunt operam. Methodum *Fratris* IACOBI, FRERE IAQVES, IO. l) MERY peculiari tractatu nos edocuit. De methodo *Rauiana* BERNH. SIEGF. m) ALBINVS, & IAC. n) DENYSIVS egerunt: quorum posterior aeque ac IO. HENR. o) FEHRIVS methodum IO. IAC. RAVII reliquis omnibus praetulit.

d) Vid. eius lingua etrusca diuulgatam *Praxin operationum chirurgicarum, ad oculum & lithotomiam potissimum spectantium* Romae 1723. 8.

e) MARIANI SANCTI BAROLITANI *Libellus de lapide vesicae per incisionem extrahendo* Venetiis anno 1535. 8. prodibat in litterati orbis conspectum; ibidemque anno 1543. in 4. vna cum reliquis ipsius operibus iunctim excudebatur, diuersis deinceps locis recudendus, nec non Collectioni chirurgicae, tum GESNERIANAE, tum *Vffenbachianae* inserendus, in 10. denique RHO-

DII *Bibliotheca medica* p. 155. autorum illorum accensendus libris, qui in certis materiis excellunt. Ceterum, quia inuentam a praeceptore suo, IO. de ROMANIS, Lithotomiam cum magno apparatu primus in isthoc opusculo propalauit, factum inde, vt haec ipsa operatio a nomine eius saepissime *Sectio Mariana* appellari soleat.

f) Huius *de Lithotomia vesicae Tractatus* germanice primum ab ipso in lucem expositus fuit litterariam, deinceps ab HENRICO SCHOBINGERO latine conuersus & Basileae 1628. 4. euulgatus, vniuersis denique ipsius operibus insertus est: quem IO. VAN HORNE in *Microtechne* p. 529. omnibus reliquis argumenti huius scriptis praetulit.

g) FRANC. TOLET *Traité de la Lithotomie.* à Paris 1689. 8. Germanica quoque versio euulgata est Hannouerae 1694. 8.

h) Huius italica conscripta dialecto *Lithotomia* Venetiis 1708. 4. typis est exscripta.

*) Vid. Librum iam praecedenti Spho not. x) allegatum. Quam vsitata hactenus per Galliam haec methodus eximendi calculi fuerit, id abunde docere poterit tractatus gallicus, qui isthoc sub titulo: *Traité de la taille au haut appareil; par Monſ.* MORAND, *avec vne lettre de Mr.* WINSLOW. *sur la même matiere;* Parisiis anno 1728. 8. in publicam prodiit lucem.

i) Ab hoc autore Lithotomiam *Douglasianam*, siue, de alto apparatu, lingua anglicana consignatam, & Lond. 1720. 8. moxque ibidem idque denuo cum augmento 1723. 4. excusam, accepimus. A IAC. autem DOVGLASIO edita est sermone patrio, *History of the lateral operation*, Londini anno 1726. 4. & latine Lugd. Bat. 1728. 4. impressa, quam insequuta est postea *Appendix to the History of the lateral operation for de Stone* Lond. 1731. 4. quae & ipsa romano sermone loqui docta, rubrica praenotata isthac: *Historiae lateralis ad extrahendum calculum sectionis appendix, siue, Cystotomia Cheseldeniana, autore* IAC. DOVGLASIO, *quam anglice conscriptam latio donauit* PANAIOTA CONDOIDI, *Corcyraeus.* Lugd. Batauor. anno 1733. 4. prelo exiit.

k) GVIL. CHESELDEN *Treatise of high operation.* Lond. 1723. 8.

l) IEAN MERY *Maniere de tailler pratiquée par* FRERE IAQVES, à Paris 1700. 12.

m) BERNH. SIEGFR. ALBINI *Index supellectilis anatomicae Rauianae, cum* IO. IAC. RAVII *vita & calculosorum curatione.* Lugd. Bat. 1725. 4.

n) IAC. DENYSII *Obseruationes de calculo renum, vesicae, vrethrae, lithotomia, & vesicae punctura.* Lugd. Bat. 1731. 8.

o) In *Differt. de calculo vesicae, eiusque per sectionem auferendi methodo.* Basileae 1716. 4.

§. IX.

§. IX.

Inter scriptores illos, qui recentissimis p) temporibus de arte obstetricandi peculiariter commentati sunt, quorum haud exiguus est numerus, ex Italis quidem, SCIPIO MERCVRIVS, dein e Belgis, CORN. SOLINGEN, & HENR. A DEVENTER, ex Gallis porro COSMVS VIARDEL, Mr. PEV, FRANC. MAVRICEAV, PET. DIONIS, & GVIL. MAVQVEST DE LA MOTTE, ex Anglis denique RICH. MANNINGHAM, praeteriri minime debent; etsi MAVRICEAV atque DE LA MOTTE maximam prae ceteris consequuti sint famam. Horum primi liber, tusca dialecto ita inscriptus: *La commare oriccoglitrice di* SCIP. MERCVRIO, Venetiis anno 1620. 4. & Veronae 1652. 4. diuulgatus; a GODOFR. WELSCHIO germanis lectoribus donatus, multisque in locis emendatus & auctus, Lipsiae 1653. 4. melius vero Witebergae 1671. 4. fuit excusus. CORNEL. SOLINGEN *Embryulcia*, belgice Hagae Comit. 1673. 12. separatim exscripta, deinceps chirurgiae eius germanice versae adiecta, magnae MICH. BERNH. VALENTINI q) habetur existimationis. HENR. A DEVENTER *Operationes chirurgicae, nouum lumen exhibentes obstetricantibus*, Lugd. Batau. 1701. 4. & recentissime anno 1733. 4. prelo expeditae, ob vtile argumentum, germanice quoque sunt r) versae. COSMI VIARDEL s) *Obseruationes de muliebri cum naturali tum praeternaturali* t) *partu*, lectu dignas G. C. SCHELHAMMERVS u) iudicauit. Beneuole non minus exceptus fuit alius liber gallice inscriptus: *La pratique des accouchemens par Mr.* PEV, à Paris 1694. 8. Cunctis tamen iam enumeratis citra controuersiam FRANC. MAVRICEAV tractatu ab ipso gallice edito, totiesque w) excuso, & in exteras transfuso linguas, cui titulus: *Traité des maladies des femmes grosses & accouchées*, palmam praeripuit, vti iam superius Tomi huius II. Capitis III. Sect. II. §. 2. me dicere memini.

PE-

PETRI DIONIS opusculum, *Traité general des accouchemens*, à Paris 1718. 8., in quo veluti compendium quoddam operis *Moriselliani*, itidem cum fructu x) legi poterit. Sequens quoque tractatus, hac rubrica innotescens: *Traité complet des accouchemens, naturels, non naturels, & contre nature, expliqué par Sieur* DE LA MOTTE y), vnanimia vbiuis locorum obtinuit z) suffragia. RICHARDI MANNINGHAMI *Artis obstetricariae compendium, tam theoriam quam praxin spectans*, Lond. 1739. 4. diuulgatum, breuis quidem est at solida non minus ac vtilis σκιαγραφίαν seu, delineatio maioris & amplioris cuiusdam operis, ab autore in posterum exspectandi.

p) Veterum enim, & ex parte quidem adhuc superstites, libros, HIPPOCRATIS nimirum, MOSCHIONIS, ALBVCASAE &c. non magis morari calamum meum fino, quam perdita maximam partem ASPASIAE, PHILVMENI &c. monumenta.

q) In *Chirurgia medica* p. 404. vbi ista leguntur: CORNELII VAN SOLINGEN Embryulciam elegantissimam cum encheiresibus adiunctis chirurgicis, omnibus philiatris commendo admodum.

r) HENR. A DEVENTER *Neues Hebammen-Licht*, &c. Ienae 1717. 8. & 1728. 8.

s) De isthoc viro refert quidem A. O. GOELICKIVS in *Historia chirurgiae* pag. 163. COSMVS VIARDEL *primus* artem obstetriciam in Gallia exercere, eamque publicae luci in communem vtilitatem sistere allaborauit; Falsam autem atque erroneam esse hancce relationem, ostendi in lexico medicorum eruditorum, Artic. VIARDEL pag. 891. sequ.

t) Germanice: COSMI VIARDEL *Anmerckungen von der weiblichen so wohl natürlichen als unnatürlichen Geburt*. Versio haec germanica Francofurti anno 1676. 8. gallicanum vero Autographon Lutetiae Paris. 1671. 8. fuit euulgatum.

u) In *Addiamentis ad Conring. introduct.* cap. V. 18. COSMVS VIARDEL, chirurgus regius, ex innumeris obseruationibus ostendere cepit, ad foetus extractionem non opus esse ferreis instrumentis, sed omnia manibus chirurgi posse adoperari. Breuis est libellus, sed lectu dignus.

w) Prima libri editio, Parisiis 1668. excusa lucem salutabat, ibidemque anno 1723. 4. sextum, idque multis cum augmentis, recusa prodibat.

x) Recusus fuit hicce liber Lutetiae 1724. 8. nec minus, ex translatione quadam germanica, Francofurti & Lipsiae 1723. 8. diuulgatus.

y) à Pa-

y) à Paris 1722. 4. & à la Haye 1725. 4. Hoc quoque opus Argentorati 1734. 4. germanice versum in publicam exiit lucem.

z) Vid. Noua litteraria anni 1727. pag. 99. vbi ex Diario gallice scripto, cui titulus: *Histoire literaire de l' Europe* anni 1726. Mens. Sept. sequens affertur iudicium: Autor in hoc libro communicat nobiscum obseruationes suas per 30. annorum spatium collectas, harumque di. indicationes rationi consentaneas, praeterea & multa alia, quae celeberrimi quidem MAVRICEAV praxi contrariantur, attamen solidis rationibus atque argumentis, nec non experimentis conuincere aptis, suffulciuntur. Praxis eius talis est, vt artem minime affectet ostentetue, facilis praeterea, lenis atque tuta. MAVRICEAV & PEV in hoc libro frequenter vterque refutantur, verum exquisita cum modestia, humanitate atque soliditate.

§. X.

De Clysteribus in genere, & de clysteribus speciatim ani, qui sunt e numero antiquissimarum operationum, REGNERVS DE GRAAF peculiarem edidit tractatum a), in quo simul inuentum ab sese instrumentum descripsit, cuius ope pudentiores vtriusque sexus homines, vel per se ipsos, vel per alios clysterem applicare sibi possunt ita, vt denudatione partium non sit opus. LE MONNIER b) & HENR. c) BASSIVS de fistula ani egere. Caruncula vrethrae ALPH. d) FERRVM & ANDR. e) LACVNAM tenuit occupatos. De necessariis tantopere fasciis, siue Vincturis chirurgicis, qui solliciti essent, nequaquam etiam defuerunt. Praeter pauca enim illa, quae, e veteribus, HERACLES de laqueis, & GALENVS de fasciis reliquere; ex saeculo superiori, de supellectili adeo vtili IAC. f) DE MARQVE, SAM. g) FORMY; e nostro vero saeculo, IO. BAPTISTA VERDVC h), HENR. i) BASSIVS, & FRANC. WIDEMANNVS k), peculiaribus l) commentationibus bene mereri studuerunt.

a) Inuenitur iste tractatus in operibus autoris, Lugduni Batauorum anno 1677. & 1705. in 8. iunctim editis.

b) LE MONNIER *De la fistule de l' anus.* à Paris, anno 1689. 8. Quanta cum laude de isthoc opusculo pronunciauerit ANDR. OTTOMAR. GOELICKIVS, docebit *Eius historia chirurgiae* p. 178.

c) H.

c) H. BASSII *Diss. de fistula ani.* Halae 1718. 4.

d) ALPHONSI FERRI *Opusculum de Caruncula, siue callo, quae ceruici vesicae innascuntur,* quod vna cum reliquis eius scriptis diuersis in locis prela fatigauit, in collectione etiam chirurgorum cum *Gesneriana* tum *Vffenbachiana* inueniri poterit. IO. FREINDIVS in *Historiae medicinae* parte III. pag 282. isthunc FERRVM pro primo habet, qui curandi istius mali rationem docuerit.

e) Eius *Methodus cognoscendi exstirpandique excrescentes in vesicae collo carunculas,* Romae anno 1551. 8, diuulgata, a IO. RHODIO in *Bibliotheca medica* pag. 154. in censum autorum, qui in certis materiis excellunt, relata legitur.

f) *Traité des Bandages de la Chirurgie.* à Paris 1631. 8.

g) *Traité chirurgical des bandes laqs, emplastres, compresses, atelles, & des Bandages, par* SAMVEL FORMY. à Montpellier 1653. 8.

h) IO BAPT. VERDVC *Maniere de guerir les fractures & les luxations par les Bandages* à Paris 1712. 8. Prima autem editio prodiit ibidem anno 1689. 8.

i) HENR. BASSII *Gründlicher Vnterricht von Bandagen,* Lipsiae 1720. 8.

k) FRANC. WIDEMANNI *Collegium Chirurgicum über die Bandagen.* August. Vindel. 1735. 8.

l) Alioquin enim prae reliquis etiam mentio hic loci facienda fuisset institutionum chirurgicarum LAVR. HEISTERI; quia integra earundem Pars III. agit de fasciis & vincturis chirurgicis.

§. XI.

Hactenus praecipui scriptores, qui circa maximi momenti operationes occupati fuere, sunt recensiti. Restant iam quaedam materiae speciales, quae ad pharmaceuticam potius quam ad manuariam chirurgiam spectare videri queant, quas tamen silentio praeterire minime fas est. De fracturis & luxationibus, a veterum m) mentione si me abstineam, praeter modo nominatum IO. BAPT. VERDVCIVM, IO. CHRISTOPH. HEYNE, *De praecipuis ossium morbis,* Amstelod. 1705. 8. IO. LVDOV. n) PETITVS, & IO. GODOFRED. GRVHLMANNVS; de spina ventosa autem IOSEPH. p) PANDOLPHINVS, & CONR. LVDOV. q) WALTHERVS sollicitos sese gesserunt. De tumoribus praeter naturam, IO. PHILIP. r) INGRASSIAS, & ANT. s) SAPORTA, IO. t) RHODIO si credimus, excellenter; si vero IO. u) HORNII sen-

tentiae potius adstipulemur, perquam tenuiter, scripserunt; ea contra IVLIVS CAESAR w) ARANTIVS, MARCVS AVRELIVS x) SEVERINVS, & GÜNTH. CHRISTOPH. y) SCHELHAMMERVS maiorem ex hoc argumento consequuti sunt gloriam. De vlceribus GABR. z) FALLOPPIVS, & EVSTACH. a) RVDIVS; de combustionibus GVIL. b) FABRICIVS, HILDANVS, & IO. c) HORNVNGIVS; de gangraena & sphacelo, MARC. ANT. d) MONTAGNANA, optime vero GVIL. FABRICIVS e), HILDANVS, & ADRIANVS f) KOENERDINGIVS, peculiaribus tractatibus egerunt.

m) HIPPOCRATIS nempe GALENI, PALLADII &c.

n) Liber eius initio ita inscriptus: *L'art de guerir les maladies des os*, Parisiis 1705. 12. in lucem prodibat; postea vero longe auctior, titulo insignitus isthoc: *Traité des maladies des os, dans lequel on a representé les appareils et les machines, qui conviennent à leur guerison, par* IEAN LOVIS PETIT, Parisiis 1723. 12. est recusus; nec non ab anonymo quodam in schediasmate gallico, cui talis rubrica: *Dissertation en forme des lettres, au suiet des ouvrages de l'auteur du livre sur les maladies des os*, à Paris 1726. 12. aerem censuram est expertus.

o) IO. GODOFR. GRVHLMANNI *De luxationum synthesi in genere & in specie tractatus anatomico-chirurgici*: quorum vnus in forma dissertationis, sub praesidio *Hoffmanniano* habitae, Halae 1703. 4. alter autem, instar schediasmatis, quaternionibus quatuor constantis, ibidem loci 1704. 4. lucem salutauit, iunctim postea germanice versi, sub hac inscriptione: IOH. GOTTFR. GRVHLMANNS *Neuer anatomisch-chirurgischer Tractat von Einrichtung vnd Zusammenfügung der Verrenckungen*, Lipsiae anno 1706. 8. sunt diuulgati.

p) IOSEPHI PANDOLPHINI *Tractatus de ventositatis spinae saeuissimo morbo, reuisus, correctus & annotationibus illustratus a* GEORG. ABRAH. MERCKLINO, Norimb. 1674. 12.

q) *Sehr merckwürdiger Vorfall des Wind-Dorns an einem Mägdlein von 10. Jahren, dabey der Caries ossium, nach allen seinen Arten, Vrsachen, Anfang, Fortgang, vnd übrigen Phaenomenis, nebst allen Cur-Vortheilen, nach heutigen Grundsätzen der Wund-Artzeney beschrieben wird von* CONR. LVDW WALTHER. Leipzig 1715. 8

r) IO. PHIL. INGRASSIAE *De Tumoribus praeter naturam, Tomus primus.* Neapoli 1553. fol. Reliqui autem, & in fronte huius ipsius Tomi promissi istius operis tomi non sunt euulgati.

s) AN-

s) ANTON. SAPORTAE *De tumoribus praeter naturam libri quinque, editi cura & studio* HENR. GRAS. Lugduni 1624. 12.

t) Ille enim ambos iis sociauit autoribus, qui in certis materiis excellunt, *Bibliothec. medic.* p. 155. Mihi vero videtur hic aliquid humani passus esse RHODIVS.

u) In *Microtechne* pag. 528. De tumoribus praeter naturam scripsit INGRASSIAS; equidem non indoctus vir, sed qui plurimum fuit occupatus in nomenclaturis arabicis & graecis conciliandis, magnamque lectori confusionem parit in recensendis tot tumorum speciebus. De SAPORTA supra fuit dictum, nihil illum sapere prae vulgo.

w) IVLII CAES. ARANTII *De tumoribus secundum locos affectos, liber.* Venet. 1595. 4.

x) M. A. SEVERINI *De recondita abscessuum natura libri VIII.* Neapoli primum 1632. 8. deinde & quidem auctiores, Francofurti 1643. & 1668. 4. fuerunt diuulgati. In HORNII *Microtechne* l. c. ista scripta leguntur: Omnibus modis commendandi sunt IVLIVS CAES. ARANTIVS, & MARCVS AVRELIVS SEVERINVS, qui librum scripsit de recondita abscessuum natura, repletum certe recondita doctrina, stabilita plurimorum annorum experientia. Nec minore cum laude de SEVERINO pronunciauit CONRING, in *Introduct. in art. medic.* cap. XII. § 2.

y) G. C. SCHELHAMMERI *Oncologia parua, seu, de tumoribus humani corporis, eorumque legitima curatione liber, ad recentia verioraque dogmata accommodatus, nouaque methodo adornatus.* Ienae 1695 4.

z) GABRIEL. FALLOPPII *Liber de Vlceribus, nunc primum emendatior, magnaque accessione auctus & integer editus, opera studioque* BRVNONIS SEIDELII. Erfordiae 1577. 4. Insertus est iste liber etiam operibus Falloppianis iunctim impressis, & supra iam memoratis.

a) EVSTACH. RVDII *De vlceribus libri tres,* Patau. 1602. 4.

b) GVIL. FABRICII, HILDANI, *Libellus de combustionibus, quae oleo & aqua feruida, ferro candente, puluere tormentario, fulmine & quauis alia materia fiunt,* Basileae 1607. 8. seorsim fuit impressus, vniuersis deinde autoris monumentis inserendus.

c) IO. HORNVNGII *Chirurgischer Vnterricht, wie man allerley Brandschaden gründlich erkennen vnd heilsamlich curiren solte.* Nürnberg 1622. 8.

d) M. A. MONTAGNANAE *De herpete, phagedaena, gangraena sphacelo & cancro, tum cognoscendis, tum curandis, tractatio accuratissima.* Venet. 1589. 4.

e) *Tractatus* eius *methodicus de gangraena & sphacelo,* germanica primum, postea latina lingua euulgatus, nec non gallice versus, &, viuo tum autore, ad minimum duodecies prelis suppositus, tandem, & quidem plenissimo habitu, operibus eius adiectus quoque, in IO. RHODII *Bibliotheca medica* pag. 155. optimo iure refertur in eorum autorum ordinem, qui in certis materiis excellunt.

f) Opusculum eius, belgice conscriptum, Amstelodami 1698. 8. fuit typis expressum.

§. XII.

Numerus quidem eorum, qui de vulneribus, peculiaribus commentationibus considerandis, gesserunt sese sollicitos, admodum est magnus; ego vero locum solis his concedam in selectae huius bibliothecae scriniis, qui mox sequuntur. MATTHIAE GLANDORPII *Speculum chirurgorum, in quo, quid in vnoquoque vulnere faciendum, quidque omittendum, praemissa partis affectae anatomica explicatione, obseruationibusque ad vnum quodque vulnus pertinentibus adiunctis, conspicitur ac pertractatur.* Bremae 1619. 8. IO. HORNIVS in *Microtechne* p. 529. optimis huius argumenti libris exaequauit. CAES. MAGATI g) *Libri duo de rara medicatione vulnerum, seu, de vulneribus raro tractandis,* ideo notari merentur, quia eorum autor crebram & quotidianam vulnerum de ligationem, aeque ac vsum turundarum atque penicillorum, reiecit: qua in re, ex recentioribus *) quidem chirurgis sequutus eum est Gallus quidam, *Mr.* BELLOSTE in libro, cui titulus: *Chirurgien d'hospital* h), Amstelodami 1707. 8. euulgato. De vulneribus sclopetorum primus quidem ALPHONSVS i) FERRVS scripsit; maxime tamen ex antiquioribus AMBROS. k) PARAEVS, & LEONH. l) BOTALLVS, & e recentioribus MATTHAEVS GOTTFRIED PVRMANNVS m), LEON. n) TASSINVS & HENR. FRANC. DRAN *) praecipua hac in re laude digni videntur. Pariter etiam, in tanta nube o) scriptorum de lethalitate vulnerum, celeberrimo IO. p) BOHNIO principatus q) ad hanc vsque aetatem merito debetur.

g) *In quibus noua traditur methodus, qua felicissime ac citius, quam alio quouis modo, sanantur vulnera.* Venet. 1616. fol. & 1676. fol. quarum editionum posterior IO. BAPT. MAGATI *tractatu, quo rara vulnerum curatio defenditur contra* SENNERTVM, aucta & recentissime etiam Francofurti 1733. 4. recusa est.

*) Vid. LAVR. HEISTERI Institutionum chirurgicarum partem I. pag. 11. vbi haec leguntur: De turundarum abusu in vulneribus, MAGA-

MAGATVS, BELLOSTIVS, & nuperrime CHABERT gallice, ac LVPVS italice egerunt, qui & vulnera raro deliganda esse docuerunt.

h) Idem hic liber, germanice quoque versus a MART. SCHVRIGIO titulo instructus: *Des Herrn* BELLOSTE *viel vermehrter Hospital- vnd Lazareth-Chirurgus*, Dresdae 1710. 8. prodiit.

i) ALPHONSI FERRI *De sclopetorum siue archibusorum vulneribus Libri III.* diuersis editi sunt temporibus, nec non scriptorum chirurgicorum collectioni, cum *Gesnerianae*, tum *Vffenbachianae* inserti.

k) AMBROS. PARAEI *Tr. de vulneribus sclopo, aliisque igniariis machinis, & telorum omni genere illisis*, reperitur in operibus eius chirurgicis. IO. HORNIVS optimis huius generis autoribus accenset PARAEVM, ita in *Microtechne* p. 530. scribens: De vulneribus sclopetorum quanquam plures scripserint, iis tamen fides habenda, qui castra sequuti fuerunt, vt sunt PARAEVS, BOTALLVS, GVILLEMAEVS.

l) LEONH. BOTALLI *De curandis vulneribus sclopetorum liber*, Lugduni 1560. 8. & Venetiis 1565. & 1598. 8. seorsim impressus, deinceps operibus eius omnibus, supra iam recensitis, vna fuit insertus.

m) *Funfzig sonder- vnd wunderbare Schuß-Wunden-Curen, wie solche nach den richtigsten vnd beständigsten Cur-Vortheilen tractiret vnd glücklich curiret worden von* MATTH. GOTTFR. PVRMANN. Francofurti & Lipsiae 1703. 8.

n) *Chirurgie militaire, ou; l' art de guerir les playes d' arquebusade, par* LEON. TASSIN. à Paris 1688. 8.

*) *Traité, ou reflexions tirées de la pratique sur les playes d' armes à feu, par* HENRY-FRANCOIS LE DRAN à Paris 1737. 12.

o) Huc pertinent e. g. BERNH. SVEVI *Tractatus de inspectione vulnerum lethalium & sanabilium.* Marpurg, 1629. 8. MELCH. SEBIZII *Examen vulnerum singularum corporis humani partium*, Argentorati 1639. 4. GODOFR. WELSCHII *Rationale vulnerum lethalium iudicium.* Lipsiae 1660. & 1674 8. Plures quem nosse iuuat, adeat ANDR. OTTOMARI GOELICKII *Introductionem in historiam litterariam scriptorum, qui medicinam forensem commentariis suis illustrarunt*, Francofurti cis Viadrum anno 1723. 4. editam.

p) Huius *Liber de renunciatione vulnerum, seu, vulnerum lethalium examen*, Lipsiae 1689. 8. & ibidem, verum auctior, anno 1711. 4. excusus, nec non Amstelod. a. 1710. 8. & 1732. ead. forma fuit recusus.

q) Ex tot encomiorum, quibus isthic liber accumulatus fuit, aceruo, ea tantum verba praesenti loco repetere lubet, quae dictus modo GOELICKIVS *Introductioni suae in historiam litterariam scriptorum medicinae forensis*, pag. 28. sequ. inseruit, quae haec sunt: Instar omnium est, quodque nocturna diurnaque manu versari meretur, IO. BOHNII edecumatum opus de renunciatione vulnerum lethalium, quo accuratius in hoc genere scriptum nec exstat, nec forte desideratur.

CAP. IX.

DE SCRIPTORIBVS DIAETETICIS.

§. I.

Extremos atque vltimos huius Bibliothecae forulos occupent scriptores, qui dicuntur, diaetetici. Quum vero perpauci de diaeta aegrotorum, plurimi contra de sanorum, siue hygieine, fuerint solliciti in editis a se hoc argumentum spectantibus scriptis; de posterioris adeo generis autoribus, quorum numerus non est paruus, a) ita agam, vt praecipuorum ex iis saltem iniiciam mentionem; etsi non lateat me PET. LAVREMBERGII, atque GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI b) sententia, iudicantium, recensionem huius argumenti scriptorum ad bibliothecam medicam minus pertinere.

a) Vid. LINDEN. *renouat.* lib. II. pag. 41. & 132. sequ.
b) Vid. *Eius additam. ad Conring. Introduct.* cap. I. §. 10. pag. 28.

§. II.

Vt vero hic quoque ordinis, cuius huc vsque obseruans fui, ratio sibi constet, hocce quoque supremum caput erit bipertitum, in geminam distribuendum sectionem. In harum priore, de scriptoribus diaeteticis generalibus, qui totum diaetae ambitum exhaurire instituerunt; in posteriore vero de illis agam, qui in specie de aere, cibo ac potu, somno & vigilia, quiete & motu, de excretis porro atque retentis, de animi denique commotionibus, seu, qui vulgo dicuntur, affectibus; adeoque de dictis ita rebus sex non naturalibus, quatenus eae valetudini vel prosunt, vel obsunt, peculiaribus commentationibus dicendi occasionem arripuerunt.

CAP.

CAP. IX. SECT. I.

DE SCRIPTORIBVS DIAETETICIS GENERALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores diaetetici antiquiores §. *1.* *Scriptores de re diaetetica generales saeculi XVI.* §. *2.* *saeculi XVII.* §. *3. 4.* *saeculi XIIX.* §. *5. 6.*

§. I.

Ad illos autores quantum attinet, qui ex antiquioribus de conseruanda sanitate in genere scripserunt, non erit, cur vel graeci, a) vel arabes b), vel latini c) denique diutius me morentur medici; sufficiet potius, ex tota antiquitate vnius hic CLAVD. GALENI, & dein *Scholae Salernitanae*, iniecisse mentionem. CLAVD. GALENI *De sanitate tuenda libri* VI. ex THOM. LINACRI versione latina, Lutetiae Parisiorum 1530. fol. separatim impressi, optime vero, interprete CASP. HOFMANNO, vna cum eiusdem commentariis publici d) iuris facti, habentur in numero vtilissimorum e) graeci huius medici monumentorum. Quoad *Scholam* vero *Salernitanam*, in qua praecepta metrica de valetudine conseruanda, autore IOANNE DE MEDIOLANO, traduntur, supra f) iam me monere memini, opusculum isthoc per aliquot saecula, ceu scriptum quoddam classicum, venerabile veluti fuisse.

a) Libellus enim sub POLYBI exstans nomine, *De tuenda valetudine siue de ratione victus sanorum*, qui vna cum aliis non nullis eiusdem POLYBI opusculis, iuxta romanam ALBANI TORINI translationem, Basileae 1544. 4. fuit excusus, vix vno ac dimidio, quantus quantus est, constans quaternionibus, perquam leuis scriptum est momenti. MICHAELIS contra PSELLI *De victus ratione libri II.* Basileae 1529. 8. euulgati, & SIMEONIS SETHI *Syntagma de cibariorum facultate*, Basileae 1538. 8. sitanno typographico signatum, parui etiam vtrique pretii, pertinent ad scriptores particulares. PLVTARCHI

 tamen

tamen *Dialogus de tuenda sanitate* potiori fortassis iure locum hic tueri poterit.

b) ELLVCHASEM ELIMITHAR *Tabulae sanitatis de sex rebus non naturalibus*, Latine Argentorati anno 1531. fol. & ibidem loci 1533 pari forma germanice quoque expressae, ea a me de caussa fuerunt praeteritae, quia parum quaeruntur. Ea contra de ISAACI, IVDAEI, *Libris II. de diaetis vniuersalibus & particularibus*, interprete IO. POSTHIO, Basileae 1570.8. diuulgatis, cur hoc loco agere noluerim, ratio haec est, quod circa rem cibariam solum versantur.

c) De THEODORI *Diaeta* supra iam Tomi prioris cap. II. sect. II. §. 7. & cap. VII. sect. I. §. 6. dixi. ARNOLDI VILLANOVANI *Regimen sanitatis*, quod successu temporis aliquantum immutatum, sub MAGNINI, MEDIOLANENSIS, nomine, Argentorati anno 1503. 4. editum fuit, aeque ac ANTON. GAZII *Corona florida medicinae*, Venetiis 1491. folio excusa, dudum in locum mercium obsoletarum est relegatum.

d) Titulus est: *Vita medica, hoc est*, CLAVDII GALENI ὑγιεινῶν, *seu methodi sanitatis tuendae libri VI. noua eaque omnium accuratissima versione, & perpetuis commentariis & castigationibus illustrati a* CASP. HOFMANNO, *curante* SEBAST. SCHEFFERO Francof. anno 1680. 4.

e) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. XIII. §. 7. GALENI libros de tuenda sanitate, omnibus aliis, qui hodie supersunt, praeferimus. Non minus benigne de iisdem quoque iudicauit HERM. BOERHAAVE in *Methodo discendi medicinam*, pag. 40.

f) Vid. Tom. I. cap. II. sect. II. §. 8.

§. II.

Vna cum saeculo sexto post decimum, pertinentium huc g) autorum numerus luculenta cepit incrementa. HELII EOBANI, IO. LIEBAVLTII & HENR. RANZOVII scripta diaetetica supra iam h) fuerunt allegata. IO. KATZSCHII *Excerpta ex* HIPPOCRATE & GALENO *ad sanitatem tuendam vtilia, in sex res non naturales digesta*, Lips. 1549. 4. ipso titulo argumentum ac contenta libri profitentur. HIER. CARDANI *De sanitate tuenda ac vita producenda libri quatuor*, Rom. 1580. fol. & Basileae anno 1582. fol. seorsim excusi; ab HERM. i) CONRINGIO & HERM. k) BOERHAAVIO elogiis haud triuialibus fuerunt exornati. IVL. ALEXANDRINI *Salubrium, seu, de sanitate tuenda, libri XXXIII.* Colon. 1575. fol. impressi, mul-

multorum l) suffragia tulere. LVDOV. CORNARI *Libellus* m) *de vitae sobriae commodis*, lingua hetrusca conscriptus, deinde in peregrinas dialectos translatus, Romana vero ab LEON. LESSIO ciuitate donatus, ipsiusque *Hygiastico*, Antwerpiae 1622. 8. edito adnexus, plurimum autori suo existimationis peperit, licet nec contradictionis n) omnis fuerit expers. CONST. LANDI *Methodum bonae valetudinis tuendae*, Lugduni 1575. 8. euulgatam, CONRINGIVS o) laudauit; qui & THOM. PHILOLOGI *Librum de vita hominis vltra centum viginti annos producenda*, Venetiis 1560. 4. luci expositum litterariae, libris non temnendis adnumerauit; quamlibet FRANC. BACONVS p) DE VERVLAMIO de eiusmodi medicorum consiliis atque conatibus contemtim admodum pronunciauerit.

g) Quod MARSILII FICINI *De vita libri III.* Basil. 1538. in 8. ALBERT. BOTTONI *De vita conseruanda liber*, Patau. 1582. 4. *Il Tesoro della sanita di* CASTOR DVRANTE Venet. 1616. 8. & 1668. 12. vna cum aliis non nullis omissi hic fuerunt, id studio factum dataque opera.

h) Vid. Tom. I. cap. VII. sect. II. §. 22. & 23.

i) *Introduct. in art. medic.* cap. XIII. §. 4. Scriptorum qui integram Diaeteticam excolendam sibi sumserint, paucissimi admodum inueniuntur. Vnus tamen HIERON. CARDANVS opere de sanitate tuenda, a discipulorum suorum quodam euulgato, vniuersum hoc argumentum satis egregie persecutus fuit, ita tamen, vt in re alimentaria potissimum sit occupatus.

k) Vid. *Method. disc. medicin.* p. 404. seq. Commendo hic HIERON. CARDANVM, mirificum illum scriptorem (quo, vti dicit quidam, sapientior nemo, vbi sapit, dementior nullus, vbi errat) in opere de sanitate tuenda, qui liber rarus est, sed, si quis habeat, placebit multum.

l) Vid. CONRING. *Introduct. in art. medic.* cap. XIII. §. 8. Omnem victus & conseruandae sanitatis rationem praeclaro opere persequutus est IVLIVS ALEXANDRINVS *in libris* XXXIII, *Salubrium siue, de sanitate tuenda*: quo scripto nihil est praestantius.

m) LVDOVICI CORNARI Tractatus exiguus quidem, elegans tamen & lectu dignus. Ita de eo iudicat CONRINGIVS cit. lib. cap. XIII. §. 17.

n) Lego namque in nouis litterariis anni 1725. pag. 296. Anonymum quendam tractatum gallice scriptum, cui titulus: *L' Anticornaro,* Parisiis 1702. emisisse, in quo rationi consentanea critica diiudicentur regulae CORNARI, quarum pleraeque nimis sint ambiguae, dubiis obnoxiae, & multis in casibus multum patiantur exceptionis. De BERNHARDINI contra RAMAZZINI *Annotationibus in librum* LVDOVICI CORNELII *de vitae sobriae commodis*, Patau. 1714. 4. seorsim editis, deinceps vero operibus eius vniuersis, Tom. I. cap. V, §. 31. recensitis, annexis, hoc tantum breuiter notasse iuuat, eas non ad refutandum, sed ad illustrandum magis atque confirmandum librum isthunc *Cornarianum*, esse publicatas.

o) *Introduct. in art. medic* cap. XIII. §. 17.

p) *De augmentis scientiarum* lib. IV. cap. II. vbi scribit: Primo monemus, ex scriptoribus, circa hoc argumentum, neminem esse, qui aliquid magni, ne dicamus, aliquid sani, repererit. Recentiores enim tam oscitanter & superstitiose de vita prolonganda scripserunt, vt argumentum ipsum, ob eorum vanitatem, tanquam vanum & vecors haberi ceperit.

§. III.

E saeculi XVII. medicis locum occupent sequentes. In gente Lusitanorum, RODERICVS A FONSECA *Librum de tuenda valetudine* q) *& producenda vita*, quem CONRINGIVS r) laudauit, & FERDIN. RODERICVS CARDOSVS *Tractatum de sex rebus non naturalibus*, orbi litterato exhibuere, quorum operum posterius, curante PET. VFFENBACHIO, Moeno-Francofurti anno 1620. & 1644. 8. fuit recusum. In gallorum natione, BARTHOL. PERDVLCIS *Ars sanitatis tuendae* Parisiis 1637. 12. separatim fuit impressa; plures tamen IOSEPH. QVERCETANI *Diaeteticon* s) *polyhistoricon* fautores t) inuenit. Italos inter, SANCT. SANCTORIVS, *Medicina statica* sua, iam supra u) memorata, emissa, omnibus populi sui medicis palmam citra controuersiam praeripuisse credendus est; & apud Britannos denique, FRANCISCVS BACONVS DE VERVLAMIO, cum *Historia* *) *vitae & mortis*, ab ipso edita, tum reliquis etiam scriptis suis w), omnium vbiuis, hac quoque in re, approbationem meruit.

q) Flo-

q) Florentiae 1602. 4. & Francofurti 1603. 8.
r) *Introduct. in art. medic.* cap. XIII. §. 17.
s) Parisiis 1606. 8. Francof. 1607. 4. & Lipsiae anno 1607. & 1615. 8.
t) Vid. CASP. BARTHOLINI *Consilium de studio medico* p. 14.
u) Vid. Tom. I. cap. III. sect. I. §. 6.
*) Londini 1623. 8.
w) FRANC. BACON. DE VERVLAMIO *Opera* Francofurti anno 1665. fol. Amstelodami 1684. 12. & Lipsiae 1694. fol. iunctim edita, & in *Catalogo Bibliothecae Reimmannianae* Tom. II. pag. 76. sequ. encomiis minime vulgaribus sunt accumulata. In nouis tamen litterariis anni 1740. p. 338. seq. relatum legimus, opera magni huius viri diuersis antea nunquam editis tractatibus, qui in manu exaratorum scriniis huc vsque delituerant, ipsumque autorem agnoscunt, aucta, Londini anno dicto 1740. quatuor voluminibus, formae, quam folii dicere moris est, constantia, plenissime, idque anglicano idiomate, in lucem exposita esse litterariam.

§. IV.

Neque vero otiosi circa hoc argumentum, aliarum x) nationum, germanicae y) in primis, medici, quos dictum tulit saeculum, fuisse credendi sunt. CLAVD. DEODATI *Pantheum hygiasticum Hippocratico-hermeticum, de hominis vita ad 120. annos salubriter producenda, libris III. distinctum*, Bruntruti 1628. 4. & MART. PANSAE *Aureus libellus de proroganda vita*, quatuor z) partibus constans, ab HERM. quidem CONRINGIO a) illi librorum generi, quos cum fructu legere liceat, accensentur; IO. vero ANTONIDES VAN DER LINDEN b) *Verulamianae* iam iam adductae adstipulari maluit sententiae. VALENT. HENR. VOGLERI *Diaeteticorum commentariorum librum*, Helmstadii 1667. 4. impressum, G. C. SCHELHAMMERVS c) celebrauit laudibus. Circa CORN. BONTEKOEI librum, germanice ita inscriptum: *Kurze Abhandlung* d) *von dem menschlichen Leben, Gesundheit, Kranckheit vnd Tode*, iam supra e) monui, eum variis iisque paradoxis f) dogmatibus esse deformatum. Nec minus de EHRENFRRIEDI quoque WALTHERI A TSCHIRNHAVSEN *Medicina* g) *corporis*, germanice h) postea versa, iam supra i) commemo-

memoraui, ELIAM CAMERARIVM aduersarium eam fuisse expertam minime ineptum, nec imparem.

x) Ita, ex gr. Polonos inter, IO. IONSTONI *Idea Hygieines recensita*, Ienae 1662. 12. & IANI ABR. *a* GEHEMA *Diaetetica vera*, Sedini 1690. 12. in lucem prodiere publicam, quorum libellorum posterior, titulo instructus hocce: I. A. *a* GEHEMA *XXX. Aphorismi, oder Gesundheits-Regeln &c.* praefatione atque adnotationibus non nullis IANI ANDR. SCHLEGELII stipatus, Moeno-Francofurti anno 1696. 8. de nouo fuit impressus.

y) Ex horum numero habentur v. c. IO. MATTHAEI *Speculum sanitatis, rerum non naturalium administrationem pro bona valetudine conseruanda continens*, Herbornae 1620. 8. RVD. GOCLENII *Tractatus physicus & medicus de Diaeta sanorum*, Francof. anno 1621. 8. VALENT. LOEBERI *Anchora sanitatis dialogice fabricata*, Frf. & Hamb. 1671. 8. quibus singulis horumque similibus pluribus diu immorari, consultum mihi haud fuit visum. Forsitan tamen IAC. IOSEPH. IOEPSERII *Isagoge, seu, manuductio ad vitam longiorem, variis de tuenda reparandaque valetudine dissertationibus illustrata*, Norib. 1680. 4. non spernenda omnino videri queat.

z) Harum I. & II. 1615. III. 1616. & IV. 1620. 8. Lipsiae impressa.

a) *Introduct. in art. medic.* c. XIII. §. 17.

b) *Manuduct. ad medicin.* p. 95. De prolongatione vitae medicorum nugas paucis sapienter notat FRANC. BACO lib. IV. c. 2. *De augmentis scientiarum*, simulque viam monstrat, qua ad istam potest perueniri. Eamque primus ipse ingressus facem in *Historia vitae & mortis* praeluxit.

c) In *additam ad Conring. introduct.* c. XIII. §. 8.

d) Germanica libri huius, belgica lingua conscripti, versio Budissinae 1692. fuit excusa, ibidemque anno 1719. 8. cum IO. DAN. LONGOLII praefatione atque annotationibus, recusa.

e) Vid. tom. I. c. III. sect. I. §. 5.

f) Ea ex parte indicata sunt quoque a CHRIST. THOMASIO in *Cautelis circa praecognita Iurisprudentiae* c. XVIII. passim, quod ipsum caput a quouis artis salutaris cultore multa cum attentione legi meretur.

g) Annexa est illa eius medicinae mentis toties prelis subtratae, & recentissime etiam Amstelodami 1727. 8. impressae.

h) Rubrica tali: *Curiöse Medicin, darinnen die Gesundheit des Leibes durch sehr wahrscheinliche Gedancken in zwölff Regeln vorgestellet wird.* Luneb. 1705. 12. Prodiit quoque ib ann. 1708. pari forma, *Der curiösen Medicin anderer Theil, darinnen die wichtigsten Objectiones wider den ersten Theil gründlich aufgelöset worden.*

i) Vid. tom. I. c. III. sect. II. §. 6.

§. V.

§. V.

Saeculo, in quo nunc ferme medio viuimus, post decimum octauo, quam plurimi de emendanda diaetetice, ad quam industriam VERVLAMIVS suo iam tempore medicos excitauerat, sollicitos se probauerunt: quorum non nulli editis dissertationibus probe elaboratis, alii peculiaribus tractatibus conscriptis, suas huc conferre symbolas studuerunt. Ad priorem classem IO. GOTHOFR. k) BERGERVS, GE. WOLFFG. l) WEDELIVS, CHRISTIANVS m) VATERVS, & cum primis FRIDER. HOFFMANNVS referri merebuntur. Et quidem vltimo loco nominati opuscula diaetetica, XVII. dissertationibus constantia, optime ac plenissime habentur tom. V. operum eius iunctim n) recusorum Geneuae 1740. fol. eaque, pariter ac ante memoratorum dissertationes, eius sunt conditionis, vt IO. HERM. o) FÜRSTENAVIVS de impensa huic argumento a doctis hisce & expertissimis viris opera summa cum laude fuerit loquutus.

k) A magno isthoc Medico accepimus Dissertationes: *De filo medicinali*, Witteb. 1702. 4. *De commodis vitae sobriae*, ib. 1705. *De vita longa*, ib. 1708. *De tuenda valetudine ex cognitione sui*, ibid. 1708. & denique *De vita & morte* ib. 1713.

l) GEORG. WOLFG. WEDELII *Differt. de vita longa.* Ienae 1707. 4.

m) CHRIST. VATERI *Hygieine, hoc est, ars salutaris & infallibilis sanitatem hominis ad senectutem vsque conseruandi.* Witteb. 1723. 4.

n) Tom. I. c. V. §. 34. conferatur.

o) In *Desideratis medicis* p. 318. vbi hunc scribit in modum: Filum id vocant medicinale, quod ne amplius desideretur, prout desideratum a VERVLAMIO offendimus, facit praeclara I. G. BERGERI industria, vtpote qui hoc ita occupauit argumentum, vt nihil in eo amplius desiderari videatur. Ab eodem vero pariter ac a G. W. WEDELIO, F. HOFFMANNO, & C. VATERO, summis Germaniae medicis, caussas & media ad vitam sanam ac longam, & senectutis retardationem, ipsamque εὐθανασίαν ducentia, quae singula a VERVLAMIO ad desiderata referuntur, habemus. Hi quippe fama meritisque celeberrimi viri id egerunt, vt, sobrie philosophando, viam ostenderent & modum, quo quilibet corporis sui gnarus, per remedia vbiuis obuia, & victum in primis conuenien-

nientem, rectumque rerum, quas non naturales medici appellant, vsum, vitam bene beateque ad seros vsque annos traducere queat.

§. VI.

Inter illos, qui recentissimis temporibus tractatus diaeteticos peculiares emiserunt, sequentes p) haud citra bonam frugem legi posse, existimauerim. Liber anglice ita inscriptus: *An Essay of health & long Life, by* GEORGE CHEYNE, Londini anno 1725. 8. excusus, &, propter impetrata suffragia, a IO. ROBERTSONIO in latinam q), ab Anonymo autem in gallicanam r) translatus linguas, Londini anno 1740. 8. anglicano, quo primum scriptus erat, idiomate, quibusdam cum medicis tum philosophicis autoris exercitationibus, in quibus tamen diuersa paradoxa s) asserta inueniuntur, auctior, denuo est recusus. THEOD. ZWINGERI *Dissertatio de acquirenda vitae longaeuitate*, Basil. 1703. 4. impressa, ob vtile argumentum, germaniae t) quoque donata fuit. IOAN. CAR. SPIESSII liber germanice inscriptus: *Schatz der Gesundheit, oder, Gründliche Anleitung zur Gesundheits-Pflege für alle Menschen &c.* Hanouerae 1711. 8. prelo exiit. CONR. BARTH. BEHRENS *Selecta Diaetetica, seu, de recta ac conueniente ad sanitatem viuendi ratione Tractatus*, Francofurti & Lipsiae 1710. 4. editus, in Actis Eruditorum An. 1711. p. 76. sq. fuit recensitus. GEORG. DETHARDINGII *Elementa Diaetae, seu, Regulae ad sanitatem conseruandam*, Hafn. 1734. 8. excusae, aeque, ac reliqua celebris huius Medici scripta, in pretio haberi merentur. De EMAN. CHRIST. LOEBERI libro germanice ita inscripto: *Kurze vnd gründliche* u) *Anführung zu einer heilsamen Lebens-Art &c.* hoc vnum saltem notasse iuuabit, tractatum istum, prae reliquis germanica lingua editis operibus diaeteticis, ea dici gaudere praerogatiua w), quod ad filum placitorum *Boerhaauianorum* sit compositus.

p) Diffuso scribendi genere si delectarer, poteram IO. IAC. BOVWERI belgice Amstelodami 1715. 8. diuulgatum librum, *Weg zur Gesund-*

fündheit, GOTTFR. SAM. BAVMLERI *Präseruirenden Arzt*, qui liber curante GEORG. HENR. BEHRIO Argentorati 1738. 8. luci est expositus; IO. SAM. CARLI *Hygieinen*, *lumine reuelationis*, *rationis*, *experientiae*, *gratiae*, *naturae*, *sensus commendatam* Hafniae 1740. excusam, variosque praeterea alios autores allegare.

q) GEORG. CHEYNAEI *Tractatus de infirmorum sanitate tuenda vitaque producenda*, Londini 1726. 8. & Paris. 1742. 12. impressus quarum editionum posteriori GEORG. CHEYNAEI *Tractatus de natura fibrae*, *eiusque laxae siue resolutae morbis*; & CLIFTONI WINTERINGHAMI *Commentarium nosologicum* vna adhaerent.

r) *Essai sur la santé & sur les moyens de prolonger la vie, traduit de l'Anglois de M.* CHEYNE. à Paris 1725. 8.

s) Vid Tabulas publicas Nouor litterar. 1740. p. 697. seq.

t) THEOD. ZWINGERI *Vnterricht*, *ein hohes Alter zu erlangen*. Nordh. 1727. 8.

u) Ienae 1715. 8.

w) Id quod ipse autor sub finem praefationis lectori persuadere conatur.

CAP. IX. SECT. II.

DE SCRIPTORIBVS DIAETETICIS SPECIALIBVS.

CONTENTA:

Scriptores diaetetici de Aere §. 1. *De cibo & potione* §. 2. 3. *De somno & vigilia* §. 4. *De corporis exercitationibus* §. 5. *De excretis & retentis* §. 6. *De animi affectibus* §. 7. *Scriptores diaetetici specialissimi* §. 8. 9.

§. I.

Agmen ducant, qui de Aere, quatenus valetudini is aut prodest aut obest, peculiaribus commentationibus egerunt, scriptores, quanquam perpauci. HIPPOCRATIS *Liber de aere, aquis & locis*, in quo, quae carperet, varia CONRINGIVS a) inuenit, non a CLAVDIO tantum GALENO, sed a variis etiam b) recentiore aetate florentibus medicis, Commentariis ornatus fuit atque illustratus: quos inter LVDOV. SEPTALII *Commentarii quinque in librum*

brum Hippocratis Coi de Aeribus, Aquis & Locis c), Colon. 1590. fol. & Frf. 1645. fol. excusi, ceteris praestare iudicantur. IO. VERNERI *Canones breuissimi & doctissimi, complectentes praecepta & obseruationes de mutatione aurae* Norimb. 1546 4. excusi nunquam a me oculis sunt vsurpati. HENR. MVNDII *Commentarii de aere vitali, de esculentis, de potulentis. Vna cum appendice de parergis in victu, vt Chocolata, Coffé, Thea, Tabaco &c.* Oxonii 1680. 8. prelo excusi, & Lugd Batau. an. 1685. eadem forma recusi, G. C. SCHELHAMMERI d) calculum non ex omni parte merentur. Ea contra SIM. PAVL. HILSCHERI *Dissertatio de vita in secessibus valetudinis caussa quandoque agenda*, Ienae 1725. 4. edita, bona cum fruge legetur: cui praeterea FRID. HOFFMANNI *Diss. de peregrinationibus sanitatis caussa instituendis*, Halae 1701. 4. euulgata, vt & IVONIS IO. STAHLII *Diss. de sanitatis conseruatione & restauratione per aeris & loci mutationem*, Erford. 1736. 4. emissa, merito iungendae veniunt. Ad quas IO. HENR. COHAVSEN *Hermippus rediuiuus, siue, Exercitatio physico-medica curiosa de methodo rara ad 115. annos prorogandae senectutis per anhelitum puellarum &c.* nuperrime accessit Francof. ad Moenum 1742 8. quo de libello Acta eruditorum Anni 1745. Mens. Iun. euolui possunt.

a) In *Introduct. in art. medic.* c. XIII. §. 5. HIPPOCRATI neutiquam in omnibus assentiendum. Quod enim omnem mutationem corporis nostri ab aere dependere existimat, alienum est a veritate; vtpote cum mutationem istam ab alimentis potissimum fieri, *Libro de Habitu corpor. German.* contra HIPPOCRATEM luculenter ostenderimus. Interim liber ille *Hippocraticus* doctus est & elegans.

b) Ex. gr. ab ADR. ALEMANO, BACCIO BALDINIO, HIER. CARDANO, CAMILLO FLAVIO, HIER GARDINO, ANT. PASIENO, LAZARO a SOTO, IO. MARTINO &c.

c) *Appositus est graecus* HIPPOCRATIS *contextus, ope antiquorum exemplarium restitutus, & in multis locis emendatus, vna cum noua eiusdem in latinum versione.*

d) In *Additament. ad Conring. introduct.* c. XIII. §. 8. HENR. MVNDII liber sic satis est elegans, dicam etiam, vtilis, saltem quamdiu

in rerum historia & narratione nuda se continet. Sed vbi naturam earum, praesertim aeris, examinat, non semper ipsi assentiendum est. Solet enim fere recentibus quibusdam inanibus fabulis indulgere, cum primis vero nuper excocto inuito Apolline dogmati indulget de nitro in aere natante, quo nihil inter tot vanas iactationes saeculum hoc vidit absurdius, etsi nunc vbique magno cum applausu illud sit receptum.

§. II.

Numerus eorum, circa rem cibariam qui occupati fuerunt, longe est maior quidem; ego vero, moris mei seruans, praecipuorum atque potissimorum e) solum mentionem sum iniecturus. BALTH. PISANELLI liber, italice inscriptus: *Trattato de cibi & del bere,* Venetiisque anno 1586. 4. impressus, ab ARNOLDO autem FREITAGIO in latinum transfusus sermonem, & titulum in fronte gerens isthunc: BALTH. PISANELLI *De esculentorum potulentorumque facultatibus liber vnus,* Herbornae 1593. 8. excusus, nec minus aliis f) etiam in locis recusus, in IO. RHODII *Bibliotheca medica,* p. 139. audit liber ordine commendabilis. Pariter & LVD. NONNII *Libri IV. de re cibaria,* optime Antwerpiae 1645. 4. editi, ab HERM. CONRINGIO g) libri docti sunt appellati. IO. tamen BRVYERINI h) *De re cibaria libri XXII.* & MELCH. SEBIZII, *De alimentorum facultatibus libri V.* Argentorati 1650. 4. exscripti, vtrique HERMANNO, & CONRINGIO i) & BOERHAAVIO k), tantae habentur autoritatis, vt opera duumuirorum horum medicorum omnibus reliquis huiusce argumenti scriptis praeferre nulli dubitauerint. His tamen, e recentiore aetate l), tractatus duo gallice scripti, vnus titulum gerens: *Traité des aliments, par* LOVIS LEMERY, Parisiis 1705. 8. diuulgatus; alter ita signatus: *Traité des alimens* m) *de caresme, par* NIC. ANDRY, eodem loco 1734. excusus in 12. forte non immerito adiungi queant.

e) Ita, e. c. e veteribus HIPPOCRATIS *Libellum de alimentis;* MICHAELIS PSELLI *Libros II. de victus ratione;* SIM. SETHI *Syntagma de cibariorum facultate;* ISAACI, *Iudaei, Libros II. de diaetis;* & ex recentioribus, FRANC. BONAMICI *De alimento libros quinque,* Florent. 1603. 4. IO. DOMINICI SALAE *De ali-*

mentis & eorum recta administratione librum, Patau. 1628. 4. pluresque alios data omissi opera; neque magis morari me passus sum IO. BAPTIST. HELMONTII admodum paradoxologicum, vt ita loqui liceat, *De victus ratione tractatum*.

f) Ex. gr. Bruxellis 1662. 12. Osnabrugae 1677. 12. vbi inscribitur: BALTH PISANELLI *De alimentorum facultatibus libellus aureus*.

g) *Introduct. in art. medic.* c. XIII. §. 8.

h) Lugd. 1560. 8. Frf. 1600. & 1606. 8. Norimb. 1659. 8.

i) Loc. cit. vbi leguntur ista: Primus elegantissime scripsit de re cibaria libros XXII. IO. BRVYERINVS, vir summae eruditionis, quos praeferre aliis non dubitauerim, quoniam elegantius atque accuratius omnia tradidit. Prae aliis tamen omnibus, singulari & industria & iudicio hoc argumentum quinque libris exsequutus est is, qui de re medica praeclare adeo est meritus, aeternum Argentinensis academiae decus, MELCH. SEBIZIVS.

k) In *Methodo discendi medicinam* p. 405. seq. Scopus meus est hic, rarissimos quosque, dum simul autores vtiles sunt, indicare; atque ille BRVYERINVS, nec non etiam SEBIZIVS, sunt, qui ex eruditissimis totam rem, quae ad hoc negotium spectat, absoluerunt.

l) Hoc quoque loco, quod breuitati studerem, circa IO. SIGISM. ELSHOLTZII *Diaeteticon, oder, Neues Tisch-Buch*, Colon. 1682. 4. vt & STEPH. BLANCARDI *Speise-vnd Tisch-Buch*, qui liber a GEORGIO VON KEYL e belgico germanicus factus & Francofurti ac Lipsiae 1705. 8 impressus est, &c. moras nectere nolui.

m) *Où l'on explique les differentes qualitez des legumes, des herbages, des racines, des fruits, des poissons, des amphibies, des assaisonnemens, des Boissons meme les plus en vsage comme de l'eau, du vin, de la biere, du cidre, du thée, du caffé, du chocolat, & où l'on eclaircit plusieurs questions importantes sur l'abstinence & sur le jeune, tant par rapport au Caresme, que par rapport à la santé.*

§. III.

Veruntamen diuersi etiam fuerunt, qui vsitata, partim frigidarum, calidarum partim, potionum genera peculiaribus n) proprieque huic ipsi argumento destinatis commentationibus considerarent. Vinum, ex paullo antiquioribus quidem, IO. BAPT. o) CONFALONERIVM, ANT. p) FVMANELLVM, ANDR. q) BACCIVM, & PET. ANDR. r) CANONHERIVM; e recentioribus autem, PHIL. IAC. s) SACHSIVM, occupatos tenuit. De cereuisiarum indole IO. t) PLACOTOMVS, & THADDAEVS u) HAGECIVS scripserunt. Quicquid variarum nationum medici de virtute & effectibus aquae consignauerant, id omne

ex

ex eorum scriptis excerptum CAROLVS FRIDER. SCHWERTNERVS in collectione quadam w), iam, dum haec scribo, sex x) partibus constante, idque a se germanice versum prius, compegit in vnum cumulum, atque ita imprimendum curauit. Titulus tamen huius operis risum & sannam quorundam effugere non potuit; quod apparet e nouorum litterariorum tabulis publicis anni 1743. p. 63. sequ. Qua ratione potiunculae calidae sanitati humanae vel prodesse vel obesse queant, quisque sit modus hoc ipsum discrimen diiudicandi, de eo MARC. MAPPI *Dissertationes medicae tres de receptis hodie, etiam in Europa, potus calidi generibus, Thée, Café, Chocolata,* Argentorati anno 1695. 4. impressae; deinde LEONH. FERDIN. MEISNERI *De caffé, chocolatae, herbae thée & nicotianae natura, vsu & abusu anacrisis*, Norimbergae 1721. 8. exscripta; denique liber gallicus, cui titulus: *Auis salutaire à tout le monde, contre l'abus des choses chaudes, & particulierement du caffé, du chocolat, & du thée, par Monf.* DVNCAN, a Rotterdam 1705. 8. prae reliquis y) consuli poterunt.

n) De *Commentario* erudito IO. HEINR. MEIBOMII *de cereuisiis, potibusque & ebriaminibus, extra vinum, aliis,* Helmstadii 1668. 4. impresso, silere hoc loco lubuit, quia is historice magis quam diaetetice scriptus est.

o) IO. BAPT. CONFALONERII, *De vini natura, eiusque alendi ac medendi facultate, absolutissima disquisitio.* Basil. 1535. 8.

p) ANTON. FVMANELLI *Commentarius de vino & facultatibus vini,* Venet. 1536. 4. seorsim impressus, postea vero operibus eius Tom. I. cap. V. §. 12. citatis insertus, in CONRINGII *Introduct. in art. medic.* cap. XIII. § 9. audit libellus eruditus.

q) ANDREAE BACCII *De naturali vinorum historia libri VII.* Romae 1596. fol. Francof. 1607. fol. De his quoque CONRINGIVS c. l. cum laude pronunciauit, scribens: Vini quidem virium optimam descriptionem nobis dedit ANDREAS BACCIVS.

r) PETRI ANDR. CANONHERII *De admirandis vini virtutibus libri III.* Antwerp. 1627. 8.

s) PHIL. IAC. SACHSII *Vitis viniferae, eiusque partium, consideratio physico-philologico-historico-medico-chymica* &c. Lipsiae 1661. 8.

t) IO. PLACOTOMI *De natura & viribus cereuisiarum & mulsarum opusculum,* iam supra Tom. I. cap. VII. sect. II. §. 22. memoratae

HELII EOBANI Collectioni diaeteticae est insertum, vocaturque in *Couring. Introduct. in art. medic.* cap. XIII. §. 10. libellus satis doctus.

u) THADDAEI HAGECII *De cereuisia eiusque conficiendi ratione, natura, viribus & facultatibus opusculum.* Francof. 1585. 8.

w) Innotescit ea tali titulo: *Medicina vere vniuersalis, das ist, Krafft vnd Wirckung der schlechten Wassers, so wohl in Verhütung als Heilung der meisten Kranckheiten, aus den besten Scribenten heraus gezogen, ins Teutsche vbersetzet, vnd heraus gegeben von* D. CARL FRIED. SCHWERTNER.

x) Impressae sunt singulae Lipsiae, ita, vt pars I. anno 1733. 8. Pars vero VI. 1743. 8. prodierit.

y) CASPARI tamen NEVMANNI *Lectiones publicae de quatuor subiectis diaeteticis, nimirum Thée, Caffée, Cereuisia & Vino.* Züllichouiae 1735. 4. germanico idiomate in lucem expositae publicam, me non inuito, hic locum aliquem tueri poterunt.

§. IV.

De vigilia & somno physiologice z) quidem egerunt non nulli; verum perpauci diaetetice. Immo, frustranea fortassis omnis talis opera fuerit, si quis CORN. BONTEKOEI opinionem, hominem non posse nimium somno indulgere, probare voluerit. Quem ad modum autem sententia isthaec calculum doctorum nunquam impetrare potuit medicorum; ita sequentes scriptores, qui commoda atque damna somni atque vigiliarum in genere perpendere studuerunt, haud inepte locum hic aliquem tuebuntur. CHRISTIANI GOTTFR. STENZELII *De somno, praestantissimo sanitatis & morborum praesidio, veroque huius vsu & abusu, diatriba*, graece & latine Francofurti & Lipsiae, anno 1725. 8. prelo exiit. SIMONIS PAVLI HILSCHERI *Dissertatio de recte capiendo somno pro tuenda valetudine* Ienae 1728. 4. lucem adspexit; & a IO. GOTHOFR. BERGERO *Dissertationem de somno meridiano*, Wittebergae 1706. 4. euulgatam accepimus.

z) Eo spectant e. g. IO. ARGENTERII *De somno & vigilia libri duo.* Florent. 1566. 4. NICANDRI IOSSII *Opuscula de voluptate & dolore: De risu & fletu: De somno & vigilia: De fame & siti.* Romae 1580. 4. OLAI BORRICHII *Tr. de somno & somniferis.* Hafniae 1682. 4. & recentissimos inter, IO. DE GORTER *Exercitationes medicae quatuor*, quarum iam cap. II. sect. II. §. 10. mentionem feci.

§. V.

§. V.

De corporis exercitationibus, quatenus hae valetudinem humanam vel promouent vel atterunt, diuersi quoque sollicitos sese gesserunt. LAVR. IOVBERTI *De gymnasiis & generibus exercitationum apud antiquos celebrium liber vnus*, operibus eius supra a) iam recensitis vna insertus inuenitur. MARSILII CAGNATI *De sanitate tuenda libri duo, primus de Continentia, alter de arte gymnastica*, Romae 1591. 4. obstetricante prelo lucem viderunt publicam. De HIER. MERCVRIALIS *Libris sex de arte* b) *gymnastica*, quos HERM. CONRINGIVS & HERM. BOERHAAVIVS adeo extulere, iam superius c) me obseruare memini, non solum IO. ANTONIDEN VAN DER LINDEN, sed & FRANC. BACONVM DE VERVLAMIO d) cum in MERCVRIALIS, tum in IOVBERTI atque CAGNATI scriptis varia desiderata e) indicasse. Inter recentiores vero autores, nefas fuerit, IO. GOTHOFR. BERGERI *Dissertationem de commodis exercitationis corporis*, Witteb. 1705. 4. FRID. HOFFMANNI *Dissertationem de motu, optima corporis medicina*, Halae 1701. 4. IVONIS IO. STAHLII *Dissertationem de motu corporis humani medico, sanitatis conseruandae & restituendae praecipuo actu*, Erfordiae 1733. 4. editas, praeteriisse: quibus omnibus IO. IAC. BAIERI *Diss. de Equitationis vtilitatibus & incommodis*, Altorf. 1708. 4. CHRIST. MICH. ADOLPHI *Diss. de equitationis eximio vsu medico*, Lips. 1729. 4. & SIM. PAVL. HILSCHERI *Programma de legitimo clari sermonis exercitio, pro sanitate tum restauranda, tum conseruanda* Ienae 1723. 4. adiungi merentur.

a) Vid. Tom. I. cap. V. §. XI.

b) Paris. 1577. 4. Venet. 1601. 4. Amstelod. 1675. 4.

c) Vid. Tom. I. cap. V. §. 23.

d) *De augmentis scientiarum* lib. IV. cap. II. vbi ita mentem aperit suam: Exercitationum species, quae in sanitate tuenda plurimum pollent, nemo ex medicis bene distinxit, aut annotauit. Cum vix inueniatur aliqua inclinatio in morbum, quae non exercitatione quadam propria corrigi possit. Morbis renum globorum lusus conuenit, pulmonum sagittatio, stomachi deambulatio & gestatio. Atque aliis aliae.

e) HIER. quoque WELSCHIVS *In somnio* VINDICIANI, Gymnasticen veterum & recentiorum desiderata inter medica numerauit.

§. VI.

Quantum ad Excreta & Retenta attinet, & in primis ad Transpirationem insensibilem, nemo de hac magis mereri studuit, quam SANCTORIVS SANCTORIVS, edita a se tantiuis pretii *Medicina statica*, cuius vestigiis, recentiore aetate, DION. DODARTVS, IAC. KEILLIVS & IO. DE GORTER insistere f) sunt conati. De Sudore regulas quasdam diaeteticas tradidit EHRENFR. WALTH. TSCHIRNHAVSENIVS *In Medicina corporis*, quas ad conseruandam valetudinem, amoliendosque morbos conducere posse iudicauit. IVO quoque IO. STAHLIVS *Dissertationem de conseruatione secretionis & excretionis excrementorum naturalis per aluum & poros cutis, ad morbos tam praeseruandos, quam curandos, necessaria*, Erford. 1730. 4. excudendam curauit.

f) Videantur, quae cap. II. sect. II. §. 9. hac de re iam fuerunt allata in medium.

§. VII.

Pathemata, seu commotiones, animi quo vsque sanitati corporis humani vel emolumento, vel detrimento esse posfint; a nemine, iudice CONRINGIO g), hactenus, pro eo ac par erat, satis indagatum fuit. Idque inde est, quod ratio, qua anima in corpus agit, eidemque partim noxios, partim salutares motus in illo ciet atque caussatur, nos maximam hactenus partem lateat. Interea tamen extiterunt vtique post CONRINGII aeuum, licet pauci, qui isto quoque in argumento ingenii sui vires periclitari, peculiaribus h) editis commentationibus, voluerunt. GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Disquisitio de humani animi affectibus, eorum ortu, causfis, & inde exspectandis in corpore bonis malisque*, Kilon. 1713. 4. edita, praecipuum maximique momenti opus videtur esse, quod hac de re exstat: nihilo tamen minus *Dissertationes* eodem spectantes FRID. i) HOFFMANNI, GEORGII k) DETHARDINGII, & ALEXANDRI l) CAMERARII, attente perpendi etiam merentur.

g) In *Introd. in art. medic.* c. XIII. §. 14. vbi scribit: Denique inter sex

res

res non naturales superfuntPathemata mentis,seu affectus animi: quos maximam vim habere,atque ad conseruationem valetudinis plurimum facere,omnibus est notissimum.Quod argumentum nemo hactenus singulari persecutus est libro,quatenus scilicet facit ad vsum diaeteticum.

h) De GEORG. ERN. STAHLIO & *Stahlianis*, studio, praesenti in loco, nihil dixi, quoniam iam supra Tom. I. cap. III. sect. I. §. 10. de iisdem me necessaria afferre memini.

i) FRIDER. HOFFMANNI *Dissertatio de animo, sanitatis & morborum fabro* Halae 1699. 4.

k) GEORG. DETHARDINGII *Specimen manuductionis ad vitam longam, quod tradit regulas generales, circa animi affectus homini observandas.* Rostoch. 1724. 4.

l) ALEXAND. CAMERARII *Dissert. de efficacia animi pathematum in negotio sanitatis & morborum.* Tubing. 1725. 4.

§. VIII.

Sub finem huius capitis, breuis denique mentio mihi facienda est illorum quoque scriptorum, qui de conseruatione valetudinis certorum tantum hominum huius illiusue conditionis fuere solliciti. De Hygieine Principum, BERN. RAMAZZINVS *Commentationem, de Principum valetudine tuenda*, Patau. 1710. 4. diuulgauit, quae tanta cum omnium approbatione fuit excepta, vt cum praefatione MICH. ERN. ETTMVLLERI Lips. 1711. 8. recuderetur, inserenda postmodum etiam vniuersis m) BERN. RAMAZZINI operibus. Hygieine militum memorato iam superius n) LVC. ANT. PORTIO curae fuit: cui sociari praeterea MICH. ALBERTI *Diss. de militum valetudine tuenda*, Halae 1729. 4. & FRID. HOFFMANNI *Diss. de militum valetudine tuenda in castris*, Halae 1735. 4. poterunt. GVIL. GRATAROLVS *Regimen* o) *omnium iter agentium* emisit; & ALEX. SCHOMBARTVS *Diss. de tuenda peregrinantium valetudine* Marp. 1736. 4. euulgauit. Circa Hygieinen litteratorum, e paullo antiquioribus quidem, MARSIL. p) FICINVS, GVIL. q) GRATAROLVS & GREG. r) HORSTIVS; ex recentioribus vero, GEORG. WOLFFG. WEDELIVS s) occupati fuere. A IO. ANDR. FISCHERO accepimus *Diss. de Religiosorum sanitate tuenda & restituenda*, Erford. 1721. 4. exscriptam, quibus denique cunctis IO. IAC. t) BAIERVS annumerandus venit.

m) De quibus Tom. I. cap. V. §. 31. a me dictum.

n) Vid. Tom. I. cap. V. §. 32.

o) Basileae 1561. 8. Argentorat. 1563. 8.

p) MARSILII FICINI *De studiosorum tuenda sanitate liber*, cum GEORGII PICTORII *scholiis*, Basil. 1569. 8.

q) GVIL. GRATAROLI *De litteratorum, & eorum, qui magistratibus funguntur, conseruanda praeseruandaque valetudine, compendium*, Basileae 1555. 8. Francof. 1591. 12. Commodissime etiam

vor.

VOP. FORTVNAT. PLEMPII *Commentatio de Togatorum valetudine tuenda*, Bruxellis an. 1676. 4. diuulgata, referri huc poterit.

r) GREGORII HORSTII *De tuenda sanitate studiosorum & litteratorum libri duo*, excusi, vt e LINDENIO *reuocat*. pag. 360. apparet, fuerunt Giessae 1615. 4. ibidemque loci deinceps, vt & Marpurgi, seorsim recusi, denique vniuersis autoris, Tom. I. cap. V. §. 25. recensitis, operibus inserti.

s) GEORG. WOLFFG. WEDELII *Diss. de diaeta litteratorum*, Ienae 1674. 4. lucem conspicata, & ib. 1709. 4. quintum est impressa; vnde iure in *Reimmannianae Biblioth.* Tomo II. p. 339. scribi potuit: In hac commentatiuncula dictionis perspicuitas & obseruationum bene digestarum vtilitas ita probata est lectoribus, vt saepius sit recusa.

t) A celeberrimo namque isthoc Medico non *Aphorismi* solum *de litteratorum sanitate tuenda*, Altorfi 1705. sunt publicati in 4. sed eiusdem quoque *Dissertatio epistolaris ad* IAC. PANCRAT. BRVNONEM *de longaeuitate medicorum*, Altorfi 1705. 4. lucem salutauit litterariam; de qua posteriore commentatiuncula in *Bibliothecae Reimannianae* Tom. II. pag. 259. sq. tale legendum exstat iudicium: Exercitatio docta, acuta, &, quod primo loco dicendum erat, sancta. In qua exempla macrobiorum selecta, caussae longaeuitatis humanae probabiles, & in iis praecipua, voluntas Dei. Quippe ludit in humanis diuina potentia rebus, & in aetate hominum cum primis.

§. IX.

FRID. HOFFMANNI *Diss. de diaeta virginum* Halae 1729. 4. prela reliquit. BERN. RAMAZZINI *Commentatio de sacrarum Virginum valetudine tuenda* in Operibus eius iunctim impressis exhibetur legenda. A IO. HENR. SCHVLZIO *Diss. de Diaeta Puerperarum* Halae 1733. 4. excusam accepimus. Conseruatio valetudinis puerilis, ex paullo antiquioribus quidem, IAC. TRVNCONIO *In Tract. de custodienda puerorum sanitate ante partum, in partu & post partum*, Florent. 1593. 4. edito, & recentiores inter, BRAND. MEIBOMIO *In Diss. de tuenda valetudine recens natorum*, Helmst. 1731. 4. excusa, cordi fuit. Hygieinen Senum qui curarent, diuersi quidem exstiterunt; AVR. tamen ANSELMI *De senum regimine libri tres*, Venet. 1606. 4. impressi, a IO. u) RHODIO omnibus reliquis huius argumenti scriptoribus sunt praelati: quibus e recentissimo aeuo IO. FRID. DE PRE *Diss. de Valetudine senum*, Erford. 1725. 4. FRID. HOFFMANNI *Diss. de valetudine senum tuenda*, Halae anno 1725. 4. & IO. HENR. SCHVLTZII *Diss. de Diaeta Senum*, Halae 1735. 4. sociare dari possunt.

u) In *Bibliothec. medic.* p. 154. quo loco illis adscribuntur autoribus, qui in certis materiis excellunt.

S. D. G.

IN-

INDEX AVCTORVM.

A.

ger-

E.

Escu-

G.

Glisso-

I.

K.

M.

de la

Paxton,

Plazzo-

Q

R.

Redi,

S.

Seguie-

·V.

Z.

Corrigenda.

Pag. 5. lin. 3. leg. *hunc*; lin. 21. leg. *sumus*; pag. 8. lin. 17. leg. *quique*; pag. 10. lin. 29. leg. *libero*; pag. 61. lin. vlt. leg. *excusus*; pag. 159. lin. 13. leg. *nullis*; pag. 593. lin. 8. leg. *libri*; pag. 610. lin. 23. leg. *autoris*.